67

# JOANNIS WICLIF

## *TRIALOGUS*

## CUM SUPPLEMENTO TRIALOGI.

*ILLUM RECENSUIT, HOC PRIMUM EDIDIT, UTRUMQUE COMMENTARIO CRITICO INSTRUXIT*

GOTTHARDUS LECHLER

PHILOSOPHIAE AC THEOLOGIAE DOCTOR,

HUJUS PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS IN ACADEMIA LIPSIENSI.

viii, 475 p.

Oxonii

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

M DCCC LXIX

[*All rights reserved*]

5878
11/10/90

LIBRARY
FEB 4 1980
UNIVERSITY OF TORONTO

# CONSPECTUS OPERIS UTRIUSQUE.

PAGINA
PROLEGOMENA . . . . . . . . . . . . I

## TRIALOGUS.

### LIBER I.

*De Deo.*

CAP.
1. Deum esse primam omnium rerum causam . . . . 39
2. Deum superiorem esse omni genere . . . . . 41
3. Disquisitio logica interponitur . . . . . . 45
4. Quod Deus sit quidquid melius est esse quam non esse . 49
5. De proprietatibus Dei . . . . . . . . 52
6. Deum esse trinum . . . . . . . . . 54
7. Num *ratione* demonstrari possit, Deum esse trinum . . 58
8. De ideis . . . . . . . . . . . 61
9. Quarum rerum sint ideae . . . . . . . 65
10. Dei intellectus et potentia cum iis, quae sunt, adaequantur 68
11. Non esse processum infinitum in ideis . . . . 72

### LIBER II.

*De mundo.*

1. De unitate mundi . . . . . . . . . . 76
2. De aeternitate, aevo, tempore . . . . . . 79
3. De compositione rerum creatarum . . . . . . 83
4. Materia prima . . . . . . . . . . 86
5. De *hominis* anima intellectiva et sensitiva . . . . 90
6. De cerebro et sensibus tam internis quam externis . . 93
7. De sensationibus . . . . . . . . . . 97
8. De immortalitate spiritus . . . . . . . 101
9. De intellectu et voluntate hominis . . . . . . 105

| Cap. | | Pagina |
|---|---|---|
| 10. | *Angelorum* natura et motus | 108 |
| 11. | De angelorum situ atque motu | 112 |
| 12. | De angelorum cognitione et lapsu | 115 |
| 13. | Quomodo angeli boni cum malis pugnent | 119 |
| 14. | De praedestinatione | 121 |
| 15. | De coelo et astris | 123 |


## Liber III.

*De virtutibus peccatisque et de Salvatore.*


| | | |
|---|---|---|
| 1. | De divisionibus virtutum | 128 |
| 2. | De natura et origine virtutum, praesertim fidei | 131 |
| 3. | De spe et caritate | 135 |
| 4. | De natura peccati | 139 |
| 5. | De distinctione inter peccata mortalia et venialia | 144 |
| 6. | De causa gravitatis peccatorum | 147 |
| 7. | De gratia praedestinationis | 150 |
| 8. | Num mala necessario fiant | 154 |
| 9. | De septem peccatis capitalibus | 158 |
| 10. | Superbia | 161 |
| 11. | Humilitas | 164 |
| 12. | Invidia | 168 |
| 13. | Caritas | 171 |
| 14. | Ira | 174 |
| 15. | Animi lenitas | 178 |
| 16. | Accidia sive desidia | 182 |
| 17. | Virtus accidiae opposita | 185 |
| 18. | Avaritia | 189 |
| 19. | Virtus avaritiae opposita | 192 |
| 20. | Gula | 196 |
| 21. | Abstinentia | 199 |
| 22. | Luxuria | 203 |
| 23. | Castimonia | 207 |
| 24. | De primo peccato | 210 |
| 25. | De necessitate incarnationis Christi | 214 |
| 26. | De peccato originali | 218 |
| 27. | Deum *potuisse* incarnari | 223 |
| 28. | De unione animae cum corpore | 226 |
| 29. | Christus omnes et homines et angelos superat | 229 |
| 30. | Nullus sanctorum laudandus est, nisi quatenus Christum fuerit secutus | 234 |
| 31. | Christi lex, i.e. scriptura sacra, reliquas leges infinitum excedit | 238 |

## Liber IV.

*De signis.*


| Cap. | | Pagina |
|---|---|---|
| 1. | De signis et sacramentis | 244 |
| 2. | De *Eucharistia* | 247 |
| 3. | De vocabulo '*hoc*' in propositione sacramentali | 250 |
| 4. | In sacra coena post consecrationem manere panem, ex *scriptura* probatur | 255 |
| 5. | Eadem sententia *ratione* comprobatur | 258 |
| 6. | Quomodo error de accidentibus sine subjecto irrepserit in ecclesiam | 262 |
| 7. | Quomodo panis consecratus corpus sit Domini | 266 |
| 8. | Doctrina de impanatione improbatur | 269 |
| 9. | Argutiae quaedam de corpore Domini in Eucharistia excogitatae redarguuntur | 272 |
| 10. | Corpus Domini non dimensione tenus cum pane est | 277 |
| 11. | De *baptismo* | 281 |
| 12. | De baptismo fluminis, sanguinis, flaminis | 285 |
| 13. | De infantibus sine peccato actuali decedentibus | 288 |
| 14. | De sacramento *confirmationis* | 292 |
| 15. | De sacramento *ordinis* | 295 |
| 16. | Contra divitias clericorum | 299 |
| 17. | De possessione temporalium clero concessa | 303 |
| 18. | Reges ac dominos hac ipsa de causa reprehendendos esse | 307 |
| 19. | Quam vera et salutaris sit sententia de ecclesia temporalibus liberanda | 311 |
| 20. | *Matrimonium* quid proprie sit | 315 |
| 21. | De divortio | 319 |
| 22. | Quibus verbis matrimonium contrahatur | 322 |
| 23. | De sacramento *poenitentiae* et ejusdem partibus | 326 |
| 24. | De signis verae contritionis | 330 |
| 25. | De sacramento *extremae unctionis* | 333 |
| 26. | De ministris ecclesiae, praesertim de *mendicantibus* | 335 |
| 27. | De fratrum haeresibus: 1. super Eucharistia | 338 |
| 28. | De fratrum haeresibus: 2. super mendicatione | 341 |
| 29. | Prosequitur rem, argumenta pro mendicatione prolata redarguendo | 345 |
| 30. | De fratrum haeresibus: 3. super literis fraternitatum | 349 |
| 31. | Prosequitur ulterius, errorem de meritis fratrum communicandis impugnando | 353 |
| 32. | De indulgentiis, quas papa fratribus adjuvantibus sibi arroget | 357 |
| 33. | De ordinum mendicantium origine | 361 |

| CAP. | | PAGINA |
|---|---|---|
| 34. | Quibus in rebus fratres legi Christi contrarii sint | 365 |
| 35. | Persequitur ulterius fratrum abusus | 368 |
| 36. | Fratres seducunt regna, quae incolunt | 373 |
| 37. | De fratrum malitia et fraude | 376 |
| 38. | Domini temporales adjuvare debent populares contra fratres | 380 |
| 39. | De *rebus novissimis*, et primo de resurrectione mortuorum futura | 385 |
| 40. | De judicio ultimo | 389 |
| 41. | De corporibus beatorum | 393 |
| 42. | De animabus beatorum | 397 |
| 43. | De poenis damnatorum | 400 |
| 44. | De beatorum sensibus tam internis quam externis | 402 |

# SUPPLEMENTUM TRIALOGI

SIVE

# DE DOTATIONE ECCLESIAE.

| | | |
|---|---|---|
| 1. | Ecclesiae dotationem a clero per nefas acceptam esse demonstratur | 407 |
| 2. | Argumenta eorum, qui dotationem a clero juste acceptam esse contendunt, refutantur | 412 |
| 3. | Leges de decimis exigendis latas legi Christi contrarias esse | 417 |
| 4. | Papam esse fontem nequitiae omnis in ecclesia vigentis | 423 |
| 5. | De religiosis possessionatis | 428 |
| 6. | De ordinibus mendicantium | 433 |
| 7. | Fratres mendicantes, quippe quibus desint signa caritatis, non esse Dei filios | 439 |
| 8. | Argutiae ad defendendos mendicantium ordines prolatae redarguuntur | 444 |
| 9. | Consilium Christi in prophetia Matth. xxiv. 23 ssq. enunciatum ad schisma papale referendum esse docetur | 448 |
| 10. | De periculo animarum in persecutione ultima feliciter evitando | 452 |

# PROLEGOMENA.

I. De Trialogo ipso. III. De libris manu exaratis.
II. De Trialogi editionibus. IV. De editionis hujus ratione.
V. De Supplemento Trialogi.

## I.

## *De Trialogo ipso.*

Inter omnia Joannis Wiclifi opera nullum est viris doctis notius quam Trialogus sive Dialogorum libri quatuor. Quae res minime miranda est. Namque duae praesertim sunt causae, cur ad hoc potissimum viri egregii opus homines literarum studiosi animum adverterint.

Primum scilicet nullus Wiclifi liber prius quam hic ipse artis typographicae ope publici juris factus est. Ante annum 1525 ne minima quidem operum ejus particula typis exscripta lucem vidit, etsi aliquot annis antea duo grandia volumina adversarii cujusdam, qui contra Wiclifum et Wiclevistas scripserat, *Thomam Netterum* sive Thomam Waldensem dico, edita fuerant. Posteaquam Trialogus hic sollertissimi cujusdam typographi opera mense Martio 1525 in lucem prodiit, non fieri potuit, quin quicunque Joannis Wiclifi vitam, sentiendi rationem, doctrinam scrutabantur, hoc potissimum opus quasi limpidissimum atque apertissimum fontem adirent. Verum etiam post illum annum et hunc usque ad diem nonnisi pauci et breviores ejusdem viri tractatus typis exscripti sunt. Libri autem manu scripti, quibus Wiclifi opera exhibentur, et rariores extant et

plurimum lectu difficiliores sunt. Quam ob rem haud mirandum est, plurimos homines doctos, cum Wiclifum cognoscere vellent, ex Trialogo in primis hausisse.

Altera ex parte hic liber dialogorum sive Trialogus sui ipsius causa dignus est, qui fontis instar potissimum adeatur. Postremis enim vitae annis ab auctore compositus summopere maturum animi ejus fructum prae se fert, atque via et ratione procedens universae ejus doctrinae summam brevi quasi compendio complectitur. Igitur cum libri ipsius praestantia tum editio ejus integri mature facta in causa fuit, cur ex hoc potissimum ac fere solo inter omnes Wiclifi libros homines literati quasi ex fonte aliquo hucusque haurirent.

Jam ad librum ipsum propius accedentes, quo temporis momento conscriptus sit, eruamus, argumentum et formam ejus describamus, quid de eo judicandum sit, videamus.

## A.

De *tempore*, quo liber conscriptus sit, haud omnibus constat, *Turnerus* quidem, vir clarissimus, Trialogum inter annos 1372 et 1377 scriptum esse, loco quodam libri IV. c. 36 ductus autumat (*History of England during the Middle Ages*, 1830, V. 181). Illic enim secundum editionem principem haec leguntur: '*videtur quod fratres generaliter pro anno domini Millesimo septuagesimo secundo recenter et particulariter in suo concilio terrae motus Londoniis, intoxicaverant regnum nostrum.*'

Jam *Turnerus* ipse recte vidit, in numero anni expresso omissum esse vocabulum 'trecentesimo,' et hoc ipso ex loco jure suo conclusit, Trialogum non ante annum 1372 scriptum esse. Sed virum doctissimum in termino posteriori statuendo erravisse, hoc est librum istum post annum 1377 editum esse, plura sunt quae comprobent.

Primum enim de '*Roberto Gilbonensi*' non semel (IV. 36, 37) sermo est, scilicet de Cardinali Roberto Genevensi, qui ab adversariis Urbani VI. papae anno 1378 electus Clementem VII. se nuncupavit. Unde elucet, librum post exortum schisma magnum occidentale, nec ante annum 1378 confectum esse.

Deinde in plurimis Trialogi locis doctrina illa ecclesiae Romanae, quae '*transsubstantiationem*' in sacra coena fieri perhibet, commemo-

ratur, examinatur, exploditur. Verumenimvero Wiclifum inde ab initio et per longinquum vitae spatium doctrinam illam sine ulla dubitatione tenuisse, neque ante annum 1381 hac de re aliter sensisse et doctrinam illam improbare coepisse, ex multis viri libris ineditis certo cognovimus. Qua ratione comprobatur, Trialogum nonnisi post annum 1381 conscriptum fuisse.

Accedit, quod attentius legentes latere non potest, quoties et quantopere commoto animo auctor in '*fratres,*' scilicet in ordines *mendicantium* invehat, sententias ab istis recens introductas reprehendens, et ipsos ut praecipuos auctoritatis papalis adjutores, errorum vero malorumque, quibus ecclesia laboret, auctores impugnans. Sed Wiclifum non a primo initio de 'fratribus minoribus,' 'praedicatoribus,' reliquis, ita sensisse, potius magni eos aestimavisse, nec ante quam coepisset doctrinae de 'transsubstantiatione' censuram agere, mendicantes impugnasse, ipsius opera testantur. Cum enim theologi illis ordinibus adscripti prae ceteris ipsi adversarentur de doctrina illa agenti, Wiclifus sibi persuadere coepit, fratres mendicantes omnium errorum atque malorum in ecclesia Romana vigentium acerrimos esse patronos atque vindices. Quod cum non ante annum 1381 factum esse, et alia monumenta et libri ejus nondum typis exscripti testimonio sint, luce clarius est, Trialogum aut hoc aut posteriori anno editum esse.

Revertimur ad locum illum supra recitatum, quo *Turnerus* usus est. Locus non tantum seculi numero omisso in editione principe corruptus extat, sed tres libri manu scripti habent: '*octogesimo,*' unus tantum cum editionibus habet: '*septuagesimo.*' Nec dubium, quin verba auctoris ad annum 1382 referantur. Cum enim Guilielmus Courteney, archiepiscopus Cantuariensis, septem episcopos, quatuordecim juris utriusque doctores, quindecim theologiae doctores ordinibus mendicantium adscriptos, sex theologiae baccalaureos ad diem decimum septimum mensis Maji anni 1382 Londinium convocavisset, urbs subito terrae motu concussa animique hominum summopere exterriti sunt, quam rem Wiclifus hunc in modum interpretatus est, ut de concilio adversus ipsum congregato sententiam divinitus latam esse perhiberet. Quod concilium terrae motu turbatum cum in loco isto commemoretur, librum ante annum 1382 aut conscriptum aut

certe absolutum non esse, Robertus *Vaughan*, vir clarissimus, recte conjecit (*Life and Opinions of John de Wycliffe*, 1831, II. 175 sq.). Neque illo tantum in loco, sed iterum sub finem ejusdem capituli, nec non post initium capitis 27 libri quarti, ejusdem concilii mentio facta est. Nec abs re fuerit conjicere, librum, quippe quo concilium mense Majo 1382 habitum commemoretur, aut anno sequenti aut anno demum 1384, cujus die postremo Wiclifus mortem obiit, consummatum esse.

## B.

Jam de *argumento* libri nonnulla dicenda sunt. Trialogus universam doctrinam de Deo rebusque divinis brevi compendio ita complectitur, ut scholasticorum more 'Summa summarum' nuncupatus sit, cf. SHIRLEY, *A Catalogue of the Original Works of John Wyclif*, Oxf. 1865, p. 9. Opus quatuor libris constat, quos non a posterioribus sed ab auctore ipso distinctos esse res ipsa testatur. Cum *Guilielmus Woodford* de ordine Minorum circa annum 1400 articulos aliquot Joannis Wiclifi impugnaret, sententias Trialogi haud paucas librorum capitumque numeris notatas recitavit (*Fasciculus rerum expetendarum et fugiendarum, ed. Ed. Brown*, Lond. 1690, I. 190 sq.). Verum etiam auctor ipse non semel locos operis priores ita in memoriam revocat, ut aut librum aut etiam capitula, quibus singulae sententiae expositae sint, significet. Exempli causa in libri III. capite 8 haec legimus: '*recolo me dixisse* IN LIBRO PRIMO, quod omnia, quae eveniunt, necessario absolute eveniunt.'

Deinde initio capitis 27 libri IV. haec scripta invenimus: '*Dixi* autem *superius* IN PRINCIPIO HUJUS QUARTI PER NOVEM CAPITULA, quanta blasphemia utuntur fratres in hoc venerabili sacramento.'

Principales operis partes ita dispositae sunt, ut liber primus *de Deo*, secundus *de mundo* agat, cf. II. 1: 'Videtur post illam generalem sententiam dictam *de Deo* loquendum esse *de universitate creata*.' Tertio autem libro, postquam de virtutibus et vitiis tractatum est, de statu innocentiae atque de peccatis, de Jesu Christo salvatore ejusque incarnatione exponitur. Quarto denique libro et de sacramentis singulis et de ecclesiae ministris nec non de ordinibus fratrum mendicantium, postremo de rebus novissimis agitur.

Non desunt, qui perhibeant, in secunda demum operis parte, circiter a medio libro tertio, auctorem id agere, ut ecclesiam purget atque in melius restauret (FLATHE, *Geschichte der Vorlaeufer der Reformation*, 1836, II. 230. BAUR, *Die christliche Lehre von der Dreieinigkeit und Menschwerdung in ihrer geschichtlichen Entwickelung*, 1842, II. 899). Sed superficie tenus librum perlustrasse videntur, qui ita judicant. Namque auctor inde a primo operis initio non tantum 'logicorum distinctiones inutiles' et 'sophistarum instantias' atque fallacias impugnat, sed etiam doctrinam biblicam, quam 'fidem scripturae' nuncupare solet, maximi aestimat atque acriter vindicat. Ne 'fides scripturae' parvi pendatur, ubique summo studio laborat. Sacrae scripturae auctoritate nisus inventiones et 'traditiones adulterinas' explodit. Imo eos non tantum errare sed etiam peccare judicat, qui traditiones suas cum verbo divino commisceant. Locorum similium tanta multitudo etiam in primis Trialogi libris occurrit, ut unum pro multis afferre sufficiat. Libri primi capite 9 auctor ait: 'Sicut sacrae scripturae sententia sic et ejus logica a fidelibus est veneranda. Unde peccant mortaliter, qui dimissa logica scripturae innituntur *adinventionibus frivolis* hodie usitatis .... Et hinc lapsi sunt discoli ad tantum in devium, quod reputant legem Dei summe impossibilem et propter *adulterinas traditiones* a cunctis hominibus relinquendam. *Et ex isto errore pullulant alii infiniti.*'

Deinde errorem de transsubstantiatione in sacramento altaris jam in primo libro et tangit et vituperat, ex. gr. sub finem capituli 11 haec scribens: 'in materia de sacramento altaris plures ultra hoc, quod cognoscunt, balbutiunt ....; dicunt enim, quod consecrata hostia est accidens sine subjecto; et tamen hoc non possunt intelligere.'

Accedit, quod vitia et perversam sentiendi agendique rationem apud praelatos ecclesiae, monachos aliosque vigentem in prioribus etiam operis partibus strenue arguit, in sacerdotum avaritiam et simoniam graviter invehit, de superbia aliisque eorundem peccatis acerbe conqueritur. Exempli gratia de monachis, Lib. III. c. 3. haec verba facit: 'omnes quaerunt quae sua sunt, et pro causa propria ordinis laborant,—et causam ac defensionem legis divinae praetermittunt.'

Libri quarti materia frequentiorem quidem occasionem praebet errorum vituperandorum atque malorum ecclesiae corrigendorum; tamen auctor in toto opere talem se exhibet, qui ecclesiae purgandae atque in meliorem statum restaurandae strenue studeat.

## C.

*Formam* ac rationem operis dialogicam esse, titulus ipsi inscriptus innuit. Namque in editione principe opus nuncupatur: '*Dialogorum libri quatuor.*' Sed apud scriptores seculi XV. et in omnibus libris manu exaratis opus '*Trialogi*' nomine notatur. Quibus prologus a Wiclifo ipso compositus hisce verbis suffragatur: '*videri posset multis utilis quidam* Trialogus.'

Unde apparet, auctorem ipsum hunc titulum operi inscripsisse, quippe quod trium personarum colloquio contineatur. Vocabulum ipsum neque Graecis neque Romanis usitatum, sed a Wiclifo, nisi fallimur, inventum, errori etymologico originem debet, cum *tria*logus non *dia*logo sed *dya*logo opponi videatur. Cujus rei testes sunt nonnulli libri manu scripti, qui cum trialogo 'dyalogum,' quasi cognatum et similem tractatum, componere solent; in uno eorum, ut infra dicetur, scriptum est: 'tria—dyaque logus.'

Joannes Wiclifus forma dialogica non hic primum usus est; extat enim inter opera ejus inedita quidam '*Dialogus sive speculum ecclesiae militantis,*' de cleri ordine, vita, officio per 35 capita agens. Cur tractatum istum in colloquii formam composuerit, auctor pauca praefatus ita exponit: 'Et quia multi delectantur in loquela dialogi, moveor adeo duas personas adducere, scilicet *Veritatem* et *Mendacium*, quae per modum disputationis loquerentur in ista materia alternatim. Et quia veritas est Christus, ut patet Joh. 4, (*rectius* 14), et diabolus ipsum mendacium, ut patet Joh. 8, ergo rationale videtur veritatem praeponere, et sermonem istum mediante Christi gratia stabilire.' (MS. Vindobon. Nr. 3933, f. 150$^a$, Nr. 1338, f. 55.)

Iste dialogus sine dubio aliquot annis prius editus est quam Trialogus. Namque etsi locus quidam cap. 12 ostendit, schisma occidentale jam tum extitisse, cum dialogus scriberetur, tamen nullum vidimus vestigium temporis anno 1380 posterioris. Qua

cum re egregie consonat forma colloquii, quippe quae simplicior sit quam Trialogi forma. Rei enim natura postulat, planiorem et simpliciorem colloquii rationem priori potius quam posteriori tempore excogitatam atque usitatam esse. Igitur cum in 'Dialogo' *duas* personas, Veritatem et Mendacium, colloquentes fecisset, aliquot annis post auctor in 'Trialogo' *tres* personas inter se confabulantes induxit, scilicet Alithiam, Pseustim et Phronesin.

Hae personae quomodo inter se distinguantur, secundum editionem principem difficile est intellectu. *Pseustis* quidem (omnes scilicet libri semper et sine ulla exceptione habent *Pseustis* i. e. ψεύστης, non *Pseudis*, cum editionibus), sive ut cum auctoris prologo loquamur, infidelis captiosus, perspicuas agit partes negando et disputando contra veritatem. Sed quid proprie discriminis intercedat *Alithiam* inter et *Phronesin*, si illa pro 'solido theologo' habenda sit, haec pro 'subtili theologo et maturo,' vix conjectura efficere possis. Verum haec difficultas facile solvitur redeundo ad librorum manu scriptorum auctoritatem. Unus enim liber, isque non ultimo loco habendus, D., haec exhibet verba: 'Trialogus, ubi primo tanquam Alithia solidus *philosophus* loqueretur.' Et cum isto facit, qui librum C. recensuit atque correxit; hic enim, cum in libro scriptum esset: 'solidus *theologus*,' verbum posterius mutavit et ejus loco posuit '*philosophus*.' Etsi duo reliqui libri, A. et B. cum prima manu codicis C. habeant: 'theologus,' tamen illos genuinam atque veram auctoris ipsius scriptionem testari non est quod dubitemus. Hac enim ratione personae in Trialogo inter se colloquentes perspicue et simpliciter distinguuntur. Primo solidus philosophus loquitur, deinde infidelis captiose objicit, postremo subtilis theologus controversiam dijudicat.

Ceterum hunc dialogum longe abesse a Platonicorum dialogorum ratione, vix est quod moneamus. Nomina enim ipsa personarum innuunt, non vivos homines, peculiari sentiendi agendique modo revera distinctos sibi colloqui, sed auctorem a rebus ipsis abstraxisse animum et virtutes aut vitia quaedam personarum specie quasi circumdedisse, hoc solum observantem, ut Alithiam feminae, Phronesin et Pseustim virorum loco haberet. Namque Alithia Phronesin 'fratrem' appellare solet, Phronesis Alithiam identidem ut 'sororem'

alloquitur, ex. gr. I. c. 1 et 2, ubi Phronesis cum Pseuste disputans de Alithia haec loquitur: 'Licet *soror nostra* sit parvula quantitate, est tamen magna scientia et virtute, non enim habes quidquam quod possis sibi objicere in hac parte.'

Haud raro, et praesertim ab initio libri tertii, nonnisi inter Alithiam et Phronesin sermo est, Pseuste per aliquod tempus silentium agente. Exempli gratia ab initio libri quarti usque ad finem capitis 8 Pseustis silentium obtinet; verum ubi ad colloquium redit (initio capitis 9), haec verba facit: 'Propter stultitias, quas ebullis, per tempus non modicum *dormitavi*. Sed modo oportet me vigilare paululum, ad illas stultitias reprobandum.' Cui Phronesis hunc in modum respondet: 'Considero, quod nimis sophistice *ut vulpes infideliter dormitasti*.'

Alias vero Alithia ipsa 'fratrem Phronesin' rogat, ut 'cesset litigiosa contentio Pseustis nostri, et procedamus per ordinem' IV. 11; et inde ab isto loco usque ad capitis 16 finem sola Alithia cum Phronesi colloquitur, ab initio capitis 17 Pseustis iterum verba facit.

Ubi vero Alithia sola cum Phronesi colloquitur, res ita se habere solet, ut Alithia paucis interroget atque instructionem desideret, Phronesis vero quasi e cathedra docens multa disserat, res via ac ratione explicando; sive Phronesis magistri, Alithia discipuli admirabundi ac docilis partes agat.

## D.

Porro *quid de opere ipso judicandum sit*, videamus.

Trialogum ab amicis et discipulis Wiclifi post ejus obitum per quinque decennia maximi habitum et summo cum studio perlustratum esse, libri manu exarati, qui opus istud exhibent, testimonio sunt luculentissimo. Omnes enim notas margini adscriptas habent, quibus materiae in colloquio expositae, loci auctorum in textu laudatorum, alia significantur. Ceterum numero et ratione notarum unus liber, quem siglo A insignivimus, ceteros longe superat. Praeterea tres libri, quos literis B.C.D. notavimus, indices habent rerum in Trialogo declaratarum alphabetico ordine compositos. Brevis est index libri D, aliquantum prolixior index libri B; copiosissimum autem indicem et per 18 folia protractum liber C exhibet. Vix unquam

major sollertia atque labor in opera sanctorum Patrum impensus est, quam in hoc Wiclifi opus; qua in re Bohemi, Joannis Husi asseclae, prae Anglis elaborasse videntur. Unde elucet, quantae auctoritatis apud multos Trialogus fuerit.

Seculo posteriori cum veritas evangelica reluceret, quid de libro isto judicatum sit, ex prologo editioni principi praemisso cognoscere licet. Prologi hujus auctor, nomine tenus nobis prorsus ignotus, sed et evangelii amantissimus et literarum humaniorum peritissimus, Trialogum lectoribus vehementer commendat, quippe qui sit animi pii ac sancti documentum luculentissimum. Joannem Wiclifum ipsum, ille pergit, fuisse verum Christi testem, qui bene noverit,

'quid distent aera lupinis,'

i.e. qui veram atque genuinam Christi veritatem a sententiis humanitus fictis et adulterinis bene distinxerit, et doctrinam scripturae sacrae conformem inter Cymmerias tenebras docuerit. 'Stili quidem asperitatem,' qua Trialogus laborat, scriptor iste, utpote veterum Graecorum Latinorumque bene gnarus, satis cognovit. Sed hac de re primo monuit, 'non eminenti sermone, sed in virtute regnum Dei consistere' (1. Corinth. 4, 20), veritatis simplicem esse orationem, simplicitate stili candorem Wiclifi et mentis innocentiam repraesentari, cum auctor magis rem ipsam proferat quam Atticum sermonis leporem, ne forte lumen soli addere videatur. Praeterea prologi scriptor non prorsus infitias ivit, nonnulla 'aspere perplexeque dicta esse, Wiclifum 'crudis dialecticorum vocabulis uti'; sed vitia ista benevole excusans in memoriam lectorum reduxit seculi illius ingenium adeo 'sterile ac infelix', ut Wiclifus non posset eo quo decebat nitore 'coelestes sibi datas opes exactius posteritati demandare.'

Quantum distant ab hac aestimatione recentiorum judicia! Nostra enim aetate longe plurimi Trialogum parvi faciunt. *Flathius* exempli gratia haec fere verba facit: 'sermo difficilis atque tumidior; modus res tractandi obscurus et perplexus, ita ut Wiclifus facultate graviter, perspicue, venuste dicendi caruisse videatur. Elicere, quid sibi velit auctor, haud raro difficilius est, neque lector rerum novitate aut sententiarum gravitate laboris pretium nancisci solet' (FLATHE, *Geschichte der Vorlaeufer der Reformation*, 1836, II. 230). Similiter *Baurius* de

forma libri dialogica haec fatur: 'confabulatio trium personarum plurimum obscura est, sententiarum tenore stricto caret, neque ad certum perducitur finem' (Baur, *Die christliche Lehre von der Dreieinigkeit und Menschwerdung in ihrer geschichtlichen Entwickelung*, II. 899). Nemo autem magis inique ac contemtim de operis stilo judicavit quam auctor quidam ecclesiae Romanae adscriptus nomine *Kerker*, haec disserens: 'Joannis Wiclifi sermo Latinus atque sententiarum nexus adeo insolitus, perplexus, barbaricus est, ut, quod est aliquid, vix ullum literarum monumentum illa aetate compositum inveniatur, quod monstruosa dicendi ratione cum Trialogo aliisque ejusdem viri scriptis conferri possit' (*Kirchenlexicon von* Wetzer *und* Welte, XI. 940).

Plura hujusmodi suffragia accumulare superfluum fuerit. Ex his, quae attulimus, satis elucet, plurimis nostrae aetatis viris nihil majori fuisse offensioni atque fastidio, quam formam dicendi peculiarem in Trialogo conspicuam. Illud enim, quod *Baurius* vituperat, haud vere ac juste proferri, nemo luculentius comprobavit quam *Lewaldius*, quippe qui Joannis Wiclifi doctrinam ex Trialogo potissimum, collatis aliis quibusdam ejusdem tractatibus, ita explicaverit, ut argumenta et sententias auctoris via ac ratione promeret (*Die theol. Doctrin. J. Wycliffe's, Zeitschrift für histor. Theol.* 1846, 171, 503; 1847, 597 sq.). Ceterum de dicendi modo, quem perplexum et barbaricum esse conqueruntur, mitius judicabis, si seculum et aliorum aequalium dictionem respexeris, id quod editionis principis prologus jure suo postulavit. Quicunque librum non obiter degustaverit sed animo constanti totum perlegerit, multa simpliciter, lucide, graviter dicta inveniet, obscuritatem vero sermonis scholastici in prioribus praesertim libris deprehendet, ubi haud raro quaestiones dialecticae atque metaphysicae tractantur. His vero de rebus alii auctores scholastici, qui seculo XIV floruerunt, vix simplicius aut lucidius egerunt. Neque omnino desunt, qui sententiam aequam ac justam tulerint. *Baumgarten-Crusius*, vir clarissimus atque in libris scholasticis versatissimus, haec de Trialogo protulit: 'liber scholasticus quidem et formae asperrimae ac difficillimae, verum copia et varietate sententiarum plurima illius aetatis monumenta superans (*Handbuch der Dogmengeschichte*, I. § 16. annot.)

Praeterea nonnulli, qui libro subtilius perscrutando operam dederunt,

suspicati sunt, majorem obscuritatis ac difficultatis partem non auctori ipsi sed librariis aut editoribus tribuendam esse. Robertus *Vaughan*, de vita et doctrina Wiclifi illustranda praeclare meritus, conjecit, multorum errorum in textu Trialogi occurentium culpam aut penes codicum scriptores aut penes typographos fuisse (*Life and Opinions of John de Wycliffe*, 2nd ed. 1831, II. 176). *Lewaldius* vero in commentatione supra laudata apud nonnullos locos periculum fecit conjectura assequendi, quid auctor ipse scripsisse putandus esset. Uterque scriptor, etsi neuter eorum libros manu exaratos vidisset, haud aberravit a vero. Quod ita se habere intelligemus, si editiones Trialogi propius inspexerimus.

## II.

## *De Trialogi editionibus.*

Duae extant Trialogi editiones. *Editio princeps*, anno 1525 publici juris facta et 4ª forma exarata, ubi locorum prodierit, ignotum est, cum neque in titulo neque in fine voluminis typographi aut urbis nomen indicatum sit. Basileae librum excusum esse plures viri docti opinantur. Sed Joannem *Oporinum*, Basileensem, redemtorem fuisse, falso nonnulli conjecerunt. Hunc enim, anno 1507 natum, cum decimum octavum ageret annum, vix credibile est potuisse ut 'solertissimum typographum' laudibus efferri, id quod in prologo factum est. Multo magis Joannem *Frobenium* fuisse typographum illum conjecerimus, quippe qui et de veterum Graecorum et de Patrum ecclesiae et de Erasmi operibus edendis plurimum meruerit, Lutheri vero tractatibus disseminandis operam dederit. Qui cum anno 1527 mortem obierit, nihil obest, quin anno 1525 Trialogum edendum curare potuerit.

Trialogum die septimo mensis Martii anni a Christo nato MDXXV 'excusum' i. e. confectum esse, in postrema voluminis pagina indicatum est. Hujus editionis exempla nostra aetate rarissima esse viris bibliographiae peritis constat. Fuerunt enim prioribus seculis, qui libro supprimendo ac tollendo industriam navarent. Qua de causa bibliothecae nonnullae variorum et rariorum librorum copia abundantes hac Trialogi editione carent.

Libri titulus in pagina prima quasi tabulae duabus columnis Corinthiis interpositae inscriptus hanc habet formam:

IO. WICLEFI VIRI UNDIQUAque piis. dialogorum libri q̄ttuor quorū primus diuinitatē et Ideas tractat, Secundus uniuersarū creationē cōplectitur. Tertius de uirtutib. uitiisque ipsis cōtrariis copiosissime loq̄tur. Quartus Ro. ecclesiae sacramēta, ejus pestiferā dotationē, antichristi regnū, fratrū fraudulentā originē atque eorū hypocrisim, uariaque nr̄o aeuo scitu dignissima, graphice ꝑstringit, quae ut essent inuētu facilia, singulorū librorū, tum caput, tum capitis summā indice praenotauimus.

MDXXV.

---

Titulum hunc ita exprimendum esse censuimus, ut simul exemplar praeberetur eorum scribendi compendiorum, quibus editio princeps, ad modum librorum manu exaratorum, plena est.

Sequitur praefatio, non a typographo ipso, sed ab aliquo ejus amico, literarum humaniorum peritissimo, conscripta, hunc habens sententiarum tenorem:

## *Prologus.*

Christiano lectori gratiam et pacem.

Deus olim non per unum, sed per plures prophetas, candidissime lector, et quidem multis modis, nunc per visionem, nunc facie ad

faciem, nunc archano divino (l. divini) spiritus adflatu sese nobis insinuavit, et ut semel dicam, modo aperte, modo obscure, tandem placuit extremis diebus, non per hominem neque per angelum, sed filium, suam voluntatem manifestare, qui cuivis saeculo suos in propriam messem operarios destinavit, id quod nonnihil veteri instrumento, ac statim nascenti ecclesia in apostolis a Christo selectis apparet, coeleste mysterion undique in universum orbem spargentibus; erant enim tum Spiritu Sancto, tum variis linguarum donis dotati, quo evangelicas opes humanae sagacitati plane alienas, ex densissima ignorantiae umbra in lucem clarissimam proveherent. Adeo Deus humani generis, Adae protoplasti lapsu deperditi, nullo non aevo misertus, non solum veritatem coelestem, ac se ipsum, imo et sacratissimas linguas hanc adjuvantes, in hanc nostram regionis dissimilitudinem, ubi omnia tumultuantur dejecit; hinc monomachia, ut qui (quae ?) omnium maxime pestilentissima, contra Dei ac Christi spiritum suborta est. Quidni vero ? Non enim non possunt, piis in aurem dormientibus, evangelii hostes homines philauti suas nugas portentuosaque fabulamenta, ne dicam anilia deliramenta, vi, gladio, aut literarum bonarum neglectu, utut furor arma ministrat, summa denique pertinacia tueri, quibus cacodaemonis instinctu utcunque et quidem impendio saevientibus, sic sic constat pullulascente veritatis flore nunquam defuisse, qui non contra stimulum calcitrantes, Christon vel ejus verbum nullo non tempore extirpare adnixi sunt, hoc impii hujus mundi proceres ac principes, illud scholae malorum Lernae sibi vendicarunt, ut rem quam excellentissimam pessumdarent. Demum invalescente Antichristi tyrannide, coelum terramque miscuere, ac perturbarunt omnia.

Interim tamen, quod Dei beneficio factum, divina clementia nunquam non suos vere piissimos elegit, qui sua genua ante Baal non curvaverint, e quorum albo hic noster *Joannes Wiclefus*, verus Christi testis et pius, haud dubio libro vitae ante mundi fundamina inscriptus, qui atrocissimas Antichristi minas sus deque ferens, Christon ac ejus verbum suo quo potuit a Deo concredito sermone annuntiavit.

En, mitissime ac Christiane lector, is ipse est, qui jam sole relucente, tenebras ac densissimas lucis inimicas nebulas propulsante,

ab inferis solertissimi cujusdam typographi beneficio et opera non vulgari ex longinquis adscitus, in lucem reviviscens prodit, qui (ut testantur monumenta) noverit—'quid distent aera lupinis.'

Tamen adeo sterile ac infelix erat, quo vixit, saeculum, ut eo quo decet nitore (licet pie) non potuit, aut si potuit, minus suae aetati licuit, caelestes sibi datas opes exactius posteritati demandare. Hic Wiclefus, mitissime lector, partim operis ingressu ob saeculi sui sterilitatem aspere perplexeque videtur loqui, crudis pro tempore suo Dialecticorum vocabulis uti; ne rem ipsam ob stili asperitatem ac lexeos salebrosos contextus exhorrescas, sed potius animo constanti progredere; dispeream, ni sentias hominem pium ac sanctum secundo, tertio ac quarto libris, uti nec in primo solidam theologiam neutiquam dissimulans ac veritatem inter Cymmerias (ut aiunt) tenebras sacrae scripturae amussi conformem docere, non eminenti quidem sermone; non enim isto sed in virtute regnum Dei consistit, siquidem veritatis simplex est oratio, et ut minime mendax est, sic auctoris nostri Wiclefi candorem et mentis innocentiam repraesentans, verborum lenociniis ac fuco non eget. Non enim Christologias is noster Wiclefus sed veritatis Christianae soliditatem spargens, qua nihil commodius celebriusque simplicissimo juxta apertissimo sermone profert magis rem ipsam quam Atticum sermonis leporem, curans ne forte ebur atramento candefacere aut lumen soli addere videretur. Id quod veritatis inimici nativa poniria, nunquam non euribatisantes vitio verterunt, id quod Constantiensi concilio ac aliis comitiis cernere est, ubi coeptam monomachiam vel ipso mortuo absolvere. Ibidem enim decretum, libri auctorem Joannem *Wiclefum*, qui jam diu vitae suae temporariae pensum absolvisset, ac sepultum, rursus effodi, ac ejus ossa cremari statutum est. O caecitatem! O vindictam insignem! Qui ut in humanis ita in umbris placidissimis cum Christo quiescens magistri nempe Christi domini sui testis evasit. His paucis, Christiane lector, vale, et Typographi operam boni consule.

---

Prologi summa his quoque versibus, sine dubio a prologi auc-

tore compositis brevi comprehensa est, qui in pagina Trialogi ipsius principium antecedente typis exscripti sunt:

## JOANNES WICLEFUS

### CANDIDO LECTORI.

Dum capitale fuit passim, fas jusque tueri,
  Et tutum nulli pro pietate loqui,
Delituere boni passim, fas jusque relictum,
  Et vis in cunctis extulit arma locis.
Heu quae tempestas, quis turbo, quaeve procella
  Incubuit, quae nox cordibus illa piis?
At nunc post hiemem tam diram ubi rursus Olympo
  Sol redit et pulsa candida nube dies,
Vis quoque paulatim languet, sentitque senectam
  Et recalent animis jus pietasque suis,
E latebris redeunt etiam fiduntque sereno,
  Hactenus in denso qui gemuere situ.
Inter quos et ego Wiclefus jure reverso
  Prodeo, justitiae nunc quoque fisus ope.
Cui si non omnis plaudendus forte videbor,
  Non etiam totus forte premendus ero.

---

Prologum sequitur 'Index argumentorum singulorum capitum,' quem hic repetendum non esse eam ob causam judicavimus, quod argumenta ipsa non omnino recte ac vere indicata esse viderentur.

*Textus* Trialogi in editione principe continuo tenore ita typis exscriptus est, ut neque ubi personae colloquentes sibi succedunt neque ubi nova sententiarum series nectitur, intervalla quaedam statuantur. Qua re libri lectionem difficiliorem fieri, quis est quin intelligat? Summaria quidem argumentorum ad marginem indicata aliquantum adjuvant lectores; sed duplicem ob causam non omnino sufficiunt desiderio, primum quia inaequabilius digesta sunt, deinde quia haud

raro rebus ipsis minus conveniunt. Inaequabilitas scilicet tanta est, ut in principio Trialogi multis paginis quaterna aut quina argumenta apposita sint, in progressu operis haud raro quatuor aut quinque paginae continuae omnibus argumentorum summariis in margine careant; imo sub finem libri quarti semel sedecim paginae sibi succedunt, quibus ne unum quidem summarium additum sit. Deinde notae ipsae marginales ejus sunt generis, ut saepe non rei ipsius cardinem significent, sed potius, quid editoribus memoratu dignum visum sit, ostendant. Exempli gratia ad libri IV. caput 36, ubi auctor concilii Londoniis habiti sed terrae motu turbati mentionem injicit, ista res, etsi in dissertationis contextu minoris momenti sit, ad marginem his verbis significata est: 'de concilio Angliae celebrato Londoniis, cum terrae motu,'

Ut distinctiones majorum orationis partium pauciores, quam debebant, ita distinctiones singularum sententiarum aut periodorum fere plures, quam debebant, interpositae sunt. Haud raro verba ab auctore in unam periodum conjuncta ab editoribus interpuncto posito ita discissa sunt, ut, si editorum auctoritatem sequaris, sensum sanum elicere porsus nequeas. Exempli causa sub finem capitis 3 libri IV. inde a verbis: 'Similiter cum' usque ad verba: 'sit falsa,' p. CIV[2] ed. pr., verba ab auctore ipso in unam sententiam conjuncta per editores ita dissecta sunt, ut quatuor sententias efficere videantur, tenor vero rerum ipsarum confundatur et obscuretur. Innumeris autem in locis hac potissimum de causa summam obscuritatem ortam esse, paucis monuisse sufficiat. Quod ita se habere, eo magis mirati sumus, quo aptiora verborum interpuncta in libris manu scriptis, etiam in iis, qui inferioris notae sunt, invenimus.

In singulis *verbis* multos et graves errores apud editionem principem deprehendi, attentius legentes fugere haud potuit. Virum clarissimum *Vaughan* multa typographorum errata suspicatum esse, supra memoravimus. *Lewaldius* vero non tantum summatim conjecit, editoris incuria nonnullos errores irrepsisse, sed in exponenda Wiclifi doctrina circiter quinquaginta locos ita examinavit, ut, quae lectio falsa, quae genuina esset, conjectura efficere conaretur. Qui vir cum facultatem libros manu scriptos conferendi nactus non esset, plerumque bene intellexit, quid improbandum atque mutandum esset. Sed

cum conjectura assequi studeret, quid auctor ipse scripsisset, circiter decies mira conjiciendi sagacitate textum vere emendavit, plus vicies in conjecturis erravit. Cf. LEWALD, *Die theologische Doctrin Johann Wycliffe's*—kritisch beleuchtet, NIEDNER, *Zeitschrift für historische Theologie*, 1846, 171 sq., 503 sq.; 1847, 597 sq.

Verumenimvero cum libros ipsos conferendi facultas data esset, multo majorem, quam expectassemus, mendarum numerum in editione principe esse, nobis persuasimus. Qui errores duplicem ad causam referendi esse videntur. Alterum enim mendarum genus nonnisi ad editores seculi XVI. referendum est, quippe qui aut indiligentia aut codicum legendorum atque explicandorum imperitia aut artis criticae defectu peccaverint. Alterum errorum genus libris ipsis, quibus editores usi sunt, i.e. librariis seculi XV., tribuendum est.

Haud exiguam erratorum copiam ex textu librorum genuino quidem atque correcto sed ab editoribus false lecto ortam esse nobis omnino constat. Praesertim cum illa *scribendi compendia*, quibus libri seculo XIV. et XV. manu scripti scatent, ambiguitatis saepenumero causae sint, nonnulla verba ab editoribus false intellecta sunt. Exempli gratia cum in libri IV. capite 12 ante mediam capituli partem in codice scriptum esset '*mira*$^{li}$,' editor posuit: *miraculi*, quod sensu caret, cum sine dubio legendum esset: *mirabili*. Porro in fine capituli 2 libri primi in codicibus scriptum est '*abhorret*' cum signo exiguo literae penultimae superscripto, quod innueret, legendum esse: *abhorreret*. Editores autem breviter typis expresserunt: *abhorret*. Similiter IV. c. 34 editio princeps exhibet vocem *specialiter* pro verbo *spiritualiter*, id quod nonnisi ex scriptione codicis breviori ortum est. Sunt hujus generis plurima, quae recensere longius foret. Nec deest excusatio errorum per scribendi compendia saepius obscuriora et ambiguitatis plena natorum.

At permulti errores ex falsa lectione vocabulorum obscure et volante calamo, etsi plene scriptorum, orti sunt, verbi causa IV. 43. *stolide*, quod prorsus absurdum est, cum Phronesis dicat: '*in hoc sentis* SOLIDE *atque catholice*.' Nec longe post invenimus: *horrorem magnatum*, ubi scriptum est: *horrorem imaginatum*. Quis vero sanum elicuerit sensum, ubi de praedicatoribus quibusdam dictum invenerit, quod CURANTES *fidem scripturae noceant ecclesiae*, IV. c. 34, cum auctor

eos dixerit CURVANTES *fidem scripturae*, id quod libri a nobis collati omnes exhibent. Hujusmodi errores, quibus locorum sensus prorsus pervertitur, innumeri deprehenduntur cum in reliquis Trialogi partibus tum in postrema operis parte, namque inde a 30$^{mo}$ libri IV. capitulo editores multo magis quam antea properavisse atque eam ipsam ob causam saepius etiam lapsi esse videntur.

Nonnulla quoque vitia inde nata esse credamus, quod ab editoribus lectiones diversae, in duobus libris extantes, conjungerentur sive miscerentur. Sunt enim vestigia quaedam, unde colligamus, editoribus non unum sed duos certe libros manu exaratos praesto fuisse. Horum vero lectiones ubi discrepabant, interdum festinantius quam judiciosius inter se conciliata sive mixta sunt. Hujus generis exempla pauca afferre liceat. Lib. IV. c. 18. sub finem editio princeps haec habet verba: *quia ex fide* SUPPONERE HABEMUS; quae locutio et Wiclifo et aliis auctoribus insolita inde orta est, quod, cum alter codex haberet: *debemus supponere*, alter: '*ex fide habemus, quod,*' editores utrumque conjungendum esse censuerunt. Inter illos enim, qui nunc extant, libros unus priorem, tres posteriorem lectionem tuentur. Deinde II. c. 7 cum in altero codice scriptum esset: *quod anima intellectiva sit* PARS *hominis*, in altero autem: *quod anima intellectiva sit* PERSONA *hominis*, editores utrumque conjungendum esse rati locum ita expresserunt: *quod anima intellectiva sit* PARS PERSONA *hominis*, id quod sensu carere patet. Porro III. c. 17, cum libri manu exarati aut '*vana temporalia*' aut '*bassa temporalia*' habeant, in editione principe legimus: 'BASSA, ALIAS VANA *temporalia*.' Hac autem ratione regulis criticis contraria fieri haud potuisse, ut textus emendatior prodiret, nemo non intelligit.

Denique vocabula, quae interpretandi causa in margine codicis alicujus addita erant, per editores textui ipsi identidem inserta sunt; v. c. I. c. 8. auctor habet: '*ut testatur subtilis evangelista;*' sed in editione principe addita sunt verbis '*subtilis evangelista*' verba: '*Johannis X,*' quae libri tres in margine adscripta exhibent.

Igitur satis comprobavisse nobis videmur, editionem Trialogi principem tantopere mendosam esse, ut necessarium sit, librorum ipsorum ope textum emendatiorem et, quantum fieri possit, genuinum reddere.

Sed quaeritur num *editio posterior* hoc praestiterit. Haec editio

Francofurti et Lipsiae, impensis Io. Gottl. *Vierlingii* anno 1753 in 4° in lucem prolata, praeter prologum et indicem paginas 318 complectitur, atque eundem, quem editio princeps, titulum exhibet, his tantum additis verbis: 'auctus est denique liber catalogo praecipuorum de Wiclefo nostro scriptorum, quem vita ex optimis fontibus Germanico idiomate depicta sequitur.'

Ex hoc tituli additamento editoris nomen in volumine hoc nusquam expressum colligi potest. Vita enim, cujus mentio facta est, sine dubio haec est: *D. Johannes* (sic) *Wiclefii wahrhafte und gegründete Nachrichten von seinem Leben, Lehrsaetzen und Schriften, von Ludwig Philipp Wirth*, 1754, 4°. Igitur hic ipse Ludovicus Philippus *Wirth*, qui concionator aulicus atque conrector Culmbachii fuit, istam Trialogi editionem curavisse videtur. Cum vero de consilio ac ratione editionis instituendae ne unum quidem verbum proditum sit, liber ipse testimonii instar inspiciendus est.

Volumen hoc nihil omnino proprii habet, cum nonnisi ad fidem editionis principis expressum sit. Namque et prologus et index et textus ipse et summaria margini apposita—postremo omnia ex editione principe pure depromta sunt. Imo editor seculi XVIII. vestigia editoris primi eum in modum pressit, ut et in verborum interpunctione ab exemplo istius vix unquam declinaret et vitia cum editoris incuria tum ipsorum etiam typographorum negligentia orta fideliter et accurate repeteret. Sufficiat paucorum errorum, qui utriusque editionis communes sunt, mentionem facere. In libri IV. capitulo 4 auctor de s. coena agens et doctrinam de transsubstantiatione Christologiae ope impugnans haec profert: 'Panis—non potius desinit esse panis, quam humanitas ex hoc, quod fit Deus, desinit esse homo.'

Jam in editione principe interpunctum tam perverse positum est, ut sententiae tenor medius dissecetur, locusque sensu careat: 'Panis—non potius desinit esse panis, quam humanitas. Ex hoc—desinit esse homo.'

In editione autem posteriori haec absurda interpunctio, quam emendare attentius legenti facillimum erat, pure repetitur.

Deinde haud raro vocabula, quae typographorum errore corrupta esse facile fuit intellectu, accuratissime i. e. mendose ad fidem prioris

editionis exprimuntur, v. c. IV. c. 34. p. 285. ed. 1753, *vallunt* pro *vadunt*, IV. c. 15. p. 225. editionis posterioris *motali* pro *mortali* et cetera. Paucissimis in locis errores aliquot conjecturae ope emendati sunt, ex. gr. IV. 10. p. 209. ed. 1753. recte positum est verbum *propius* pro voce *proprius*, et quaedam similia.

## III.

## *Libri manu exarati Trialogum exhibentes.*

Ut Trialogus emendatior et quam maxime genuina forma, qua ab ipso auctore scriptus est, restituatur, libros manu exaratos consulamus necesse est. Et gratulamur nobis, quod non unus solus sed quatuor libri integrum Trialogum exhibentes, Deo providente, hunc usque ad diem conservati sint. Qui omnes Vindobonae in bibliotheca imperiali et aulica asservantur. Namque ille liber, qui in bibliotheca collegii Cantabrigiensis sanctae Trinitatis quondam fuit, dudum perditus est (SHIRLEY, *A Catalogue of the Original Works of John Wyclif*, Oxf. 1865, p. 9). Quod vero tot libri manu exarati, qui Trialogum exhibent, hucusque conservati sunt, Joannis *Husi* asseclis Bohemicis acceptum referimus. Namque ut Johannes *Hus* ipse, ita multi Bohemorum ipsum secuti variis Wiclifi tractatibus transscribendis operam dederunt. Bibliotheca regia Holmensis librum habet medio seculo XVII. ex arce Pragensi (*Hradschin*) allatum, qui quinque tractatus Wiclifi philosophicos exhibens procul dubio a Joanne *Huso* ipso exaratus est (cf. DUDIK, *Forschungen in Schweden für Maehren's Geschichte*, Brünn, 1852, p. 198 sq.). Et ab amicis discipulisque *Husi* omnes illi sermones, tractatus, libri, quos *Latino* sermone Wiclifus composuerat, summa cum industria et transscripti et perlustrati sunt. Verum ne minimus quidem tractatus a 'doctore evangelico' sermone *vernaculo* scriptus in libris Husitarum opera exaratis deprehenditur. Id quod nequaquam mirandum esse videtur, quia pauci Bohemi, qui studiorum causa Oxonium venerant, linguae Anglicae periti extiterunt, plurimi vero, quorum in usum libri illi scribi solebant, Anglici sermonis expertes fuerunt. Nostro autem tempore libri illi a Bohemis exscripti aut in nonnullis Sueciae bibliothecis aut Pragae aut Viennae adser-

vantur. Viennam illos ex variis Bohemiae claustris, imperatore Josepho II solutis, allatos esse veri simile est.

Quatuor illi libri, qui Trialogum exhibent, nec non alii ejusdem generis, ab Imperatoris Austriae ministris publicis, interprete Saxoniae regiae ministro rebus ecclesiasticis atque scholasticis praeposito, viro clarissimo *de Falkenstein*, summa cum liberalitate ad tempus sufficiens nobis concessi sunt, quam ob causam omnibus, qui hac in re literarum ac scientiae causam adjuverunt, gratias publice atque ingenue agimus.

Libri illi, quos siglis A. B. C. D notamus, ita se habent: Codex A. olim numero 873, postea 384 (cf. MICH. DÉNIS, *Codices manuscripti theologici bibliothecae palatinae Vindobonensis Latini*, Vol. II. 1794), nunc numero 1387 notatus, seculo XV. ineunte, circa annum 1400 scriptus, ut videtur, in Bohemia, membranaceus, in membranis speciosissimis atque densis, folio maximo, per binas columnas, linearum c. 63, charactere atro, crasso egregie exaratus est. In charta primum voluminis folium praecedente recentiori manu scriptum est: 'Doctor Martinus Luter' (sic), quae verba num innuant, volumen aliquando Lutheri in manibus fuisse, haud liquet. Liber foliorum 215 plura Wiclifi opera neque auctoris nomine unquam expresso neque una manu exscripta continet. Medio in volumine extat tractatus de dotatione ecclesiae, sive Supplementum Trialogi; postremum vero locum Trialogus ipse obtinet.

Librum hunc et materiae causa, in qua scriptus est, et accuratae pulchraeque scriptionis ergo haud exigui sua aetate pretii fuisse et fortasse jussu viri alicujus opibus, honore, dignitate praeclari exaratum esse, veri simile est.

Trialogus inde a folio 163 usque ad ultimum voluminis folium 215 literis majusculis atque angulatis aequabiliter et diligenter ita scriptus est, ut primae singularum sententiarum literae rubris aut lineis aut punctis insignirentur. Ubi Alithia, Pseustis, Phronesis colloquentes sibi succedunt, nominum istorum literae initiales colore rubro et caeruleo alternatim pictae sunt. Quatuor librorum literae initiales majori mensura delineatae atque variis coloribus venuste ornatae sunt, omnium maxime litera initialis libri primi. Singula librorum capitula per totum opus bene distinguuntur atque numeris additis notantur, nec pauca capita argumentorum indicibus instructa sunt. Glossae

marginales ab initio usque ad libri IV. capitulum 8 creberrimae adsunt, quibus rerum argumenta et summaria, auctorum laudatorum loci, alia, significantur, non sine judicio, sed diversis manibus scripta. Verborum interpuncta plerumque apta. Textus, quamvis ab accurato librario esset exscriptus, tamen multis in locis correctoris operam ita expertus est, ut quae prior sit, quae posterior lectio, facile discernere possis. Ceterum non ita res se habet, ut posterior lectio priori plerumque praeferenda sit. Namque haud raro factum est, ut, quae recte scripta fuerant, temere delerentur atque perversa ratione mutarentur.

Codex B, olim numero 881, deinde 404 (Dénis, *Codices manuscripti*, II.), nunc numero 3930 notatus, chartaceus, foliorum 359, per binas columnas linearum 41, non una manu exaratus, 26 tractatus complectitur, inter quos, praeter locum aliquem *Senecae* (Nr. 12) et *Isidori* Hispalensis libros VI.—VIII. Originum sive etymologiarum (Nr. 24), varios tractatus cum Joannis *Wiclif* tum Joannis *Hus* atque Jacobi de Misa deprehendimus. Scilicet primum locum Joannis Wiclifi Dialogus, secundum Trialogus obtinet, sicut in codice A. hic illum excipit. Sequitur expositio capitis 23 evangelii Matthaei, deinde interpretatio capituli 24 ejusdem evangelii, quae in codice A Dialogum atque Trialogum proxime antecedunt. Praeterea circiter duodecim minores tractatus a Wiclifo compositi in hoc volumine continentur.

Memoratu dignum videtur, quod ejus librarii nomen, qui longe maximam hujus codicis partem (f. 1—304) et exscripsit et correxit, in volumine ipso nobis traditum est. Joannes *de Tarnow* ad calcem Trialogi temporis momentum, quo libri scriptio perfecta esset, accuratissime indicavit his verbis: 'Correxi anno Domini MCCCCXIV; finivi post ascensionem Domini sabbato die ante horam 18. Amen.'

Unde liquet, scriptorem finivisse operam corrigendi Trialogi ante horam sextam post meridiem 17 Maji anni 1414. Librum in Bohemia scriptum esse, per horarum computandarum rationem patet.

Trialogus, ut supra monuimus, secundum voluminis locum, a folio 21 usque ad folium 124 obtinet. Liber lineamentis grandibus

gravibusque lucide quidem sed non sine multis scribendi compendiis exaratus est. Literae capitum initiales simplicem in modum ita pictae sunt, ut caerulei et rubri coloris vicissitudo spectetur. Primae singularum sententiarum literae rubris signis et ante literas et supra eas additis, nec non punctis lineisve intra literas ipsas minio rubro positis insigniuntur. Praeterea primi singularum orationis particularum versus rubris lineis subductis distinguuntur. Librorum Trialogi capita singula neque numerantur neque distinguuntur. Notae marginales rarae rerum graviorum summam innuunt. Neque desunt manuum aut digitorum imagines locis memoratu dignioribus ad marginem appositae. Correctoris manus frequenter deprehenditur atque eo facilius distinguitur, quo saepius ille rubro colore usus est. Idem corrector, qui procul dubio fuit Joannes *de Tarnow*, haud raro verba scripta ita emendavit, ut rectam atque genuinam lectionem introduceret, eandem quae in codice A. prima manu scripta deprehenditur. Duo prima voluminis folia indicem rerum in Trialogo expositarum exhibent alphabetico ordine compositum, qui circiter ducentas quadraginta notiones complectitur.

Codex C. olim numero 931, postea 403 (*Dénis*, l. l.), jam numero 4505 notatus, chartaceus, in 4°, foliorum 227, sine columnis per integra folia, non una manu perscriptus, quinque Wiclifi tractatus continet: 1. Dialogum; 2. Supplementum Dialogi; 3. Trialogum, f. 34—187; 4. Supplementum Trialogi; 5. Tractatum de salutatione angelica. Hic quoque, ut in Codice B. nomen hominis Bohemici, qui exaravit librum, in folio 23 ad calcem Dialogi adjectum fuit, sed postea, ut cum Michaële *Denisio* loquamur, 'a quodam pie inepto' erasum est. Deinde, cum in nonnullis voluminibus Wiclifi opera exhibentibus auctoris ipsius nomen cautionis causa prorsus omissum sit, auctoris nomen hoc in libro non plenis quidem literis exscriptum tamen paucis ita significatum est, ut dubitatio omnis excludatur. Namque ad calcem Dialogi, f. 23, haec invenimus scripta: 'Explicit dyalogus editus a rev. mag. Jo. de. Wy. sacre Theologie professore doctoreque evangelico Nacionis anglicane.'

Trialogi priores libri et minus venuste et cum innumeris scribendi compendiis perscripti, libri posteriores alia manu, atramento

nigriore, charactere crassiore, paucioribus scribendi compendiis, planius et distinctius exarati sunt. Literae initiales omnes simpliciori modo minio rubro pictae. Capitum indices breviores, non ubique sed plerumque additi, et ipsi minio rubro scripti. Rem in reliquis Trialogi codicibus haud inventam hoc in libro videmus, scilicet particulas capitum singulorum literis A. B. C. reliquis in margine adscriptis distinctas, id quod plerumque non sine judicio factum est. Praeterea argumentorum indicandorum causa glossae marginales apud librum primum et secundum frequentissime additae sunt, apud librum quartum multo rariores inveniuntur. Trialogum sequitur, ut supra dictum est, primo Supplementum Trialogi, deinde tractatus quidam brevior de salutatione angelica; huic denique succedit index locupletissimus rerum in Trialogo tractatarum, a folio $209^2$ usque ad folium 227 per binas columnas, i. e. per columnas 72 summa diligentia confectus. Ad calcem indicis numerus anni 1429 invenitur, qui non tam librarii quam lectoris aut possessoris alicujus aetatem indicare videtur.

Codex hic ut non una manu perscriptus est, ita minus aequalem Trialogi formam exhibet. Posteriorum enim librorum textus inde a libri III. capitulo 3 emendatior apparet, quam librorum priorum textus. Ceterum codex C. cum B. plurimum consonat, uterque haud raro correctorum ope easdem praebet lectiones, quas codex A. prima manu scriptas exhibet.

Codex D., olim numero 883, deinde 388 (*Dênis*, loco l.), nunc 3932 notatus, anno 1418 exaratus, folio minori folia 210 continens, per binas columnas linearum 55—64 charactere facili, quem cursivum appellant, probe scriptus, plures Wiclifi tractatus complectitur: 1. Trialogum, 2. Dialogum 3. plures sermones dominicales, 4. tractatum de sex jugis, 5. tractatum de Eucharistia, postremo dissertationem aliquam in Proverbiorum cap. 31 versum 10 et sequentes. Praeter hos tractatus procul dubio a Wiclifo ipso compositos insunt volumini duae commentatiunculae a discipulis quibusdam ejusdem Anglicis conscriptae, quarum prior, Dialogum sequens, in persecutorem aliquem 'piorum' i. e. Lollardorum invehit, posterior, tractatui de sex jugis succedens, de jure regis Angliae in clerum agit. Post finem Dialogi atque declamationis istum sequentis haec

invenimus: 'Anno milleno quadringentesimo decimo octavo per 'manus . . . (nomen ipsum erasum est)' finis est tria-dyaquelogi. 'Cui pro munere Cristus det regnum caeleste.'

Ceterum volumen hoc duplices habet foliorum singulorum numeros: recentiores numeri in dextra foliorum parte atramento scripti ab 1 incipiunt; antiquiores numeri cum in hac tum in illa foliorum parte minio rubro et charactere majusculo scripti a numero 121 ordiuntur et usque ad numerum 230 ordine continuo procedunt. Unde concludendum est, codicem hunc ab initio plures alios tractatus complexum esse, ita ut Trialogus non primum sed posteriorem aliquem locum obtineret.

Trialogus ipse hunc in modum transscriptus est, ut capita singula nunquam numeris suis distinguantur, plerumque vero literis initialibus majoribus et colore pictis, nec non novas lineas inchoando insigniantur. Ubi personae Alithia, Pseustis, Phronesis colloquentes sibi succedunt, nec literae initiales coloribus ornantur et textus lineis continuis perscribitur. Inde a libri III. capitulo 10 librarius festinante calamo multo saepius, quam antea, per incuriam lapsus est. Verborum interpuncta sexcenties vitiosissime posita sunt; saepissime textus distinctione caret, ubi novam inchoari sententiam patet; sed vix rarius literae majores, lineis aut punctis rubris insignitae, ad innuendum novae sententiae initium, extant medio in nexu et grammatico et logico. In notis margini adjectis cum errores per primam manum commissi corriguntur, tum summaria rerum in contextu expositarum minio rubro adscripta sunt charactere aliquantum crassiore et majore, quam quo textus ipse exaratus est; v. c. 'protestatio;' 'de ydeis,' similia. Sed inde a capitulo 29 libri IV. errores quidam charactere tenuiori ac pusillo per *manum tertiam* emendati sunt.

Hic codex non unam tantum ob causam reliquis praestat: primo *brevitate dictionis*. Reliqui libri saepius glossas quasdam, quae in codice D. desunt, textui ipsi insertas exhibent. Exempli causa in ingressu capituli 18 libri III. codex D. recte habet: 'peccatum omissionis est primum omnium.' Tres reliqui libri post vocem 'omnium' addunt: 'peccatorum,' quod vocabulum primo glossae instar in margine libri alicujus appositum esse, posthac in textum

ipsum receptum esse videtur. Deinde ubi auctor sententias biblicas testimonii instar affert, in codice D. breviter et simpliciter 'evangelium' aut 'fides evangelii' nominatur, in reliquis vero codicibus sacrae scripturae liber certus, caput etiam libri accuratius significari solet. Exempli causa lib. II. capitis 5 initio apud codicem D haec legimus: 'Ubi est haec fides *evangelii:* timete eum, qui potest tam corpus quam animam mittere in gehennam?' Ceteri vero libri hanc scripturae citandae formam ita amplificarunt: 'Ubi est haec fides *evangelii Matthaei* 10,' etc. Hoc in exemplo observare licet, qua via textus auctus fuerit. Matthaei enim nomen cum numero 10 in codice D. ad marginem annotatum est: librarii posteriores hanc glossam in textum ipsum susceperunt. Alia hujus generis exempla identidem inveniuntur. Unde patet, illum librum, ex quo codex D. transcriptus est, origini ipsi propiorem fuisse, quam libros, quibus librarii in exarandis codicibus A. B. C. usi sunt.

2. *Vocabulorum delectus* atque *verborum series* et *consecutio* apud codicem D. tantam simplicitatem, et tam nativum Latinitatis colorem prae se ferunt, qualem reliqui libri non exhibent. Exempli causa scriptor codicis D. innumeris in locis vocabulo demonstrativo '*iste*' recte utitur, ubi reliqui habent '*ille*.' Conjunctiones '*quod*' et '*ut*' in eodem libro rectius applicari solent, quam in ceteris libris. Consecutio temporum apud eundem emendatior deprehenditur, quam in codicibus reliquis. Verborum series haud raro diversa est a ceteris libris, et plerumque simplicior, emendatior, Latini sermonis ingenio aptior apparet. Quae omnia argumento sunt, librarium hunc fuisse doctum, linguae Latinae peritum, accuratum, praeterea libro usum esse emendatiori atque ad auctoris ipsius aetatem propius accedente.

Hic quoque liber et Dialogi et Trialogi indices exhibet ordine alphabetico compositos. In Trialogi indice per quinque columnas fol. 91 sq. circiter 130 rerum notiones continentur.

---

Libri quatuor Trialogum exhibentes, si eos uno quasi conspectu lustraverimus, in hoc consentiunt, quod sine exceptione omnes et Dialogum et Trialogum complectuntur, unde patet, ex sententia

illius certe aetatis conjunctionem aliquam inter utrumque tractatum intercedere. Verum non idem illis visum esse de Trialogo et Trialogi Supplemento, exinde concludimus, quod duo libri Trialogum exhibentes, scilicet B. et D., supplementum non item habent; illorum vero, qui utrumque exhibent tractatum, alter, scilicet A., supplementum neque ullatenus cum Trialogo conjunctum, neque 'supplementi' titulo superscripto praebet, unus tantum codex C., supplementum Trialogi proxime succedens continet hunc ordinem observans, ut primum locum Dialogus obtineat cum Dialogi supplemento, deinde Trialogus sequatur cum Trialogi supplemento.

Isti quatuor libri ita se habent, ut duplicem quasi familiam efficere videantur. Altera familia libris A. B. C. constat, alteram solus codex D. repraesentat. Hic enim, ut supra monuimus, brevitatis causa, qua excellere solet, et textus emendatioris ratione, origini atque auctoris ipsius scripto propinquior judicandus est, quam reliqui codices. Illi tres plurimis in locis adeo inter se consonant, ut unam quasi familiam sive 'recensionem,' quam vocant, efficere videantur.

Porro si quaeratur, quaenam ratio intercedat inter dictos codices atque editionem Trialogi principem, satis perspicuum est, rem non ita se habere, ut editores aut uno aut pluribus ex numero horum ipsorum codicum A. B. C. D. usi sint. Namque ne unus quidem eorum est, cui editio princeps ad verbum consonet. Editoribus vero non unum librum, sed ad minimum duos libros ad manum fuisse, supra observavimus. Etsi haud paucis in locis editio princeps cum libro D consentiat, tamen multo saepius cum reliquis codicibus facit, praesertim, et mirum in modum, cum codice B consonat. Quam ob causam conjicere licet, libros illos, quibus editores anno 1524 et sequenti, quo volumen typis expressum lucem vidit, usi sint, cum alteri familiae, cui noster codex D adnumerandus est, tum familiae alteri, ex qua reliqui codices, praesertim B, nati sunt, cognatos fuisse. Nullum autem horum quatuor librorum, qui usque ad nostram aetatem conservati sunt, sed prorsus alios libros editoribus praesto fuisse, nonnulla vestigia prodere videntur. Exempli gratia in libri II capitulo 10, ubi auctor Gregorii Magni auctoritatem appellat, editio princeps haec habet verba: 'Posuit Gregorius in Omilia:

Accesserunt ad Jesum publicani.' Atqui nostri codices ad unum omnes sola habent verba: 'Posuit Gregorius.' Sequentia autem: 'Omilia: Accesserunt ad Jesum publicani,' neque in textu neque ad marginem ullius eorum deprehenduntur. Unde liquet, editoribus alium quendam codicem ad manum fuisse. Et facile fieri potuit, ut libri quidam Wiclifi Trialogum exhibentes non Bohemicae originis sed ex Anglia ipsa allati ad editorum usum suppeditarentur. Et huc fortasse tendunt illa verba prologi, quibus humanissimus ille voluminis patronus de Wiclifo ait: 'typographi beneficio et opera non vulgari *ex longinquis adscitus*—prodit.'

## IV.

### *De ratione editionis hujus.*

Deliberantibus nobis, qua via ac ratione librorum manu exaratorum ope editio haec paranda esset, primo in mentem venit quod hi et illi praeceperunt. Ubi complures ac diversi codices conferri possunt, unus isque omnium optimus eligitur, cujus textus ad verbum exprimatur, reliquorum librorum lectiones variae nonnisi in annotatione significantur. Quod haud ita arduum esse liquet. Verum simul atque codices ipsos inspiciendi copia facta esset, nobis persuasimus, hanc viam in Trialogo codicum ope edendo ingrediendam non esse. Namque etsi codex D. multa propria et bona et genuina habeat, tamen res non ita se habet, ut unus iste liber reliquis adeo praestet, ut ei auctoritas praecipua et locus princeps tribuenda sint.

Itaque alia et difficiliori via incedendum nobis erat. Nihil enim reliquum fuit, nisi ut, quotiescunque libri inter se ipsos dissentirent aut ab editione principe secederent, quaereremus, quis potissimum liber sive qui libri rectam et genuinam testarentur verborum formam. Hac in re editio princeps nullius omnino ponderis esse poterat, libri soli manu exarati auctoritate aliqua pollere videbantur. Neque vero, ubi plures libri alteram, unus alteram lectionem tuebantur, illis prorsus assentiendum erat; sed saepissime unum pro-

bandum, ceteros omnes improbandos esse censebamus. Et ingenue confitemur, cum initio tres codices A. B. C. conferre licuisset, nos permultis in locis, quibus nullus illorum a parte editionis principis staret, hujus lectionem improbavisse, verum postquam codicis D. conferendi copia facta esset, lectionem receptam (ut ita dicamus) hujus libri auctoritate confirmatam restituisse. Igitur cum primo tres libros, aliquot mensibus post unum librum conferremus, factum est, ut de omnibus locis, quorum lectio dubia videretur, bis deliberandum, bis judicandum esset. Qua re sententiam a nobis latam maturiorem evasisse opinamur. Ceterum fieri non potuit, quin nonnullis in locis dubitatio relinqueretur, utra lectio praeferenda esset. Nihilo minus res decernenda fuit. Sed quis est mortalium, qui nullo in verbo erraverit? Ceterum ut cuique lectori copia praeberetur, suo arbitrio judicandi, quae lectio genuina videretur, in annotationibus breviter quidem sed diligenter significavimus, quinam codices lectionem variam exhiberent. Quis vero liber lectionem a nobis approbatam tueretur, exprimere eam ob causam superfluum videbatur, quod, cum nonnisi quatuor illi testes extarent, in promtu esset, quinam libri praeter codices in annotatione significatos relinquerentur.

Ubi verborum series et consecutio alia in libris manu scriptis alia in editione principe inveniebatur, plerumque nihil annotandum esse duximus, nisi forte sententia ipsa aliquantulum mutari videretur.

Praeter annotationes mere criticas lectores brevibus notis adjuvandos esse duximus, ubi aut voces quaedam rariores et sermonis scholastici propriae usitarentur, aut conjunctio verborum difficilior atque insolita esset, aut scriptores quidam laudarentur.

Legentium usui ut inserviremus, quotiescunque sententiarum nova series explicari inciperet, discrimen aliquod oculis conspicuum statuendum esse duximus.

De *ratione vocabulorum* in editionibus criticis *scribendorum* inter viros doctos nostrae aetatis non omnino constat. Sunt qui librorum manu exaratorum scriptionem quam accuratissime observandam et repetendam esse judicent. Sed ut nostrorum codicum consuetudinem quasi legem et normam scribendi haberemus, a nobis impetrare

complures ob causas nequivimus. Primum codices isti in verbis scribendis haud exiguum inter se differunt. Deinde ne unus quidem in scriptione sibi ipsi constat. Verum a scriptione codicum istorum omnino recedere atque eam scribendi rationem sequi, quae per duo proxima secula in consuetudine fuerit, arbitrii potius quam fidei historicae esse dixerimus. Namque librorum seculo XIV. compositorum aliam esse formam, alium sermonis Latini colorem, alium denique verba scribendi modum, quam operum seculo XVI. aut XVIII. compositorum, ex rei natura sequitur. Praesertim cum homines seculi XIV. Graecarum literarum plerumque expertes essent, rei ipsi consentaneum videtur in vocabulis Graecae originis scribendis consuetudinem illis codicibus propriam et constantem sequi, ita ut scribatur *ydea*, *phisicus*, *metaphisici*, *anathomia*, *armonia*, *caribdis* (charybdis), *discrasia*, *discolus* (dyscrasia, dyscolus), *ethromogenius* (heterogenius), *martires*, *martirium*, cetera. Deinde nomina propria eadem ratione, qua in libris ipsis exprimi solerent, repetenda esse censuimus, itaque aetatis mediae more scripsimus: *Anshelmus*, *Cayn*, *Possidonius* etc. Denique formae quaedam duriores, sed in Latinitate medii aevi usitatae, velut *abhominabilis*, *habundare*, *templare*, *contemptus*, aliae, ad speciem aetatis illius repraesentandam facere visae sunt. Illam vero consuetudinem, qua *e* loco literae ae, *ci* loco *ti* usurpantur, vocabulorum formae ambiguae fiunt, vitandum censuimus, nec scribendum: 'mercantur cum *empcione uenie et delecione* peccati' (III. 7) nec: 'Homo ut fuit propinquior *sue perfeccioni primeue*, fuit *longeuior* in corpore, *forcior* et *decencior*' (III. 24).

Sed satis de his rebus minutioribus. Denique speramus fore ut veritatis studiosi Trialogum viri egregii nostra opera emendatum facilius et lubentius perscrutentur atque aequiore animo dijudicent.

## V.

## *De Supplemento Trialogi.*

Postremo de Supplemento Trialogi, hic primum typis exscripto, nonnulla observanda sunt.

Etsi duo soli libri et Trialogum et Supplementum exhibeant, nonnisi unus hunc tractatum Trialogo ipsi uno quasi tenore succedentem praebeat, tamen non desunt vestigia, quibus pateat, discipulis Wiclifi hunc tractatum visum esse arcta quadam necessitudine cum Trialogo conjunctum. Scilicet in duplici librorum et tractatuum a Wiclifo conscriptorum indice, qui in codicibus Vindobonensibus (No. 391 et 393, *Dénis*) deprehenditur, tractatus iste 'supplementum Trialogi' appellatur, etsi in utroque dupliciter inscribitur. In altero enim (393) invenimus: 'De dotacione ecclesie seu supplementum trialogi;' in altero vero (391): 'Supplementum trialogi, id est de dotacione ecclesie, et debet stare immediate post trialogum.' Cf. Shirley, *A Catalogue of the Original Works of John Wyclif*, Oxf. 1865, p. 56 sq., praesertim p. 62. 68.

Verum etiam adversarii, qui illa aetate floruerunt, tractatum nostrum ut Trialogo annexum commemorant. Duo certe viri, qui initio seculi XV adversus Wiclifum ejusque asseclas scripserunt, et Trialogum et Supplementum Trialogi appellant. *Guilielmum Woodfordum* dicimus atque *Thomam Waldensem*. Ille in commentatione inscripta: 'Articuli Johannis Wiclefi Angli, impugnati a *Wilhelmo Wodfordo*,' apud *Edwardum Brown*, 'Fasciculus rerum expetendarum et fugiendarum,' Lond. 1690, f. Tom. 1. p. 217, 'Supplementi' mentionem injicit capitis quinti locum aliquem afferens. Hic in opere inscripto: 'Doctrinale antiquitatum fidei ecclesiae catholicae,' capite 24 libri primi, sententiam aliquam capitis 8 (ipse nominat c. 9) ex 'supplemento trialogi' recitat, nec non aliis in locis tractatum istum nomine hoc appellat.

Nec discipuli aut adversarii soli ita sensisse videntur, sed magister et auctor ipse commentationem hanc cum Trialogo arcte conjunxit. Namque post capitis primi initium locus aliquis Trialogi ita commemoratur, ut hic tractatus pars quaedam Trialogi esse videatur. Cum enim scriptor leges quasdam 'recitatas decimo quinto et sedecimo capitulis quarti libri' appellet, haud aliter loquitur ac si in quinto ejusdem operis libro scribendo esset. Prorsus eodem modo Joannes Wiclifus in voluminosa illa, sed hunc usque ad diem prorsus inedita, 'Summa' locos quosdam priorum *ejusdem* operis librorum, verbi causa operis *De Dominio*, in lectorum memoriam revocare solet. Itaque haec citandi forma innuere videtur, ab auctore ipso Supplementum

cum Trialogo ita conjunctum fuisse, ut hujus quasi partem aliquam efficeret.

Ceterum tractatus hic non cum omnibus Trialogi partibus aequabili ratione connectitur, ad primos enim tres libros nullatenus refertur, nec nisi cum partibus nonnullis libri quarti conjunctus est. Totus enim circa dotationem ecclesiae quasi cardinem vertitur, quam ob rem in aliquot libris manu exaratis haud falso 'De dotatione ecclesiae' inscribitur. Sed hac in re particulari atque externa auctor ingeniosissimus ita versatur, ut schisma papale brevi antea exortum, vitia atque errores, quibus ecclesia laboret, pericula quibus pii obviam eant, scripturae sacrae auctoritatem summam, denique ecclesiae in melius reformandae viam ac rationem explicet. Quo factum est, ut haec commentatio imaginem quandam Wiclifi in spatio angustissimo expressam exhibeat.

Quo *tempore* tractatus hic compositus sit, ex eo ipso concluditur, quod nonnisi post Trialogum scribi potuit. Stat igitur, Supplementum ante annum 1383 sive sequentem scriptum non esse. Qua cum re nonnulli commentationis loci consentiunt. Scilicet non solum schisma magnum ecclesiae occidentalis anno 1378 inchoatum sed etiam contentiones et bella inter Urbanum VI. et Clementem VII. atque inter populos utrique faventes orta capite 4 et 9 commemorantur. Accedit, quod auctor doctrinam Romanam de transsubstantiatione, quae in sacra coena fieri perhibetur, capite 7 et 8 impugnat, atque in ordines mendicantium ut fortissimos tyrannidis papalis atque errorum ecclesiae adjutores capite octavo invehit, id quod ab auctore nostro ante annum 1381 factum non esse supra monuimus. Postremo concilii etiam Londinii anno 1382 habiti sed terrae motu turbati capitulo octavo non semel mentionem injecit. Unde elucet, tractatum istum vix ante annum aut 1383 aut 1384, sub cujus finem Wiclifus ipse mortem obiit, consummatum esse.

Supplementi *forma* a Trialogo eo distinguitur, quod illud non ut hic ad instar colloquii compositum est sed dissertationem aliquam uno tenore perductam exhibet. Itaque sermonis initium ad modum disputationis scholasticae dispositum est. Primo quaestio ipsa proponitur. Deinde respondetur, 'quod sic,' i.e. asseritur, quod quaesitum erat, argumentis aliquot pro hac parte allatis. Postea rationes aliae ad quaestionem negandam afferuntur atque explicantur. Postmodum

vero, scilicet inde a capite tertio, disputationis in utramque partem factae forma dimissa, tractatus noster orationis potius sive commentationis speciem refert. Itaque Supplementum ad formam Trialogi hac tantum ratione propius accedit, quod in Trialogo ipso haud raro dialogi species et auctori et lectoribus in oblivionem venit.

Ut Trialogum ita ejus Supplementum nonnisi quatuor libri Vindobonenses exhibent, sed haud prorsus iidem. Sunt enim duo tantum, qui utrumque complectantur.

Codex A, apud *Dénisium* numero 384, nunc numero 1387 notatus et supra (III p. 21.) descriptus, inde a folio 115 usque ad folium 123 exhibet 'Tractatum de dotacione ecclesie,' sic inscriptum. Ceterum in calce haec invenimus: 'Explicit supplementum trialogi.' Liber hic etsi textum plerumque haud vitiosum exhibet, tamen sententiarum interpunctionem saepius erroneam quam rectam praebet.

Codex C, apud Dénisium numero 403, nunc autem numero 4505 notatus, et ipse supra (p. 23.) descriptus, post Trialogum inde a folio 188 usque ad folium 207[a] Supplementum Trialogi exhibet manu minus venusta et lectu difficiliori cum plurimis scribendi compendiis exaratum, sub finem vero negligentissime scriptum. Textus ab exemplo libri alicujus minus bene correcti exscriptus cum hanc ipsam ob causam tum per librarii incuriam et negligentiam mendosior factus est. Notae marginales omnino nullae extant.

Reliqui libri solum Supplementum, sine Trialogo, habent. Hos siglis a. b. notavimus.

Codex a, apud Dénisium 379, nunc numero 1338 in bibliotheca Vindobonensi notatus, membranaceus, in 4°, per binas columnas, quarum unaquaeque 46 lineas amplectitur, manu venusta atque aequabili paucioribus cum scribendi compendiis diligenter exaratus est. Capitula tractatus istius singula numeris suis distincta, notae ad marginem rarius adjectae, textus ipse satis emendatus, etsi haud primo ex fonte haustus.

Denique codex b, apud Dénisium numero 385 nunc numero 3929 notatus, chartaceus, in folio per binas columnas exscriptus, complectitur viginti novem tractatus Wiclifi ipsius, cum prolixiores tum breviores, postremo autem commentationem ab aliquo ejusdem discipulo compilatam. Supplementum inde a folio 170[b] usque ad f. 181[b] invenitur

absque titulo superscripto, sed ad calcem tractatus additum est: 'Explicit supplementum trialogi.' Capitula singula numeris suis carent, sed novas lineas inchoando et literis initialibus grandioribus et minio rubro delineatis insigniuntur. Manus non venusta quidem sed aequabilis neque difficilis lectu, etsi librarius scribendi compendiis haud ita parce usus est. Textus ipse probus et bene correctus. In margine ea argumenta, quae memoratu digniora visa essent, identidem notata sunt.

Cum libros hos textus ipsius respectu inter se conferremus, hanc sententiam ferendam esse censuimus, codices A. et b. sibi fere aequales esse, inferioris vero pretii libros C et a habendos, cum liber C ex libro A, codex *a* e codice *b* derivati esse videantur. Deinde sicut in Trialogo recensendo, ita in Supplemento primum edendo res non ita se habere visa est, ut unius libri vestigia premenda, reliquorum codicum lectiones variae nonnisi annotandae essent. Namque ex ipsis etiam melioris notae libris, scilicet A et b., textus satis correctus atque approbandus hauriri non potuit, cum nonnullis in locis libri omnes in unam eandemque falsam formam inter se consentiant. Itaque editori nihil reliquum erat nisi ubique deliberare et justa lance aestimare, quae lectio eligenda, quae reprobanda esset.

Capitum singulorum argumenta cum in omnibus libris Supplementum continentibus significata non sint, quantum potuimus optime expressimus.

Postremo pauca subjungere liceat. Commentationem de 'Wiclifo et Lollardis' cum tribus lustris abhinc scriberemus (*Zeitschrift für historische Theologie*, 1853, 416 sq.; 1854, 167 sq.), abstinere non potuimus quin ingenue confiteremur, nos quam maxime optare, ut *Wiclifi* opera omnia, quotquot in bibliothecis aut Angliae Hiberniaeque aut Germaniae hucusque conservata essent, tandem aliquando ederentur et virorum doctorum studiis aperirentur (cf. ibidem p. 423, in fine notae 15); hoc fore monumentum viro ecclesiae reformandae antesignano dignissimum, quo erigendo Anglici non istum solum sed etiam se ipsos honore affecturi essent. Neque virorum ad opus tam arduum suscipiendum idoneorum neque rerum ad hoc perficiendum requirendarum penuriam in Anglia futuram esse auspicati sumus.

Jam in eo est, ut opus illud, quod animo informaveramus, non

omnibus quidem numeris sed ex parte saltem perficiatur. Igitur merito laetamur, Wiclifi opera, si non omnia, tamen selecta, cum Latino tum Anglico sermone scripta edi. Nec exigua est gaudii nostri materia, quod nobis quoque concessum sit, hujus operis socios esse.

At magno animi dolore perfundimur, quoties viri egregii reminiscimur, qui sicut aliis tractatibus edendis scribendisve de accuratiore *Wiclifi* cognitione optime meruit, ita inter omnes nostrae aetatis primus eo tendere coepit atque id assecutus est, ut opera *Wiclifi* selecta ex fontibus limpidissimis hausta in lucem proferrentur. Walterum Waddington *Shirley* dicimus, qui et academiae Oxoniensis sociis discipulisque et nobis flebilis circiter anno abhinc mortem obiit. Faxit Deus, ut hujus viri memoria, cui divinitus permissum non fuit opus hoc perfectum atque absolutum videre, ab animis piis gratisque perpetuo recolatur!

GOTTHARDUS LECHLER.

LIPSIAE, 26 *Nov.*, 1867.

# TRIALOGUS.

# PROLOGUS[1].

Cum locutio ad personam multis plus complacet quam locutio generalis, et mens multorum qui afficiuntur singularibus, ex tali locutione acuitur, videri posset[2] multis utilis quidam *Trialogus*, ubi primo tanquam *Alithia*[3] solidus philosophus[4] loqueretur, secundo infidelis captiosus tanquam *Pseustis*[5] objiceret, et tertio subtilis theologus et maturus tanquam *Phronesis* decideret veritatem.

[1] Prologus] Codex A habet superscriptum: 'Incipit Prologus Trialogi.' [2] videri posset—Trialogus] vidimus, quod posset multis utilis quidam esse Trialogus, editio princeps. [3] tanquam Alithia] Alithia tanquam, ed. pr., Cod. B.C. Ceterum omnes libri manuscripti ab initio usque ad finem habent: Alathia. [4] philosophus] theologus, A.B.; C. primae manus, ed. pr.; philosophus, D. et C. secundae manus. [5] pseustis] pseudis, ed. pr.—Pseustis i.e. ψεύστης.

# TRIALOGUS.

## LIBER I.

### CAPUT I.

*Deum esse primam omnium rerum causam.*

*Alithia.* Licet dixit insipiens in corde suo, 'non est Deus,' tamen videtur supponendum omni homini[1], *Deum esse*; quia aliter tibi nemo negaret[2] aliquid vel aliquam veritatem esse, cum negando illud statim concederet ejus oppositum; quia si aliquid est, illud vel est finitum[3] vel infinitum, sive sic, sive sic; vel illud vel causa illius est Deus; cum supponitur, omne quod est prima causa, non causatum ab alio, esse Deum. Et[4] extendo hoc nomen '*aliquid*' ad omne ens, vel per se vel aggregatum, vel affirmativam vel[5] negativam vel possibilem veritatem. Deum esse.

*Pseustis.* Praecipui logici multipliciter[6] sic instarent: non claudit contradictionem formalem, nullum ens esse, cum ex nulla negativa sequatur formaliter affirmativa; non ergo sequitur proprie logico[7], Deum esse, quia tunc sequeretur formaliter, si nihil est, aliquid[8] est. *Item*[9] stat, veritatem esse, cum hoc, quod non sit aliquid; cum veritas potest esse, quod nihil sit; et tunc non est aliquid. Et *tertio* possibile est, esse processum in infinitum in causationibus[10]: non ergo sequitur, si causa est, Instantiae logicae opponuntur.

[1] omni homini] omnium hominum, ed. pr. [2] negaret] negat, D. primae manus. [3] esse cum negando—vel est finitum] om. B. [4] et] om. D. [5] vel] aut, ed. pr. [6] multipliciter] om. D. [7] proprie logico] pro bono logico, D.; pro primo loco, ed. pr. B.C. [8] aliquid] tunc aliquid, D. [9] Item] Iterum, D. [10] causationibus] talibus, D.; causalibus, ed. pr. C.

tunc prima causa est, cum in ordine causarum homo posset procedere infinite. Sicut enim diviso lumine in suas partes proportionales minores, versus luminosum, prima pars proportionalis causatur a secunda, et sic in infinitum, et sic etiam in[1] infinitis casibus, in quibus[2] oportet procedere infinite.

Instantiae redarguuntur.

*Phronesis*. Soror nostra[3] mature procedit concedens, quemlibet oportere concedere Deum esse; et tuae instantiae sophisticae non concludunt. Et sic ex qualibet negativa oportet concedere sequi formaliter affirmativam, quia Deum esse, quae[4] est prius formaliter, quam veritas de possibili, vel aliqua[5] negativa; cum sequatur formaliter, nihil est, ergo veritas est, quod nihil est; cum antecedens nihil ponit, nisi quod in suo consequente formaliter implicatur; et sic ex negativa formaliter sequitur affirmativa, licet insipiens illud[6] neget. Nec quaelibet affirmativa indifferenter sequitur ex qualibet negativa, sed affirmativa vehementis existentiae, cujusmodi concedimus Deum[7] esse. Et sic quantum ad *secundum* argumentum, patet, quod si veritas est, tunc[8] simplex veritas est, et sic Deus est, quia si sit ordo causarum, causa prima est, quam supponimus esse Deum. Quantum ad *tertiam* instantiam de processu in infinitum, patet, quod omnis talis processus, quem false infinitum dicimus, est resolubilis[9] ad finitum, cum omne individuum resolubile sit ad speciem, et omnis multitudo specierum est resolubilis ad genus; et sic infinitas, quam false vocas in partibus luminis vel sui subjecti, resolubilis est ad suum integrum, et[10] illud integrum in aliud, et ita quousque deveniatur ad primum[11] corpus, quod est mundus, et sic de partibus mundi, quae sunt spiritus. Et breviter, cum nobis infinitum[12] sit demonstrabile, manifeste repugnat, quod aliqua sit veritas, nisi sit prima veritas infinita, et illa supponitur esse Deus. Deus autem est prima et simplex affirmatio sequens ad quamlibet veritatem, sic quod claudit contradictionem formalem, aliqualiter esse, vel aliqualiter posse esse,

[1] etiam in] de, D. [2] in quibus] quibus, A.B.C. ed. pr. [3] nostra] A.B.C. [4] quae] quod, C. [5] aliqua] alia, A.B.C. ed. pr. [6] illud] mea, istud, D. [7] Deum] omittit, ed. pr. [8] tunc] om. A.B. [9] infinitum dicimus, est resolubilis] vocas infinitum, dicimus esse resolubilem, A.B.C.; infinitum dicimus esse resolubilem, ed. pr. [10] et] et sic, D. [11] primum] finitum, A.B.C. ed. pr. [12] infinitum] infinitas, ed. pr.

nisi Deus sit. Ideo bene[1] dicunt metaphisici, quod veritas prima sequens ad quamlibet[2] aliam est, *Deum esse*, quae non differt a *Deum posse esse*, aut Deum non esse diabolum, et sic de aliis veritatibus negativis. Verum tamen hic faciunt logici distinctionem inutilem[3], quod aliqua est distinctio realis et alia distinctio rationis. Quamvis autem inter dictas veritates non sit distinctio realis, est tamen inter eas distinctio rationis; et sic licet *Deum esse* sit prima veritas, tamen *Deum posse esse* est prior veritas rationabiliter[4] intelligendo. Ista autem verba sunt infructuosa et contentiosa; ideo sufficit theologo concedere, quod prima veritas sit *Deum esse*, et illa est natura divina, inferens per se vel per media[5] quamlibet aliam veritatem. Et instantiae sophistarum in illa materia non sunt dignae memoria.

## CAP. II.

*Deum superiorem esse omni genere.*

*Alithia.* Habito, quod prima veritas sit, Deum esse natura[6] divina vel ipsa deitas et sic omnium nominabilium prima causa, manifestum est, quod non sit aliquod[7] genus vel ejus individuum, sed naturaliter supra genus; quia si foret genus vel ejus individuum, reciproce causaretur, cum omne universale superius causat suum inferius et e contra, cum in diversis generibus causandi communiter hoc contingit. Est ergo Deum esse ante omne genus, omnem speciem vel omne individuum, cum sit causa cujuslibet illorum[8], et non reciproce est causatum. Et cum totum genus causae materialis a genere formae, et totum genus formae[9] per se causatur a causa efficiente et finali, manifestum est, quod deitas sit causa[10] efficiens et finalis cujuslibet quod causatur; et per consequens ipsa est indivisibilis omnino secundum partes quantitativas, qualitativas vel quidditativas, cum

Deus neque genus neque individuum est.

[1] bene] vere, D. [2] quamlibet] quamcunque, ed. pr.; cum B.D. [3] inutilem] multiplicem, B.C. A. primae manus. [4] rationabiliter] rationaliter, ed. pr. [5] media] mediam, B. [6] natura divina—ipsa deitas—prima causa] naturam divinam—ipsam deitatem—primam naturam, ed. pr. [7] aliquod] aliud, ed. pr. [8] illorum] istorum, D. [9] formae] fortissime, ed. pr. [10] causa] om. ed. pr. cum C.

penitus caret causa. Et ad illam notitiam pervenerunt[1] philosophi; ex quo patet *Platonis* sententia, quod Deus est superior omni[2] narratione, et non deficiunt linguae de ipso loqui[3], nisi propter excellentiam sui esse. Ex quibus patet, quod mundani intelligentes ipsum imperfecte[4] concipiunt cum phantasmatibus ipso posterioribus, quae phantasmata cum intellectu Dei sunt commixta. Ideo dicit *Aristoteles*, quod, licet Deus sit manifestissimus in natura, tamen acutissimus ingenio se habet ad ipsum[5] sicut nocticorax[6] ad solis radios intuendum. Et sic deitas non potest esse materia vel forma, cum cujuslibet talis oportet esse causam.

Deus est aeternus,

Ex[7] istis sequitur, quod deitas sit *aeternaliter* et ubique, quia si aliqua sit mensura prior deitate, ipsa non foret prima causa, quia mensuratum mensura hujus modi foret prius; et[8] ideo mensura deitatis proprie vocatur aeternitas, quae est omnino indivisibilis, et cum sit ipse Deus, non accidentaliter sibi inest, nec habet prius et posterius sicut tempus. Et[9] necessario Deus est *ubique* et immensus, quia modus existendi rei spiritualis est regere et causare; Deus autem ubique regit et causat; ideo modo suo necessario est ubique. Est autem *immensus*, quia, si infinitum mundum produceret, foret localiter infinite; ideo cum mensura loci non mensurat quantitatem Dei, patet, quod proprie est immensus. Sic enim[10] est *infinitus*, quia sine fine et per consequens sine causa alia mensurante; non tamen[11] est infinitae potentiae in vigore, sic quod infinitum mundum potest producere; sed quia est maximae potentiae positivae, per nullam aliam potentiam finitatae[12]. Ideo peccat imaginatio illa, quae imaginatur, Deum esse localiter mensuratum vel dimensionaliter figuratum. Sed est totus ubique sine dimensione, qui habet omnes denominationes hujusmodi satis aequivoce et positive ac privative quodam modo infinite. Dicunt enim[13] denominationes illae illud quod convenit perfectioni simpliciter infinitae, et illud

et ubique.

Deus est immensus

et infinitus.

[1] pervenerunt] devenerunt, D. [2] omni] omnium, ed. pr. [3] loqui] loquendo de ipso, D.; ed. pr. [4] imperfecte] perfecte, ed. pr. [5] ad istum] om. ed. pr. [6] nocticorax] nycticorax, ed. pr. [7] ex] et ex, A.D. [8] et ideo] ideo, D. [9] Et] Ideo, A.C. [10] enim] etiam, B.C. ed. pr. [11] tamen] quod, D. [12] finitatae] i. e. finitae, circumscriptae; finientem, A.B.C. primae manus. [13] enim] autem B.

quod convenit perfectioni creaturae, quae est imperfectio quodammodo privative.

Deo inest conceptus proprius.

Et sic tollitur instantia sophistarum, qui quaerunt et arguunt, utrum Deo conveniat *conceptus* aliquis proprius positivus. Et certum est, quod sic; intelligendo per conceptum *actum animae*, et non rem aliquam, quae poterit per se esse, sicut haeretici somniant in materia[1] de hostia consecrata; sed est accidens respectivum de genere actionis. Diffusius autem tractatus istius materiae expectat tractatum de anima.

*Phronesis.* Licet soror nostra sit parvula quantitate, est tamen magna scientia et virtute; non enim habes quidquam quod possis sibi objicere in hac parte.

Argutia hauritur ex Anselmi notione: majus Deo.

*Pseustis.* Balbutit ut amens vel somnians materiam quam non fundat, et ita abstracte loquitur, quod non admittit sermones logicos, nec principia per se nota; non enim ad nos loquitur; sed audeat tractare communem sententiam istius materiae, et patebit[2], quomodo objiciemus satis valide contra illam. Sequitur enim ex ejus principiis, quod Deus sit *quo majus excogitari*[3] *non potest*, ut loquitur *Anshelmus;* sed nec verba[4] nec sententiam illam scit ipsa defendere; nam si intelligit hanc negativam, nihil[5] potest intelligere majus Deo, cum illa sint contradictoria incomplexa, 'nihil majus Deo,' et 'aliquid majus Deo;' et primum intelligit sicut dicit, igitur secundum intelligit; cum aliter non judicaret illa esse contradictoria, cum judicium non superat intellectum. Similiter omnes logici et rectilogi conveniunt in hoc, quod homo potest multa intelligere, et per consequens terminus multa significare, quae non possunt esse; quare ergo non potest homo *intelligere* majus Deo? licet nihil possit[6] *esse* majus[7] Deo. Dic igitur tu pro ipsa, quid adaequate significat ille terminus, 'majus Deo[8]?' Similiter imaginativa inferior intellectu imaginatur montem aureum, sicut philosophi loquuntur de tragelapho[9], et hircocervo. Praeterea[10] sophista objiceret[11], quod suus socius sit chimaera aliqua, ergo significant isti termini,

[1] in materia] om. C. ed. pr. [2] et patebit] materiae. Patebit, ed. pr. [3] excogitari] cogitari, ed. pr. [4] verba] vera, D. [5] nihil] omne quod, ed. pr., cum C. primae manus; verbum 'nihil' omittit D. [6] possit] potest, ed. pr. [7] majus] magis, B. [8] dic—majus Deo] om. ed. pr., fortasse difficultatis causa. [9] tragelapho] B., ed. pr. traielapho. [10] Praeterea] Imo, D. ed. pr. [11] objiceret] objicit, D.

licet ipsa nullatenus possunt esse. Sic enim putat aestimativa de umbra in noctibus, quod sit homo; sed quid impossibilius quam umbrarum judicium, quod vivunt, moventur per se, et sunt qualecunque corpus quod hic sentitur; et sunt ad hoc tam experientiae quam scripturae.

Argutia illa refutatur.

*Alithia.* Ista sophistica concessio videtur mihi nimis difficilis; concedunt[1] enim, nedum quod intelligis aliquid quod non intelligis, imo quod tu intelligis aliquid[2] quod non potes intelligere; ergo juxta argumentum praecedens intelligis illud, quod[3] iste terminus adaequate significat; sed juxta praedicta ille terminus solum adaequate significat aliquid, quod tu non potes intelligere[4]; ergo tu intelligis aliquid quod tu non potes intelligere. Similiter videtur sequi plana contradictio ex hac via, ut puta, quod aliquid quod potes intelligere, intelligis[5], et nihil quod potes intelligere, intelligis. Nam secundum videtur esse verum, cum intelligis istum terminum[6]: 'nihil quod potes intelligere,' et sic intelligis, quod iste[7] terminus adaequate significat; et sic loquendo significative et non materialiter, nihil quod potes intelligere, intelligis. Sed ubi est manifestior contradictio? cum sit[8] proximum principium per se notum, quod solum quod intelligis, intelligis: et tamen sophista concedit[9], quod aliud quam intelligis, intelligis; et sic contradicit expositioni communi, et obviat multipliciter sibi ipsi. Nam proposito sibi, 'solum quod intelligis intelligis,' concedendum[10] videtur sicut universalis secum convertibilis, 'omne quod intelligis, intelligis;' et tamen quando sic argumentatur, 'aliud quam intelligis, intelligis, ergo falsum est, quod nihil aliud, quam intelligis, intelligis; et per consequens falsum est, quod solum quod intelligis, intelligis;' non habet colorem negandi assumtum[11], quia respondendo ad propositionem illam oportet concedere, quod intelligendo illum terminum 'aliud quam intelligis' intelligas[12] aliud quam intelligis. Similiter sequitur, quod potentia tua intellectiva sit simpliciter infinita,

[1] concedunt] concedit, A. [2] aliquid] om. A.B.C. ed. pr. [3] quod] quid, ed. pr. [4] ergo tu—intelligere] om. D. [5] intelligis] A. addit: cum intelligis illum terminum: 'aliquid quod potes intelligere.' [6] istum] illum, A.B.C. ed. pr. [7] iste] ille, A.B.C. ed. pr. [8] sit] sic, ed. pr. [9] concedit] contradicit, ed. pr. cum B. [10] concedendum videtur] quod videtur, ed. pr. [11] assumtum] argumentum, B.C. ed. pr. [12] intelligas] intelligis, B.C. ed. pr.

quia Deus non potest intelligere plus quam tu potes[1], et tu[2] intelligis plus quam Deus potest intelligere; quomodo ergo non superat potentia tua intellectiva potentiam intellectivam Dei? nam tu intelligis istum terminum 'plus quam Deus potest intelligere,' ergo[3] juxta evidentiam priorem, per illum terminum sic significantem tu intelligis plus, quam Deus potest intelligere; et sequuntur[4] conclusiones infinitae, quas ethnicus abhorreret[5].

## CAP. III.

*Disquisitio logica interponitur.*

*Phronesis.* Iste punctus non est multum realis sed verbalis, laborans in aequivocis, et videtur quod soror nostra partem habeat saniorem. Sed pro intellectu utriusque partis notandum, quod quaedam est suppositio pure significativa, et quaedam pure materialis, quaedam autem mixta. *Pure* autem *significativa suppositio* est, quando terminus pure supponit pro re, quam significat extra se ipsum[6]. *Suppositio* autem *pure materialis* est, quando terminus supponit pure pro se ipso, vel secum analogo. Sed *suppositio mixta* est, quando terminus mixtim supponit[7], pro suo significato ad extra, et etiam pro se ipso; et illa mixtio confundit plures respondentes, ut patet in illa materia et in materia insolubilium. Unde ad exprimendum illam suppositionem mixtam utebar, quando fui junior, hoc adverbio 'sic' loco illius conjunctionis 'quod,' ut: 'insipiens dixit in corde suo *sic:* non est Deus;' et non dixit, sicut non potuit dicere, '*quod* non est Deus;' et per hoc respondi ad omnia argumenta. Et ita concedi debet, quod nihil majus aut melius[8] Deo potest cogitari, quia hoc dato, inferri debet ex talibus; hoc potest cogitari, et hoc est[9] vel potest esse majus Deo; quia si haec singularis foret sufficiens, *hoc intelligis*[10] *esse majus Deo,* tunc[11] omnis terminus transscendens vel impossibilis significaret infinita, quae Deus non

Difficultas solvitur distinguendo.

[1] tu potes] potest, D. [2] tu intelligis] non intelligis, ed. pr. [3] ergo] om. A.B.C. ed. pr. [4] sequuntur] sequentur, D. [5] abhorreret] abhorret, ed. pr. [6] se ipsum] ipsum, D; se ipsam, A. [7] supponit] om. ed. pr. [8] majus aut melius] melius aut majus, ed. pr. [9] est] om. ed. pr. [10] intelligis] intelligitur, D. [11] tunc] nunc, ed. pr.

potest intelligere, quia significat hoc aliquo[1] demonstrato, et hoc[2] potest intelligi esse aliquid quod Deus non potest intelligere, et sic quilibet terminus praecise[3] significaret[4], quod Deus non potest intelligere vel causare; sed illa est conclusio detestanda. Ideo extendendo 'esse' ad omne esse possibile, videtur taliter expositorie esse arguendum: hoc ille terminus significat, et hoc est melius Deo, ergo melius Deo iste terminus significat. Sed minor est neganda ut impossibile[5], cum nihil potest esse melius Deo; et per hoc respondeo ad triplex argumentum Pseustis, cum sibi similibus.

Respondetur ad primum argumentum Pseustis, p. 43.

Ad *primum* conceditur, quod termini dati sunt contradictorii, scilicet '*majus Deo*,' et '*nihil majus Deo*,' cum primus terminus significat *sic*, et secundus *sic non*, quia primus terminus[6] significat hoc, et hoc potest esse vel est intelligibile esse majus Deo; et sic quaelibet res, cum sit intelligibilis esse major Deo, foret aeque pertinens tali demonstrationi, ut aliqua. Et sic nullus terminus significat vel significare potest[7] majus Deo. Concedi tamen potest[8], quod tu intelligis, quid ille terminus significat, quia significat Deum et omne significabile ratione suarum partium, sed non significat majus Deo, licet significat[9] sic majus Deo, cum nullus terminus significare poterit, nisi quod *est*, et per consequens quod *potest esse*, quia omne quod habet esse intelligibile, est in Deo. Et sic juxta logicam Pseustis Deus haberet in se infinitos Deos infinitum meliores se[10]. Sic enim concedit evangelista[11], quod 'omnis creatura facta fuit vita in ipso,' quia omne significabile foret secundum esse intelligibile ipse Deus. Et juxta illam locutionem deliram, Deus foret res monstruosissima rerum mundi, imo quodlibet nominandum; sed procul a fidelibus ista insania[12]! Et ita licet judicium non superat intellectum, et intellectus intelligit, illa[13] esse contradictoria incomplexa, et[14] intellectus intelligit, illum terminum 'majus Deo' significare sic majus Deo; tamen non sequitur, ergo intelligit majus Deo.

[1] aliquo] argumento, ed. pr. [2] hoc] haec, ed. pr. [3] praecise] praecipue, ed. pr. [4] significaret] significat, A.B.C. ed. pr. [5] impossibile] impossibilis, D. [6] quia primus terminus] cum pr. term. A.; quia cum primus, ed. pr. [7] potest] poterit, D. [8] potest] D. ed. pr. debet. [9] significat] significet, D. [10] deus—meliores se] haberet deos in se infinitos in infinitum, meliores se infinita, ed. pr. [11] evangelista] evangelium Johannis I, A.B.C. ed. pr.; cf. Joh. I, 3, 4. secundum versionem vulgatam. [12] insania] vesania, D. [13] illa] om. ed. pr. [14] et] om. ed. pr.

Ad *secundum* dicitur, quod falsum[1] assumitur, ac si Pseustis peteret quod probaret; cum nemo potest quidquam intelligere, nec etiam Deus ipse, nisi quod habet esse in Deo, et sic secundum esse intelligibile est[2] ipse Deus. Sed nota[3] quod non sequitur: ista res, quae habet existentiam, est secundum esse intelligibile ipse Deus; ergo ista res existit Deus, vel quod quidlibet sit Deus. Sicut non sequitur: Petrus secundum suum esse intelligibile est Deus, igitur Petrus est Deus; ut alias diffuse dictum est[4]. Et sicut termini impossibiles, hoc est contradictionem includentes, nihil adaequate significant, nisi forte dicatur, quod significant convertibiliter cum illo termino ens quodlibet in communi: sic ergo dico, quod ille terminus 'majus Deo' significat sic majus Deo, nec aliquid adaequate significat, nisi forte sit transscendens.

Ad secundum Pseustis argumentum.

Ad *tertium* dicitur, quod falsum assumitur sicut prius, cum dicti termini non significant montem aureum, tragelaphum, hircocervum, vel chimaeram, sed significant sic[5], mons aureus etc. Nec sophista potest velle vel intelligere socium suum esse chimaeram vel asinum; sed intelligit sic, 'tu es chimaera vel asinus;' ubi[6] miscetur suppositio significativa cum suppositione materiali, cum rem, quae potest esse, intelligit significative, et illud quod non potest esse, non intelligit, sed intelligit modum quo signum impossibilitatur, cum primo intelligit ipsum signum. Et ita non sequitur, quod illi termini significant[7] aliqua, quae non possunt esse. Et ulterius dicitur, quod nec sensus nec intellectus nec Deus ipse intelligit, quod umbra sit homo, nec quod haec demonstrata[8] umbra sit homo, licet intelligat 'hoc' et 'homo[9],' et false ac impossibiliter sic componat, 'hoc est[10] homo;' et ita nec Deus nec homo umbram intelligit esse hominem, nec hominem intelligit esse umbram, quia solum intelligit Deum[11] vel illud, quod habet esse ydeale[12] in Deo, nec experientia vel scriptura convincit oppositum illius sententiae; ideo significanter scriptura loquitur, quando dicit, 'dixit insi-

Ad tertium ejusdem argumentum.

[1] falsum] male, C. ed. pr. [2] est] A; om. B.C.D. ed. pr. [3] nota] nota bene, D. [4] est] scilicet de ydeis, A.B.; scilicet in tractatu de ydeis, ed. pr. [5] sic] sicut, ed. pr. [6] ubi] A., ibi B.C. ed. pr. [7] significant] non significant, ed. pr. [8] haec demonstrata] hoc demonstrato, C.D. ed. pr. [9] homo] hominem, D. [10] est] et, ed. pr. [11] Deum] esse Deum, ed. pr. [12] esse ydeale] A.C.; se ydeale, B. ed. pr.

piens in corde suo, non est Deus.' Textus autem scripturae non asserit scripturam dicere, vel posse dicere, quod non est Deus. Ideo cum nihil in scriptura obmittitur vel additur sine causa, propter causam notabilem scriptura obmittit illam conjunctionem 'quod.'

Alia autem responsio, quae admittit[1] talem suppositionem mixtam sine limitatione hujusmodi, intricat[2] se ipsam superflue, ideo gaudeat fructu laboris inutilis, dum respondet. Nihil enim utilitatis video in concessione primae conclusionis, quam Alithia infert, nisi vanam gloriam et laborem, quia ut videtur[3], intelligendo sic mixtim terminos materialiter et significative[4], concedendum foret propter significationem materialem, quod ego possum destruere Deum vivum, et quod omne intelligibile sit verum, omnem[5] hominem esse asinum, ut quidlibet esse quidlibet, quo ad[6] existentiam actualem, eo quod tale materiale signum habet existentiam actualem. Sed procul a fidelibus ista responsio, cum excedit praesumptionem Luciferi, qui voluit esse similis Altissimo. Ista autem responsio concedit, quod multa intelligit, quae Deus non potest intelligere; et tamen Deus est aeque intellectivus, ut est causativus, et ut apparet pluribus, Deus est plus intellectivus, cum intelligit se ipsum; et deductio est prompta, quia non solum intelligis, quod multa, quae Deus non potest intelligere, intelliguntur a te, verum etiam quia intelligis infinitos hircocervos et infinita talia, quae non possunt habere ydeam in Deo; Deus autem non potest quidquam intelligere, nisi sit ipse Deus vel in Deo aliqualiter ydeatum. Infinita sunt talia inconvenientia, quae apud sedulum philosophum ex talibus responsionibus frivolis sequerentur. Scio tamen, quod tam philosophi quam theologi ipsis ignorantibus incidunt in hanc viam, ut philosophi dicunt, quod[7] imaginativa excedit sensum particularem, quod potest in multa, quae nec potest ipse nec sunt possibilia in natura, ut imaginando montem aureum. Theologi etiam concedunt, quod tu intelligis, quae nec Deus potest intelligere, quod ipse Deus intelligit multa, quae non possunt esse Deus, nec in ipso exemplariter ydeata[8] sunt[9].

[1] admittit] obmittit, A.B.C. ed. pr. [2] intricat] incertat, ed. pr. [3] ut videtur] C.; ut om. A.B. [4] et significative] esse significativos, ed. pr. [5] omnem] cum, D. [6] quo ad] habet, D. [7] quod] quia, ed. pr. [8] ydeata] ydeota, D. [9] sunt] sunt, ideo etc., ed. pr.

## CAP. IV.

*Quod Deus sit quidquid melius est esse quam non esse.*

Sententia proponitur atque probatur, Deum esse quidquid melius est esse quam non esse.

*Alithia.* Cum principium sit apud theologos, quod Deus sit quidquid melius est esse quam non esse, et per hoc probari potest omnis proprietas quae essentialiter[1] inest Deo. videtur priorem materiam esse relinquendam logicis et tractandum qualiter est de isto. Probatur autem illa conclusio, cum Deus sit omne quod est Deus; sed melius est esse Deum, quam non esse Deum; ergo Deus est omne, quod melius est esse quam non esse; nam melius est Deum[2] non esse mundum, quam esse mundum, cum Deus approbat, se non esse mundum, tanquam consequens[3] ad Deum esse. Istud ergo quod est convertibile cum prima essentia et Deus sic eligit[4], est longe melius quam esse mundum vel aliam[5] creaturam; imo hoc videtur sequi ex isto, *Deus est optima rerum mundi;* quia dato isto, quaecunque res, quae[6] non est Deus, melius est aliquid non esse illam rem, quam est aliquid esse illam rem, cum aeque bonum sit illam rem esse illam, sicut est aliquid esse illam, cum solum illa sit illa. Et sic quicunque negaverit conclusionem propositam, debet negare consequenter, quod Deus est optima rerum mundi. Sed quis infidelis vel ethnicus hoc negabit? Et ita formaliter sequitur, ista est res, quae non est Deus, ergo melius est aliquam rem non esse istud[7], quam est rem aliquam esse istud[8]. Et iterum formaliter sequitur, ista res est deitas, ergo melius est aliquid esse istam rem, quam est, aliquid non esse istam rem.

Pseustis sententiam istam improbat.

*Pseustis.* Delectaris multum in istis[9] verbis globosis; videtur tamen, quod principium tuum non sit absolute necessarium, cum possibile sit solum Deum esse, et si sic, tunc Deus non est quidquid[10] melius est esse quam non esse; quia hoc dato non est bonum, aliquid non esse Deum; cum sequitur, bonum est, aliquid non esse Deum, ergo verum est, aliquid non esse Deum, et per consequens Deus non est omne quod est; consequens

[1] essentialiter] quomodo libet, D. [2] Deum] om. D. [3] consequens] est consequens, ed. pr. [4] et Deus sic eligit] erit Deus sic elicit, ed. pr. [5] aliam] aliquam, D. [6] quae] om. D. [7] istud] istam, B.C. ed. pr. [8] istud] B.; istam, A.C. [9] istis] his, D. [10] quidquid] qui, ed. pr.

contra datum. Non enim est melius aliquid esse Deum, quam est[1] aliquid esse chimeram, quia non est bonum aliquid esse chimeram, ergo falsum foret tunc, quod Deus est solum illud quod est melius esse quam non esse. Similiter, si Deus est[2] *omne* illud et *solum* illud quod melius est esse quam non esse, tunc Deus non est homo; consequens falsum[3], ergo antecedens, quod a Deo[4] est commendatum; nam melius est deitatem non esse hominem, quam ipsam[5] esse hominem, cum primum sit absolute necessarium et aeternum, sed secundum simpliciter[6] temporale, non melius quam assumpta humanitas. Ex quo videtur, quod Deus non solum est illud quod melius est esse quam non esse, cum melius sit aliquid non esse humanitatem, quam est aliquid esse humanitatem, cum absolute[7] optimum sit deitatem non esse humanitatem, et summe impossibile sit, aeque bonum esse, quod aliquid sit humanitas.

Sententia ista defenditur.

*Phronesis.* Tu monstruose addis super verba et sententiam sororis, cum ipsa solum dicit hic, quod Deus est quidquid melius est esse quam non esse; et tu superaddis, quod hoc sit absolute necessarium. Ipsa etiam non dicebat, quod Deus *solum* est illud[8], quod est melius esse quam non esse, sicut postmodum false fingis. Sicut ergo Deus est optima rerum, quae potest esse, sic est quidquid est melius esse quam non esse; et ita debet dici, quod prius principium sit absolute necessarium, scilicet, quod Deus est, quo majus cogitari[9] non potest; hoc autem principium fidei est necessarium, sicut necessarium[10] est Deum esse optimam rerum mundi. Iste ergo est sensus hujus principii, Deus est quidquid vel cujusmodicunque melius est aliquam rem esse, quam aliquam rem non esse, quod est necessarium. Scio autem quod nescis probare casum quem ponis[11]; quia, cum Deus nihil potest annihilare, et semper fuit mundus, necesse est fabricam mundi[12] esse. Ista autem propositio, *ante primum instans mundi solum Deus fuit*, est disputabilis apud multos; cum certum sit, quod non temporaliter fuit

[1] est] om. A.B.C. ed. pr. [2] est] sit, D. [3] falsum] haereticum, D.; falsum et haereticum, C. ed. pr. [4] a deo] adeo, ed. pr. [5] ipsam] ipsum, ed. pr. [6] simpliciter] om. D. [7] absolute] absolutum, B.C. ed. pr. [8] illud] idem, ed. pr. [9] cogitari] excogitari, A.B.; melius majus cogitari, D. [10] necessarium] om. A.B. [11] ponis] petis, D. [12] mundi] Dei, A.D. ed. pr.

Deus ante mundum, sed aeternaliter, non ut ista praepositio 'ante' dicit[1] successionem, sed prioritatem naturae. Secundo certum est, quod pro primo[2] instanti mundi non est ita, quod Deus fuit ante mundum, sicut non fuit tunc, quod Deus *fuit*, sed tunc incepit esse, quod Deus *fuit ante mundum.* Et tertio certum est, quod exponendo hanc exclusivam: 'tantum Deus est' per hanc negativam, 'nullum ens quod non[3] est, Deus est,' et extendendo hoc nomen 'ens' ad omnem veritatem vel rem rationis, ac limitando praedicationem formalem et non essentialem, certum est, quod contradictionem claudit, solum Deum esse; quia si sic, alia veritas est, quae non est formaliter ipse Deus, et sic est de infinitis veritatibus et ydeis. Sicut autem absolute necessarium est, multas[4] veritates esse, quarum aliqua[5] sit affirmatio alia negatio, aliqua[5] de possibili aliqua[5] de praeterito vel futuro, sic absolute necessarium est, ens, quod non est Deus[6], esse. Loquendo tamen formaliter quaelibet hujusmodi veritatum est essentialiter ipse Deus, non creatura aliqua, cum non sit *opus* Dei, eo quod non potest incipere; sed est formaliter veritas rationis, modo quo loquitur *Averrois* quarto metaphisicae cap. 3. Imo videtur absolute necessarium, esse veritatem contingentem, quam non est[7] necessarium ita esse; ut posito[8], quod solum Deus sit (sicut tu ponis[9]) ante mundi creationem, quaeratur, utrum erit[10] aliqua creatura? Quod si sic, ejus inceptio erit quam Deus cognoscit ante mundum vel[11] ejus inceptionem fore, est summe contingens. Si neges aliquid fore adhuc[12], cum absolute necessario aliquid potest fore, contingens est veritatem non esse per tempus[13], et sic Deus cognoscit veritatem quam contingit non esse, cum si Deus est, ipse potest multa producere quae non producet, vel aliquid non producere quod producet. Patet quod Deus non potest[14] esse, nisi veritatem noverit contingentem. Cum ergo absolute necessarium sit Deum esse, et, si Deus est, ipse noscit veritatem con-

[1] dicit] significat, A.B.C. [2] pro primo] propositio, ed. pr. [3] non est] est, ed. pr. [4] multas] aliquas, A.B.; multas aliquas, C. [5] aliqua] alia, A.B.C. ed. pr. [6] ens, quod non est Deus] esse ens, quod non est Deum, A.B.C. ed. pr. [7] est] esse, ed. pr. [8] posito] pono, A. [9] ponis] ponis esse, ed. pr. [10] erit] est, ed. pr. [11] vel] et, D. [12] adhuc] ad hunc, ed. pr [13] per tempus] tempus, ed. pr. [14] vel aliquid—non potest] om. ed. pr.

tingentem, patet, quod absolute necessarium sit[1] esse veritatem contingentem. Quantum ad *secundam* instantiam tuam, patet ex dictis, quod non objicit[2], cum conceditur, quod Deus est quidquid melius est esse quam non esse, et non conceditur, quod Deus *solum* est illud quod melius est esse quam non esse; cum posita incarnatione, Deus est humanitas, et melius est aliquid non esse humanitatem, ut puta deitatem, quam[3] est aliquid esse humanitatem, eo quod non est melius aliquid esse humanitatem, quam est ipsa humanitas. Sed de isto inferius.

## CAP. V.

### *De proprietatibus Dei.*

Ex sententia eadem sequuntur singula Dei attributa; ex. gr. quod Deus sit justus, intelligens,

*Phronesis.* Ex istis duobus principiis tam praeclaris inferri potest quaecunque *passio*, vel *proprietas* quae infuerit deitati. Deus enim est *justus*, quia melius est aliquid esse justum, quam est aliquid non esse justum, eo quod dirigens[4] aliquid[5] ut esse debet, est melius quam directione tali indigens. Primum ergo dirigens oportet esse justum, se habens undique sicut debet. Et ex eodem patet quod Deus est *intelligens*, quia melius est aliquid esse intelligens, quam est[6] aliquid esse non intelligens, eo quod illa res quae intus[7] legit, quidquid juste ordinat, est melior quam aliquid quod non sic causat. Et[8] ex eodem videtur quod Deus est omnia necessario semper noscens, cum absolute necessario noscit se ipsum, cum de se se ipsum noscat, et melius est, quod causa cognoscat quidquid efficit, quam quod sit causa non cognoscens quidquid efficit. Et ex eodem sequitur, quod *Deus* semper scit[9] *omnia*, cum melius sit aliquam rem esse immobilem scientem omnia, quam esse aliquam[10] rem non scientem omnia.

quod omnia sciat,

Et ex isto plane infertur, quod omne, quod fuit vel erit, est; quia si aliquid fuit vel erit, Deus cognoscet[11] illud esse; et si cognoscet[12] illud esse, tunc cognoscit illud esse, cum non[13] potest incipere vel desinere quidquam noscere; et si Deus cog-

[1] sit] est, D. [2] objicit] A. C. ed. pr.; objectivum, B. [3] quam] quod, ed. pr. [4] dirigens] est dirigens, A. [5] aliquid] aliud, B.C. [6] est] om. ed. pr. [7] intus] intellectus, ed. pr. cum B. primae manus. [8] et] om. ed. pr. [9] scit] ed. pr. *sit.* [10] aliquam] aliam, ed. pr. cum B. [11] cognoscet] cognoscit, ed. pr. [12] cognoscet] cognoscit, ed. pr. [13] non] om. ed. pr.

noscit aliquid esse, tunc illud est; ergo a primo ad ultimum[1], si aliquid fuit vel erit, ipsum est.

quod sit omnipotens,

Et ex eodem sequitur, quod Deus sit *omnipotens*, quia melius est esse aliquid ita potens, quam est esse aliquid non ita potens. Et si dicas, quod in omnibus istis primo petitur demonstrandum, statim adest primum[2] principium, quod Deus est[3] ita bonum et perfectum sicut potest intelligi quidquid esse. Nota tamen, quod[4] ex illo non sequitur, quod Deus potest deficere vel corrumpi, quia hoc non est posse, sed a posse deficere. Nec sequitur, quod tu potes facere aliquid quod Deus non potest facere, eo quod tu potes facere mendacium et defectum, hoc est mentiri et deficere, sed non sic Deus; nam sic mentiri vel deficere non est aliquid facere, sed a factione boni deficere. Deus autem facit omne positivum quod creatura sua fecerit, et tamen ex hoc non sequitur, quod comedit, loquitur, ambulat, et sic de aliis praedicatis[5] formaliter, de suppositis imperfectis. Et sic ad distinguendum praedicata[6] illa formaliter, oportet notare, quod praedicatum[7] sit melius esse formaliter Deo conveniens, quam sibi non taliter convenire, ad quod requiritur intellectus. Deus enim facit ambulationem, sed non ambulat, cum melius est rem non ambulare et esse omnino immobilem, quam est rem aliquam esse ambulantem.

insensibilis,

Et ex eodem principio sequitur, quod Deus est omnino insensibilis et inextensus, licet virtualiter sit immensus. *Prima* pars patet ex hoc, quod melius est esse rem insensibilem, quam esse rem sensibilem. Sicut enim sanitas hominis et ejus vita excedunt sensibilia in eodem, sic armonia partium mundi et mundi principium excedunt omnia sensibilia hujus mundi. Deus ergo qui est quidquid melius est[8] esse quam non esse, est omnino insensibilis[9]; et per idem indivisibilis quo ad molem[10], cum melius sit esse virtualiter quidquid[11] fuerit ad denominationem perfectionis in supposito requisitum, quam habere partes distantes a se invicem ad sui magnitudinem requisitas. Ideo non

[1] ad ultimum] om. D. [2] primum] prius, D. ed. pr. [3] est] om. ed. pr. [4] quod] om. A. [5] praedicatis] peccatis, ed. pr. [6] praedicata] peccata, ed. pr. [7] praedicatum] peccatum, ed. pr. [8] melius est] est melius, A. [9] insensibilis] sensibilis, ed. pr. [10] molem] mobile, ed. pr. [11] quidquid] quam quid, ed. pr. cum C.

infinitus.

solum negative sed positive conceditur, Deum esse immensum et infinitum, cum ceteris[1] denominationibus hujusmodi, cum Deus habeat positivum perfectionis simpliciter in istis denominationibus, et non habet finem alium mensurantem. Ideo concedunt philosophi, quod est potentiae infinitae. Et ex eodem sequitur, quod Deus sit[2] creativus, punitivus et sic de aliis denominationibus, quas fides scripturae sibi attribuit, eo quod omnia talia includunt perfectionem simpliciter, et nullam imperfectionem implicant in subjecto, et juxta dicta omnia talia insunt Deo[3]. Et eodem modo deduci potest, quidquid cujusmodi non est Deus. Et ista est tyriaca ad tollendum versutias blasphemorum; oportet tamen sane et caute intelligere argumenta, negando[4] fallacias, quando occurrunt, et locum a similitudine simeali.

## CAP VI.

### *Deum esse trinum.*

Quaeritur, possit ne trinitas Dei demonstrari.

*Alithia.* Ex istis mihi videtur, quod inferre poterimus, Deum dominum omnium esse *trinum.*

*Pseustis.* Hoc tamen videtur multis grave, quod praecipuus articulus fidei *demonstretur,* quia[5] fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum. Et sic ubi olim docebatur lumen[6] fidei esse ad delucidandum tales articulos fidei requisitum, hic asseritur, quod omnes illi demonstrari possunt in lumine naturali; quod videtur falsum, pro eo quod *Aristoteles, Averrois* et alii[7] philosophi, tam praeteriti quam praesentes, negant tales articulos ut impossibiles. Magna ergo praesumptio foret nos hebetioris[8] ingenii asserere, quod omnes illi articuli possunt[9] demonstrari. Quare ergo potius homines dissentirent istis articulis, quam aliis conclusionibus in quadrivio[10] scientiarum doctrinalium demonstratis?

*Phronesis.* Hic dupliciter[11] aequivocatur in signis, et utraque pars dilabitur in errorem, ut quidam nimis grosse concipiunt

[1] ceteris] om. A.B.C. ed. pr. [2] sit] est, A.B.C. [3] insunt Deo] sunt in Deo, B. [4] negando] notando, D. ed. pr. [5] quia] quod, ed pr. [6] lumen] lumine, ed. pr. [7] alii] ceteri, C.D. ed. pr. [8] hebetioris] hebetiores, ed. pr. [9] possunt] potuerant, D. [10] quadrivio] quadruvio, ed. pr. [11] dupliciter] om. D.

deitatem et ceteros articulos fidei, propter hoc quia non adhaerent fideliter fidei scripturarum. Alii autem tantum difficultant scientiam theologicam, statuentes sibi ignotos terminos, quod in haereses multiplices dilabuntur, sed 'medium tenuere beati.' Quidam autem de prima[1] secta, ponentes lumen fidei requisitum, ponunt illud lumen unum globum gratiae per se ponibilem[2], requisitum ad hoc quod aliquis sit fidelis, et quantumcunque ignarus fuerit, si de illo lumine quidquam habuerit, est fidelis, et sic ex terminis bene prius intellectis patet, quis habeat in se lumen fidei[3]. Quidam autem ab hac fide catholica delapsi sunt[4] in errores multiplices. Certum quidem est, quod oportet omnem hominem habere lumen notitiae, quod quidem[5] lumen non est nisi[6] illuminari a Deo ad veritatem aliquam[7] cognoscendam, ut patet alibi, ac hic supponitur. Impossibile est fidelem vel haereticum quidquam cognoscere, nisi per fidem fundamentaliter illud cognoscat; quia sicut nemo cognoscit literas, quod una est A, reliqua B, et sic de ceteris, nisi credat: sic nemo sensu cognoscit quodcunque sensibile, nisi prima veritas illud[8] dicat et doceat, quod illud sensibile sit illud vel hujusmodi. Nam in ente analogo quod prima impressione imprimitur, Deus cognoscitur, sed confuse, et ille[9] docet quamcunque veritatem secundam, unam tamen veritatem[10] per aliam, secundum legem quam statuit in ordine discendi[11] procedere; et sic lumen fidei, quo[12] quis denominatur fidelis, non est nisi ipsum a Deo sic respici, ut cognoscat catholice[13] fidem suam. Et in illo lumine sunt gradus multi[14].

Ad tantum autem infatuantur aliqui[15] errantes in ista materia, quod ponunt lumen fidei *contrarium* lumini naturali, sic quod apparens impossibile in lumine naturali sit necessario credendum in lumine fidei et e contra. Veritas autem est, quod talis cecitas non est lumen naturale sed tenebra; quia non sunt[16] talia duo lumina repugnantia, sed post praevaricationem

[1] prima] secunda, D. [2] ponibilem] possibilem, B. ed. pr. [3] patet, quis—fidei] om. D. [4] sunt] sunt deliri, B.C. primae manus, D. ed. pr. [5] quidem] quoddam, ed. pr. [6] nisi] nec, ed. pr. [7] aliquam] aliam, ed. pr. [8] dicat] primo dicat, D. [9] ille] illa, C. [10] veritatem] om. ed. pr. [11] discendi] discendendi, A.B.C. [12] quo] a quo, D. [13] catholice] theologice, D. [14] gradus multi] infiniti gradus, C. ed. pr. [15] aliqui] om. D.; alii, B.C. ed. pr. [16] sunt] om. ed. pr.

lumini debili naturali inest quidam *defectus*, quem Deus gratiose sanat, donans notitiam; et sic quod unus cognoscit in spirituali[1] lumine gratiae, alius cognoscit in lumine naturali; ideo diversi sunt gradus in diversis hominibus, in quibus dissimiliter[2] articuli fidei cognoscuntur. Deum ergo esse trinum, potuerunt[3] philosophi ut *Plato* cum ceteris cognoscere lumine naturali, veruntamen ad hoc, quod idem meritorie cognoscant, requiritur lumen fidei formante gratia. Quare cum sit deducibile[4], quod Deus sit actus purus, infinitissime intellectivus, certum est, quod habet potentiam ad se et ad alia cognoscendum, et illa potentia dicitur *Deus pater*. Et quantum potest se ipsum cognoscere, tantum[5] necessario cognoscit, et illa notitia dicitur *Deus filius*. Et sicut non potest esse, quod sic posset se ipsum cognoscere[6], nisi cognoscat actualiter quantum potest, sic non potest esse, quod sic actualiter se cognoscat, nisi in se ipso finaliter quietetur, et illa quietatio est *spiritus sanctus*. Et illae tres personae absolute necessario sunt coaeternae, coaequales, et ordinate[7] (ut dicitur) procedentes; pater enim est prior origine quam filius, et pater et filius sunt prius spiritu sancto origine, quia ex hoc quod Deus pater potest[8] se ipsum cognoscere, sic cognoscit, et ex hoc quod potest cognoscere se ipsum, et[9] cognoscit et amat se ipsum. Et quaelibet istarum trium rerum est essentialiter idem Deus, cum essentia divina sit quaelibet harum trium. Rationes etiam et proprietates, secundum quas distinguuntur, sunt causae, quare nulla harum trium rerum recipit praedicationem propriam alterius earundem, quamvis pater et filius sint idem neutraliter[10]. Et nomina ac logicam istius materiae oportet fidelem diligenter cognoscere, ut essentia, substantia, vel natura divina, est quaelibet harum trium personarum, et per consequens ipsa trinitas; sed sicut nulla istarum trium personarum est reliqua, sic ipsa trinitas non est aliqua earundem. Et quamvis pater et filius sint idem neutraliter intelligendo, non tamen intelligendo personaliter[11] masculine; ut, pater est idem

Trinitas Dei cognosci potest inde, quod Deus est infinite intellectivus.

[1] spirituali] om. ed. pr. [2] dissimiliter] dissimiles, B.C. ed. pr.; difficiles, D. [3] potuerunt] posuerunt, B.C. ed. pr. [4] deducibile] inducibile, D. [5] tantum] tantum se ipsum, ed. pr. [6] cognoscere] om. ed. pr. [7] ordinate] ordinatae, ed. pr. [8] potest] potest sic, B.C. ed. pr. [9] et] om. ed. pr. [10] quamvis—neutraliter] om. C. ed. pr. [11] personaliter] pluraliter, A. secundae manus, B.C. ed. pr.

quod filius, quia idem Deus, eadem essentia vel natura; et tamen pater non est filius, quamvis sit[1] idem Deus qui filius, et sic Deus a Deo distinguitur, sicut Deus a Deo personaliter differt, et tamen negatur, quod Deus non est Deus. Nec sequitur, Deus pater Deus filius non est, ergo Deus Deus non est. Et sic Deus Deum causat secundum causationem, sed non secundum Deum, et tamen[2] omnes illae tres personae sunt una prima causa, sicut sunt unus Deus, et non tres causae, sicut non tres Dii. Sic[3] pater et filius sunt unum principium spiritus sancti, quia unite principiant spiritum sanctum, et tota trinitas est idem principium cujuslibet creaturae. Et conversiones propositionum illius materiae exclusivas, exceptivas, universales, convertibiles, cum ceteris contentionibus logicorum, relinquo juvenibus pertractandas: ut falsum est, quod tantum pater est Deus, quia alius quam pater est Deus, et aliud ac alia creatura quam pater est Deus, quia humanitas assumpta, quae est tam *aliud*, quia natura alia, quam *alius*, quia persona alia[4]. Et patet noscenti distinctionem inter praedicationem formalem et essentialem, quomodo syllogisandum est in quacunque figura cum istis terminis in divinis[5], ut omnis divina natura est pater[6], omnis filius Dei est natura divina, ergo omnis filius Dei est idem quod est pater. Et ita non sequitur expositorie, hoc est pater et hoc est filius, demonstrando eandem *naturam* divinam, eundem Deum vel eandem causam cujuslibet creaturae, ergo pater est filius. Sed bene sequitur, quod pater est[7] idem quod est filius, et exemplum omnium talium patet in materia de universalibus ubi natura communis est suorum suppositorum quodlibet, quamvis ipsa supposita ab invicem distinguantur. Totam autem istam materiam et profundationem ejusdem relinquo logicis subtilibus ad discutiendum[8].

[1] sit] om. A.B.C. ed. pr. [2] tamen] om. A.B.C. ed. pr. [3] Sic] Item sic, ed. pr. cum B.C. primae manus. [4] persona alia] B.; persona alia est, A.; persona alia quam est pater, C. ed. pr. [5] in divinis] om. D. ed. pr. [6] est pater] est pater in divinis, ed. pr. cum B.C. manus primae, D. [7] est] sit, D. [8] subtilibus ad discutiendum] om. ed. pr.

## CAP VII.

*Num ratione demonstrari possit, Deum esse trinum.*

Num ex animi humani trinitate demonstrari possit, Deum esse trinum.

*Alithia.* Quamvis autem[1] ista materia sit tibi facilis et senibus taediosa, est tamen nobis necessaria, et specialiter ad evacuandum pseustinas argutias, per quas infideles onerant nos et illos. Timeo autem, ne tibi gignam[2] fastidium vel sim in quaestionibus taediosa. Vellem tamen cognoscere, utrum demonstratione naturali ostendi poterit Deum esse trinum, ex animae trinitate, sicut videtur *Augustinus* plane detegere[3].

*Phronesis.* Hic suppono tibi distinctionem, quam *Aristoteles* dat de demonstratione, quod quaedam est *propter quid*, sive potissima[4] sive sequens, et quaedam est demonstratio, *quod* est[5]. Prior autem demonstratio est, ubi causatum esse[6] ostenditur ex sua causa. Et secunda demonstratio est, quando causa ostenditur ex effectu, ut octavo phisicorum primus motor ostenditur ex perpetuitate motus coeli; et sic certum est, quod Deum esse demonstrari non poterit primo modo, cum non habet causam extrinsecam; et per consequens nec Deum esse trinum, nec aliqua[7] passio, quae naturaliter Deo inest. Sed secundo modo non video, quin Deum esse trinum demonstrari potest a signo[8] posteriori, sicut multa[9] demonstrari possunt de Deo, deducendo ad impossibile, et ita plane sicut sequitur, primus motus est, ergo primus motor est, qui Deus est; sic sequitur, anima intellectiva est trina, scilicet memoria, ratio et voluntas; ergo Deus ipsam creans est trinus. Nec intelligit *Augustinus* per illam trinitatem potentiarum animae tres potentias, quae accidentaliter sibi insunt, sed tres res, quarum quaelibet essentialiter est ipsa anima, ut est de personis divinis[10]. Non tamen adest mihi auctoritas, per quam illae tres res sunt personae, sicut[11] tres res

[1] autem] autem, mi frater, ed. pr. cum C. primae manus, B. [2] tibi gignam] vel tibi gignam, C.; tibi gignam vel, ed. pr.; vel om. A. [3] detegere] ostendere, ed. pr. cum B.C. manus primae, D. [4] potissima] postera, ed. pr., C. manus primae. [5] quod est] quia, D. [6] causatum esse] esse om. C. ed. pr. [7] aliqua] alia, A.B.C. ed. pr. [8] signo] suo signo, ed. pr. A. [9] multa] infinita, ed. pr. [10] divinis] in divinis, A.B.C. ed. pr. [11] sicut] sed, ed. pr.

De notione personarum in doctrina de trinitate Dei.

in Deo sunt personae[1], quia nomen personae inventum est ex concordi et magistrali sententia[2], ad significandum illam ineffabilem trinitatem: quaesierunt enim haeretici, quae tres res sunt Deus, quia conceperunt, quod sunt tres substantiae vel res separabiles in natura; et tunc ex unicordi consilio invenit ecclesia nomen personae, concedens, quod sunt tres personae et una substantia. Graeci autem aequivocantes[3] concedunt, quod sunt tres 'hypostases' sive substantiae, et sic nomen[4] hypostasis est aequivocum apud illos. Sed absit ex istis fidelem credere, quod natura divina sit trine dimensionata, visibilis[5], vel habens passionem aliquam[6] imperfectam. Oportet enim capere in minori, quod effectus[7] aliquis non posset esse hujusmodi, nisi Deus naturaliter foret talis. Sed quid impossibilius? Cum juxta dicta tales proprietates propter imperfectionem non possunt Deo inesse. Ideo foret nimis simealis similitudo, concludere syllogistice, ubi syllogismus peccat in materia de minori impossibili, concludere per locum a simili. Et ubi syllogismus non peccat in materia nec in forma, sed ubi conclusa proprietas naturaliter Deo inest, scilicet quod melius est aliquid esse hujusmodi, quam est aliquid non esse hujusmodi, ut docetur superius, ut si infidelis capiat corpus esse trine dimensionatum, scilicet longum latum et profundum, et non posset esse taliter dimensionatum, nisi deitas fuerit[8] taliter dimensionata, ergo deitas est longa lata et profunda. Sed constat, quod fidelis satis pensare[9] poterit de probatione haeretici in minori, quamvis Apostolus dicat de Deo, quod sibi insunt latitudo longitudo profunditas et sublimitas[10], tamen satis aequivoce intelligit de istis quattuor, ut patet exponentibus sensum suum. Est autem nomen personae descriptum apud multos, qui concedunt aequivoce, licet quodammodo analogice Deus sit persona cum personis angelorum et hominum. Unde dicunt, quod persona est rationalis naturae incommunicabilis existentia, quod non potest deitati competere, cum deitas communicatur necessario tribus rebus[11]; competit

[1] personae] tres personae, A.B.C. ed. pr. [2] magistrali sententia] *magna sententia*, B.; *magna angustia*, ed. pr. cum A. secundae manus, D. [3] aequivocantes] aequivocando, ed. pr. cum C.D. [4] nomen] natura, ed. pr. [5] visibilis] risibilis, ed. pr. [6] aliquam] animam, ed. pr. cum B. [7] effectus] affectus, ed. pr. [8] fuerit] foret, A. [9] pensare] pausare, C. ed. pr. [10] Eph. iii. 18.—ed. pr. om. *profunditas*. [11] tribus rebus] in tribus rebus, B.

tamen cuilibet personae, quae est deitas, sicut persona est incommunicabilis ad hunc sensum, quod sit multorum singularium, et[1] tamen communicabile, quia natura divina. Et eodem modo natura est incommunicabile, quia persona, tamen est communicabilis[2], quia trium personarum est quaelibet. Nec est facile fingere, quare non quaelibet trium rerum creati spiritus sit persona, cum sit rationalis naturae incommunicabilis existentia; deficit tamen mihi auctoritas sic loquendi. *Boetius* autem videtur dicere, quod persona sit rationalis naturae individua substantia, et forte intelligit per substantiam subsistentiam, quae est inferius quam substantia, et tunc persona dicitur ethimologice quasi *per se una*. Homo igitur licet sit tam corpus quam anima, istâ tamen sunt diversae naturae; ideo individuum hominis non sic communicatur eidem naturae, nec specifice[3] nec individue. Et ad communia argumenta quibus argumentatur, quod esset processus infinitus[4] in trinitatibus, cum persona prima habeat potentiam notitiam et complacentiam, quae pari evidentia distinguuntur, qua tres personae divinae, et foret processus in infinitum. Solutio est, quod prima persona divina ex se est potentia; est autem intellectiva, quia communis natura, cum intellectiva quandoque accipitur personaliter et quandoque naturaliter; et sic est de duobus aliis nominibus, scilicet potentia et benevolentia. Et ita est quaedam insensualis nugatio, procedere super tria in natura divina, cum potentia talis potentiae foret illam naturam[5] posse posse, et intelligentia verbi Dei foret, illam naturam intelligere intelligere, et voluntas[6] foret, illam[7] velle velle; et tunc[8] pater intelligit communi intelligentia, sicut filius potest communi potentia, potest tamen sicut est per potentiam quae est pater, cum ex patre habet esse. Et conformiter tollitur alia[9] difficultas, utrum natura divina gignit aut gignitur. Quamvis autem *Petrus Lumbardus* videatur dicere, quod non sicut species humana nec[10] generat nec generatur, cum actio non competat formaliter nisi personae, potest tamen dici probabiliter, quod sicut ex natura

[1] et] est, ed. pr. cum C. primae manus, D. [2] communicabilis] incommunicabilis, ed. pr. [3] specifice] specivoce, ed. pr. [4] infinitus] in infinitum, D. [5] naturam] naturam nullum, ed. pr. [6] voluntas] voluntas voluntatis, ed. pr. A. [7] illam] illud, ed. pr. [8] tunc] sic, D. [9] alia] om. ed. pr. [10] nec] non, ed. pr. cum C.D.

divina est filius, sic ex illa gignitur filius; et illa[1] in persona patris gignit filium, et spiritus sanctus procedit ex illa in patre et filio, non tamen idem gignit se[2], quamvis persona gignens et persona genita sint eadem essentia[3]. Tales autem sunt multae difficultates, quae potius stant in logica, quam in re ipsa. Ideo circa altercationes hujusmodi non contendo.

## CAP VIII.

### *De ideis.*

*Pseustis.* Videtur quod in istis materiis ydiotice loqueris, vocem propriam ignorando, cum non subsistit ratio, quod sint ydeae a Deo[4] distinctae, quin per idem forent hujusmodi infinitae, et per consequens foret Deus infinitus ratione multitudinis ydearum, et quod sint ydeae a Deo distinctae formaliter, non negabis.

Idea non est persona divina,

*Phronesis.* Fateor, quod propter altitudinem materiae ignoro plurimum, sed credo, quod in patria videbo clare sententiam, quam modo balbutio. Ideo teneo me in fide scripturae et limitibus rationis; nego autem quod sint infinitae personae in Deo ad intra, cum nec[5] ratio nec auctoritas hoc convincit. Personalitas autem[6] est divina essentia, et non veritas aliena in Deo fundata, ut Deum posse intelligere se, Deum quietari in sua intellectione. Istae sunt tres res, cum in eis sit prioritas originis, et quaelibet earum est divina essentia. Et si tu imaginaveris, quotiens tibi libuerit, Deum posse posse intelligere se, idem[7] erit quod Deum posse intelligere[8]; Deum autem posse intelligere hominem vel aliam rem ad extra, non est persona formaliter sed *passio* divina, et multo magis ydea non est persona divina, sed veritas absolute necessaria, quae est intelligibilitas[9] rei ad extra. Quomodo quaeso intelligeret Deus significandum ad extra, nisi sit ipsum[10] intelligibile? Sicut ergo primum ab-

sed veritas absolute necessaria, sive forma exemplaris.

[1] illa] ita, A.B.C. ed. pr. [2] se] se ipsum, D. [3] essentia] essentia trina, A.B.C. ed. pr. [4] a Deo] in Deo, A. ed. pr. [5] cum, nec] cum om. ed. pr. [6] autem] enim, D. [7] idem] illud, ed. pr. [8] intelligere] intelligere se, ed. pr. B. [9] intelligibilitas] intellectibilitas, B. [10] nisi sit ipsum] nisi ipsum foret, C. ed. pr.

solute est necessarium, sic et secundum. Nec Deus posset quidquam producere, nisi ipsum intelligeret, cum nihil posset casualiter producere vel insipienter, ut *Augustinus*, 83 quaestiones, quaestio 47, saepe arguit, et talis intelligibilitas est aequalis intellectivitati vel intellectioni Dei, quod idem est. Nec posset Deus quidquam ad extra producere, nisi praecederet ejus intellectivitas[1] ad extra, ut exemplar, quia aliter posset rem ad extra producere et non ipsam intelligere, et per consequens non sapienter producere ipsam, quod est summe impossibile. Et haec ratio, quare omnes ydeae, quae sunt formae exemplares, secundum proprietatem aliquam sunt in verbo, quod est forma ac sapientia Dei patris. Et ut *Augustinus* vere asserit[2], sine ydeis non est possibile quenquam sapientem fieri. Quomodo quaeso posset homo esse sapiens, cognoscendo creaturam aliquam, nisi prius[3] cognoverit ejus producibilitatem, hoc est rationem secundum quam producibilis est a Deo, et per consequens rationem secundum quam intelligibilis est a Deo? Hoc autem cognoscit homo abscondite, licet verbaliter illud[4] negat, quia, sicut nemo intelligit, nisi ens in communi intelligat, sic non intelligit aliquam[5] creaturam nisi ejus intelligibilitatem et intellectionem passivam intelligat[6]; et illa est in intellectu vel verbo divino veritas absolute. Et ideo dicitur, quod beati vident in verbo hujusmodi veritates, verumtamen in tota trinitate beata sunt hujusmodi veritates, secundum quandam tamen[7] specialitatem in verbo. Quamvis autem omnes dictae ydeae distinguuntur[8] inter se formaliter et a Deo, sunt tamen omnes essentialiter ipse Deus. Unde *Aristoteles* VII^mo^ Metaphisicae arguens contra ydeas *Platonis* aequivocavit in logica stulte concipiens, quod ydea sit essentia absoluta, distincta ab essentia divina; sed quis sapiens ita intelligit? Sed sicut[9] *Aristoteles* bene[10] concipit, omnis[11] talis ydea foret superflua. Sed intelligibilitatem[12] creaturarum oportet omnem fidelem ponere, non formaliter rem absolutam per se existentem, quia tunc foret formaliter ipse

Ideae essentialiter sunt ipse Deus.

[1] intellectivitas] intelligibilitas, ed. pr. D. [2] vere asserit] ubi supra, quaestio 48, asserit, A.B.C. [3] prius] om. B.C. ed. pr. [4] illud] hoc, B.C. ed. pr. [5] aliquam] aliam, ed. pr. [6] intelligat] intelligit, D. [7] tamen] om. ed. pr. [8] distinguuntur,] distinguantur, D. [9] sicut] si, ed. pr. [10] bene] om. B.C. [11] omnis] tunc omnis, A.C. ed. pr. [12] intelligibilitatem] intellectivitatem, B.; intellectualitatem, ed. pr.

Deus, et non foret ydearum distinctio, sed forent[1] Dii infiniti. Illi autem qui loquuntur formaliter, sicut perfecti philosophi, satis concipiunt distinctionem formalem hujusmodi ÿdearum. Alia (inquit *Augustinus*) est[2] ratio, secundum quam Deus producit atque intelligit ipsum hominem, et alia est ratio secundum quam intelligit asinum, eo quod Deus intelligit talia intelligibilia ut se habent, sed aliter se habent illa producta, ergo sunt aliter intelligibilia, et per consequens aliter intellecta. Et ideo dicit subtilis Evangelista, detegens productionem rerum ad extra, 'quod factum est, inquit, in ipso vita erat[3].' Nam impossibile est Deum quidquam facere, nisi illud intelligat; et si illud intelligit, illud habet rationem objectivam, secundum quam terminat intellectivitatem[4] divinam. Sed videamus quid essentialiter sit illud secundum esse primum, quod habet coaevum cum intellectione divina, et non invenitur nisi realiter verbum Dei, quod dicit[5]: 'Ego sum via, veritas, et vita.' Ideo omne productum ad extra, est necessario et aeque primo, sicut verbum ipsum intelligit, sua[6] vita. Ignorantia autem hujus Metaphisicae et veritatum hujusmodi aeternarum stat radicaliter in ignorantia artium sermocinalium, scilicet grammatica et dialectica. Quis enim rectilogus negaret hanc consequentiam, Deus intelligit hoc, ergo hoc est intellectum a Deo? Sed de quacunque creatura signata, antecedens est absolute necessarium et aeternum, ergo et consequens. Sed quis grammaticus hoc negaret, quin, si hoc sit intellectum a Deo, haec est res intellecta[7] et per consequens haec est res aliqua, sicut[8] antecedentia sunt absolute necessaria, sic et consequentia ex illis illata. Sed quae res absolute necessaria foret haec, demonstrata quacunque creatura, nisi fuerit prima vita? Et quantum ad syllogismos expositorios et alias instantias pueriles in ista materia, oportet intromittentes se esse instructos in recta grammatica et subtili logica. Grammatici quidem ponunt, quod pronomina significant substantiam meram, hoc est divinam essentiam, secundum rationem qua intelligit significatum pronominis vel nominis. Nomina autem

Ignorantia veritatum aeternarum ab imperitia grammaticae et logicae pendet.

[1] forent] ed. pr. [2] est] inquit est, A. [3] Ev. Joh. i. 3, 4. [4] intellectivitatem] intelligibilitatem, ed. pr. [5] dicit] dicit, Joh. xv. A.B.C. ed. pr. [6] sua] ipsa, B., C. primae manus, ed. pr. [7] intellecta] intellecta a Deo, A.B.C. ed. pr. [8] sicut] sicut et, ed. pr.

significant[1] substantiam meram[2] cum qualitate, hoc est, supra divinam essentiam vel esse intelligibile creaturae addunt qualitatem, in qua[3] res talis producitur in esse existere, ut isti termini 'homo animal' cum sibi similibus connotant[4] actualem existentiam, quam habent ex creatione Dei ad extra, et sic non connotant ipsa pronomina. Et patet, quod totus error in scripturae sacrae notitia, et quare idiotae ipsam sic turpificant atque falsificant[5], est ex grammaticae et logicae ignorantia; et nisi Deus adjuverit ad ista rudimenta fidei cognoscenda, fides scripturae erit nimium parvipensa.

Patet *secundo* veritas sententiae, quam *Augustinus* saepe inculcat, scilicet, quod si aliqua sit veritas, ipsa est in scriptura. Nulla quidem est subtilitas in grammatica, in[6] logica vel alia scientia nominanda, quin sit excellentius in scriptura. Et licet voces aut characteres tales deficiunt, scriptura[7] tamen in libro vitae non potest deficere, quia, ut testatur subtilis evangelista[8], non potest solvi scriptura quam pater sanctificavit. Quis, rogo[9], potest solvere connexionem veritatum hujusmodi aeternarum?

Et patet *tertio*, quomodo sunt solvendi objectus puerorum, qui putant ex ista scientia, quod omnis homo et quaelibet creatura sit Deus ipse, quia vita prima. Nam si hoc est, hoc est vita prima, i.e. Deus, vel divina sapientia. Et hoc est homo vel alia nominabilis creatura, ergo non potest[10] esse homo vel alia creatura, nisi fuerit vita prima. Oportet enim supponere juxta praedictam grammaticam, quod nomina, modo quo dicitur, connotant qualitatem, pronomina autem significant substantiam meram, et sic est extraneatio significationis et suppositionis in illatione tali vocata expositoria. Et patet ex posita ratione, quomodo pueriles turpissime paralogisant, ut si hoc sit aeternum, quia secundum esse suum intelligibile atque primum, et hoc est iste homo, quia in esse suo existere secundum quod creatur a Deo, ergo iste homo secundum illud esse existere est aeternus.

[1] nomina—significant] nomen—significat, A.B. [2] meram cum qualitate] cum qualitate mera, A. [3] addunt qualitatem in qua] addit qualitatem, qua, A. secundae manus. [4] connotant] connominant, ed. pr. [5] falsificant] blasphemant, D. [6] in] vel, A.B.C. ed. pr. [7] scriptura] in scriptura, A.B.C. ed. pr. [8] evangelista] evangelista Joannis x. D. in margine, A.B.C. ed. pr. in textu. [9] rogo] ergo, ed. pr. [10] potest] possunt, ed. pr.

## CAP. IX.

*Quarum rerum sint ideae.*

Aristotelis auctoritas atque consuetudo philosophorum contra doctrinam de ideis affertur.

*Pseustis.* In ista materia possunt tibi credere qui volunt logicam tuam inusitatam accipere; sed grave videtur, cum singulum incomplexorum aut significat substantiam, aut quantitatem[1] et cetera, quod sint[2] tales ydeae, quae nec sunt substantiae, nec accidentia. Imo sic intelligendo terminos posses totam philosophiam subvertere, cum *Plato* primum invenit nomen ydeae, et sententia sua per *Aristotelem* est efficacius destructa. Nec abhinc inventus fuit philosophus, qui hanc sententiam ausus fuerit[3] sustinere.

Argutia haec refellitur.

*Phronesis.* Nemo debet credere nisi voluntarie veritati, et quia tantus philosophus[4] discredidit[5] veritati infringibili, displicet multum bonis; ideo laborant, ut homines fidem adhibeant veritati. Ponit autem *Augustinus*, quod *Plato* primum adinvenit nomen ydeae, sed res ipsa cum *Platonis* sententia est aeterna. Ideo lapsus ac error a via veritatis est adeo antiquatus, quod creditur propter antiquum errorem illud quod de facto est falsum vel impossibile esse verum: unde turpissima et fallax argutia tam in speculativa quam morali[6] materia est, qua diabolus seducit miseros[7], 'si ad tantum tempus[8] credita vel usitata fuerit illa sententia, ergo vera.' Et sic credens fidei scripturae cum verbis suis debet dictam logicam acceptare, quia sicut sacrae scripturae sententia, sic et ejus logica est a fidelibus veneranda. Unde peccant mortaliter, qui dimissa logica scripturae, innituntur adinventionibus frivolis hodie usitatis, cum Deus plus obligat homines ad formam verborum fidei scripturae, quam creatura aliqua posset ad suas inventiones vel consuetudines obligare. Et hinc lapsi sunt discoli ad tantum in devium, quod reputant legem Dei summe[9] impossibilem et propter adulterinas tradi-

[1] quantitatem] vel qualitatem, B. ed. pr. [2] quod sint] quod sunt, ed. pr. [3] fuerit] fuerat, C. ed. pr. [4] philosophus] populus, ed. pr. [5] discredidit] discredit, C. ed. pr. [6] morali] in morali, ed. pr. [7] miseros] homines miseros, D. [8] tempus] tres, ed. pr. [9] summe] summae, ed. pr.

tiones a cunctis hominibus relinquendam. Et ex isto errore pullulant alii infiniti. Nec moveat[1] tua argutia 'si singulum incomplexorum significat aliquod decem generum, ergo non sunt ydeae.' Nam omne incomplexum tam kategorema quam synkategorema primarie vel secundarie significat substantiam, imo divinam essentiam, et sic[2] nomina ydearum significant tam substantias quam divinam essentiam. Sed non est color, si nomen ydeae significat substantiam vel aliud[3] assignandum, ergo est formaliter illud significatum[4], quia sic Deus esset quaelibet creatura, et omne nominabile foret ydea aeterna, sicut quidam errantes concedunt; ydea ergo est essentialiter natura divina, et formaliter ratio, secundum quam Deus intelligit creaturas. Et sic intelligendo terminos modo[5] quo scriptura sacra et philosophi rectiloqui conceperunt, non subversa[6] philosophia, sed praeparata esset[7] via ad philosophiam nobis miseris cognoscendam. Nec *Aristoteles* scivit istam sententiam *Platonis* destruere, sed aequivocando ac ignorando virtutem[8] sui sermonis multos homines duxit in devium. Sed *Augustinus* et multi alii errorem *Aristotelis* detexerunt. Et patet, quod assumis falsum et infundabile de *Aristotelis* sententia atque verbis. Unde aliqui[9] deliri nostri temporis ad tantum lapsi sunt in ista materia, quod concedunt, quod quaelibet creatura, imo quodlibet nominabile, est ydea, ut homo secundum rationem, qua intelligitur a te vel alio, est ydea, et sic aeternus, ingenerabilis[10], incorruptibilis; nec solum hoc, sed filius tuus, et infinita similia[11], quae vere ponimus nos non existere absolute, necessario sunt ydeae, et sic[12] tu habes infinitos filios, et ita de aliis frivolis risu dignis.

*Pseustis.* Licet parvi pendas illam logicam, tamen multi subtiles logici nostri temporis hanc admittunt, et grave videtur, quod Deus non[13] intelligat filium tuum, montem aureum, inintelligibile[14], cum eis similibus, nisi Deus habeat ydeas, per quas ista

[1] moveat] movet, C. ed. pr. [2] sic] tunc, C. ed. pr. [3] aliud] aliquid, ed. pr. [4] significatum] signatum, ed. pr. [5] modo quo] quomodo, A.B.C. ed. pr. [6] subversa] subversatus, A.B.C.; subvertitur, ed. pr. [7] esset] est, A.B.C. [8] virtutem] veritatem, A.B.C. ed. pr. [9] aliqui] antiqui, ed. pr. cum B. primae manus. [10] ingenerabilis] inenarrabilis, ed. pr. [11] similia] nobis similia, ed. pr. A. primae manus. [12] sic] tunc, ed. pr. [13] non] om. D. ed. pr. [14] inintelligibile] intelligibile, ed. pr.

intelligit, sic enim Deus habet ydeam peccati, cum ipsum intelligit, judicat et discernit.

*Phronesis.* Istam logicam propter ex ea sequentia debet quilibet fidelis despicere. Scio tamen quod Fratres[1] ipsam magnificant, concedentes quod habent infinitos filios naturales et alia maxima monstra mundi, imo[2] infinitum meliorem Deum, quam nos habemus, et sic de similibus blasphemiis, in quas incidunt propter errorem amplitudinis[3] intellectus. Et sic credunt false ipsos intelligere infinitum meliorem Deum, quam est Deus noster, licet Deus non posset ipsum cognoscere. Et sic videtur quod Deus nihil potest intelligere, nisi quod de facto intelligit; quia si hoc potest intelligere, ipse cognoscit quod hoc potest intelligere, cum illa[4] sit veritas; et sive Deus sive homo cognoscat quod hoc potest intelligere, tunc intelligit hoc. Ideo si Deus quidquam potest[5] intelligere, tunc illud intelligit, quia ut[6] dictum est, Deus nihil potest incipere vel desinere intelligere sive cognoscere, et Deus nihil intelligit, nisi quod est saltem secundum esse intelligibile. Et ut[7] probabiliter potest dici, Deus[8] nihil intelligit, nisi quod existit, dum potest existere, et sic omne quod potest existere, existit. Sic enim proposito, quod filius tuus est, respondetur supponendo quod non, quia si non erit, non est, et e contra; et sic multa[9] sunt signa, quae errabundi vane intelligunt putantes se intelligere sua significata primaria, dum modo non sit ita. Sed juxta dicta superius intelligunt sic commiscendo signatum termini cum modo intelligendi, ut non[10] docetur, sed supponitur esse falsum, quia Deus intelligit filium meum. Et hoc videtur consonantius, quam concedere, quod quilibet Frater[11] infinitas uxores habet et filios, imo, quod omne scandalum sibi impossibile sibi inest, et sic Deus non intelligit filium tuum, montem aureum, et inintelligibile, licet intelligat ista signa; et sic non sunt ydeae talium, cum non existentis non sit ydea. De *peccato* concedo[12], quod Deus ipsum intelligit et cognoscit, non tamen habet peccatum ydeam; sed homo cognoscendo creaturam peccabilem et quod peccat,

Deus nihil potest intelligere nisi quod actu intelligit.

Peccati non est idea.

[1] scil. mendicantes. [2] imo] ideo, ed. pr. [3] amplitudinis] ampliationis, A.B.C.; amplioris, ed. pr. [4] illa] illud, A. [5] potest] vult, ed. pr. [6] ut] om. ed. pr. [7] ut] om. ed. pr. [8] Deus] quod Deus, A. [9] multa] infinita, ed. pr. [10] ut non] non ut, A.B. [11] scil. mendicans. [12] concedo] quidem conceditur, A.B.C.; conceditur, ed. pr.

sine ydea, hoc est per carentiam vacuitatis ydeae (ut dicit *Lincolniensis*)[1] cognoscit peccatum, et sic de quocunque malo culpae, abstractive[2] et formaliter intellecto. Omne quidem[3] tale cognoscitur a Deo per carentiam ydealem, sicut homo cognoscit tenebram per carentiam speciei luminis[4]. Quia tamen materia ista est difficilis et brigosa, ideo ab illa supersedeo, relinquens pro alio loco diffusum tractatum istius materiae.

## CAP. X.

*Dei intellectus et potentia cum iis, quae sunt, adaequantur.*

*Pseustis.* Hic manifeste laberis in caribdim concedens quod Deus solum intelligit quod existit, et quod nihil potest producere nisi[5] actualiter illud producat[6], quod contradicit fidei scripturae et rationi vivaci; imo[7] ad tantum blasphemas[8] in Deum, quod homo intelligit multa falsa, quae Deus non potest intelligere, cum[9] Christus praecipiendo Petro mittere gladium in vaginam concedit, quod rogare potest Patrem, ut ipse exhibeat sibi plus quam duodecim legiones angelorum[10], et sic de multis suffragiis quae Deus non complevit. Aliter enim non foret omnipotens, cum ad omnia quae potest, terminatur sua potentia inclusive; et sic nemo foret culpandus propter aliquid quod faceret, cum absolute necessario illud eveniret, quod impugnat libertatem divinae potentiae. Imo videtur, quod in ydeis procedendum foret in infinitum[11], cum[12] pari evidentia sit ydeae ydea, qua evidentia alicujus ad extra signabilis sit ydea, et intellectus divinus foret praecise aeque[13] amplus sicut sua potentia cognitiva. Imo videtur quod sicut producibilitas creaturae et ejus intelligibilitas distinguuntur, sic forent duae maneries ydearum, secundum quarum primam Deus *intelligit* rem ad extra, juxta[14] secundam *efficit* rem ad extra.

[1] Robertus *Grosseteste*, episcopus Lincolniensis. [2] abstractive] abstracte, A.B.C. [3] omne quidem] omnino quidem, D.; omne tale, ed. pr. [4] luminis] om. D. [5] nisi] nisi quod, A.B.C. ed. pr. [6] illud producat] producet, A. [7] imo] ideo, A.B.C. ed. pr. [8] blasphemas] blasphemias, ed. pr. [9] cum] cum tamen, A.B.C. [10] Matth. xxvi. 53. [11] procedendum foret] foret praecessus, A.B.C. [12] cum] om. ed. pr. [13] praecise aeque] aequae praecise, ed. pr.; aeque praecise, C.; praecise, A.B. [14] juxta] et juxta, ed. pr.

Res rationis non re sunt.

*Phronesis*. Cum multae sint res rationis[1], quae non habent existentiam[2] vel esse existere formaliter intelligendo, patet, quod falsum assumis, cum Deus intelligit quod hoc est[3] vel erit, et intelligit quod hoc non erit, cum multis veritatibus rationis similibus, quae non possunt habere existentiam actualem. Concedi tamen potest, quod omne quod *potest* existere, tempore suo existit, et sic Deus communicat omni homini intellectivam[4] potentiam super omne, quod ipse[5] intelligit; tamen[6] necessario alio modo intelligit, quam est modus quo homo potest intelligere, cum distinctissime et inerrabiliter Deus solum intelligit, homo autem nihil intelligit nisi errabiliter et confuse. Vellem tamen addiscere in ista materia, quia nihil diffinio de Dei potentia, nec audeo profundare me in distinctione de absoluta Dei potentia et potentia ordinata. Scio tamen quod saepe lapsus sum in altitudine maris multa balbutiens quae non valui clare fundare; et in aliquibus est illud facilius, in aliis autem difficilius. Nec video nunc, quare Deus posset multa non existentia intelligere, quin per idem intelligat infinita, quae tu non potes intelligere, vel e contra utrobique[7] deficere. Et haec ratio probandi est[8] sicut somniatio, qua dicitur Deum aliqua intelligere quae non possunt esse, et ista sunt specialiter Deo cognita, sed non nobis. Talis autem vagatio captionum ex commixtione[9] sensuum materialium et significatorum inducit plurimos in caribdim, sicut religiosi errant moraliter ex commixtione suarum traditionum et legis divinae. Et sicut Deus ad intra nihil *potest* producere nisi absolute necessario illud producat, sic nihil ad extra *potest* producere, nisi pro suo tempore illud producat. Et sic orationes fiunt necessario, et aliquae implentur necessario, et aliae[10] necessario superfluae sunt. Et sic evangelium vere dicit[11], quod Deus pater potest exhibere filio plus quam duodecim legiones angelorum, et sic facit; non tamen dicit evangelium, quod illas legiones potest filio[12] concedere, *ut non taliter patiatur*, potest tamen si voluerit. Et sic conceduntur conclusiones contin-

[1] rationis] om. ed. pr. [2] existentiam] essentiam, A. [3] est] fuit, C. ed. pr. [4] intellectivam] intelligentiam, D. [5] ipse] ipse Deus, ed. pr. [6] tamen] cum, A.B. [7] utrobique] utrolibet, B.C. ed. pr. [8] Et haec ratio probandi est] ratio haec probandi, ed. pr. [9] commixtione] mixtione, A. [10] aliae] aliquae, D. [11] dicit] dicit Matth. xxvi. A.B.C. ed. pr. [12] filio] filio suo, ed. pr.

gentiae, quas clamamus[1], hoc est, opposita eorum possunt contingere si Deus voluerit, modo quo *Augustinus* concepit[2] quod Deus pater potest ad intra generare alium filium; et sic est contingentia quo ad tempus, et non contingentia simpliciter absolute. Et tamen oportet reconciliari[3], negociari, damnari, et quidquid Deus vel creatura fecerit aut omiserit in hoc mundo. Scio tamen, quod ista via est valde difficilis, et multis quae quondam opinatus sum, satis contraria; paratus tamen semper sum revocare quidquid dixero, doctus quod sit contrarium veritati. Et patet solutio ad[4] objectus concedendo[5], quod Deus nihil potest producere nisi pro mensura aliqua illud producat, quia aliter non clare solvitur ratio *Augustini* de Dei invidia vel impotentia. Ideo signata quacunque creatura, doceo[6] quod ista potest esse sive intelligi, concedo, quod Deus potest illam producere. Sed nolo multum[7] vagari circa intelligentiam[8] sive potentiam producendi res, quae non sunt, concedens, quod nihil est producibile nisi quod est, cum si hoc sit intelligibile, vel producibile, hoc est res quae potest intelligi vel produci. Et sic intellectus divinus ac ejus notitia sunt paris ambitus, sicut intellectus creatus et ejus notitia; et sic falsum assumis, quod multa intelligis[9], quae Deus non potest intelligere. Imo quamvis omne illud intelligis, quod Deus potest intelligere[10] et e contra, tamen infinitum imperfectiori modo, quam Deus potest intelligere. Et sic omne falsum quod homo intelligit, Deus intelligit, false tamen homo intelligit, qualiter non potest Deus intelligere. Sive enim falsitas fuerit in homine sive in alia signabili creatura, Deus intelligendo illam falsitatem intelligit subjectum ejus falsum, quod simul est verum, cum sua falsitate, eo quod est ens, et sic verum et per consequens intellectum[11] a Deo. Unde nec homo nec Deus intelligit, quod homo est asinus, quia, cum intelligere sit intus legere, tunc liber vitae foret falsissimus. Deus tamen clare intelligit haec signa falsa, sicut tu intelligis sic, homo est asinus; et sic,

Deus nihil potest producere, nisi aliquatenus illud producat.

[1] clamamus] manus, ed. pr. [2] concepit] concoedit, A.B.C. ed. pr. [3] reconciliari] conciliari, C. ed. pr.; consiliari, D. [4] ad] om. A. [5] concedendo] concedo, ed. pr. [6] doceo] docto, A.B.C. ed. pr. [7] multum] om. ed. pr. [8] intelligentiam] intelligibilitatem, C. ed. pr.; vagare intelligendo potentiam producendi, B. [9] multa intelligis] tu intelligas, A.B.; tu multa intelligis, ed. pr. [10] Deus potest intelligere] quod potest intelligi, A.B. [11] et per consequens intellectum] vel intellectum, ed. pr.

Deus est omnipotens, cum omne positum[1] producibile producit; peccatum autem, quod est defectus hominis, non producit[2]; et sic omnipotentia Dei et ejus actualis creatio vel causatio adaequantur[3], non quod omnipotentia sua se extendit ad aliqua quae tu non intelligis, aut quod illa non sunt signanda, sed omnia[4] hujusmodi sunt defectio[5]. Et sic tollitur vaga imaginatio sophistarum, qui false dicunt, quod intelligunt multa, quae balbutiendo nec Deus nec ipsi intelligunt[6]. Unde tales negativae, 'Deus non intelligit ista,' debent sic probari, 'ista non sunt, ergo ista non intelliguntur,' et antecedens potest intelligi sicut ejus subjectum; nemo tamen intelligit quod adaequate significat, sed quia deficit ejus adaequatum significatum, ideo verum est quod illa non sunt. Et patet plane, quod sequitur necessario, quod Deus culpabit injustum, cum aliter deficeret Dei justitia, et Deus ordinavit aeternaliter quod culpabitur[7], sed non ordinavit quod homo peccabit, quia super hoc non cadit ordinatio sed deordinatio. Et si quaeras, quare Deus non prohibuit hominem ne sic peccet, est mihi faciliter respondere, quod ideo quia hoc non fuit prohibile, cum *non fuit;* nec potentia Dei se extendit ad hoc, cum hoc *non est,* et potentia divina non se extendit ad nihil vel vacuum vel non ens. Et omnes *prohibitiones Dei,* quae exprimuntur in scriptura, intelliguntur[8] sub conditione tacita, quod si facis sic, tunc necessario punieris; ideo propter illud periculum prohibet Deus ne sic fiat, hoc est certificat, si sic factum fuerit, sic punietur; non tamen est possibile quod Deus quidquam mandet, nisi aliquis hoc observet, ut patet de Christo: aliis autem praevaricantibus[9] praecepit, quod non sic faciant, vel aliter[10] punientur. Absolute autem[11] necessarium est, quod non sic facerent[12] sicut Deus et homo necessario intelligunt[13] quidquid mandant, homo tamen saepe false intelligit illud quod mandat. Quantum ad libertatem divinae potentiae, patet quod est summe libera, et tamen quidquid facit, necessario eveniet[14]; sicut Deus pater

[1] positum] positivum, C. ed. pr. [2] producit] producitur, D. [3] adaequantur] coaequantur ed. pr. [4] omnia] omnino, B.C. ed. pr. [5] defectio] de facto, A. [6] intelligunt] intelligit, A.B.C. ed. pr. [7] culpabitur] culpabit, ed. pr. [8] intelliguntur] sub intelliguntur, D. [9] praevaricantibus] praevaricatoribus, ed. pr. [10] vel aliter] aliter, A. [11] autem] tamen, ed. pr. [12] non sic facerent] homo sic faceret, D. [13] intelligunt] intelligant, A. [14] eveniet] eveniat, ed. pr.

summe libere producit filium, et tamen necessario absolute. Et quantum ad 'libertatem contradictionis,' patet, quod est terminus magistralis erronee introductus, ut illud[1] quod Deus potest facere si voluerit, et non facere si noluerit, cum hoc[2] sit contingens quoad tempus, dicunt 'libere contradictorie' est productum.

## CAP. X.

*Non esse processum infinitum in ideis.*

Sunt limites idearum;

*Phronesis.* Quantum ad processum infinitum in ydeis, patet, quod est dare limites ydearum, cum alia sit ydea universalium et alia singularium et per consequens prima ydea est ydea substantiae vel entis analogi; et cum non sit processus in infinitum in ydeatis illis, quomodo Deus in infinitum posset procedere[3] in ydeis? Imo ipsas ydeas Deus intelligit per se ipsas, cum sint[4] essentialiter ipse Deus. Ideo falsum est, quod ydeae alia est ydea, et sic in infinitum, cum multiplicando illa verba homo balbutiendo ignorat se ipsum. Nec dices rationem diversitatis, quare haec sit incongrua: 'homo homo currit,' quin[5] per idem haec erit incongrua ac nugatoria[6]: 'ydeae est ydea,' et sic in infinitum. Et sic in[7] multis istarum locutionum sunt multae nugatoriae incongruitates, quas balbutiendo objicimus, et sicut hic est nugatio: 'Deus intelligit se ipsum intelligere se intelligere,' sic hic est nugatio: 'intellectivitatis[8] Dei est intellectio,' et sic in infinitum; et ita de ydeis, quod intellectivitatis[8] rei est alia intellectivitas, et sic in infinitum. Et sic[9] de generatione accidentium, ut quantitatis est alia quantitas, qualitatis alia qualitas, relationis est[10] alia relatio, et sic in ceteris[11] generibus procedendo. Ideo[12] docent philosophi, quod standum est in primo, licet videatur *Augustinus* asserere, quod intellectionis est alia intellectio, et sic[13] quamdiu volueris procedendo; tamen grave videtur, quod intellectio, quae est actus animae, non posset distincta intellectione

non sunt ideae idearum in infinitum.

[1] illud] idem ed. pr. [2] hoc] hoc quod, C.D. ed. pr. [3] procedere] producere, C. [4] sint] sit, ed. pr. [5] quin] quin cum, ed. pr., C. primae manus. [6] nugatoria] nugatio, D. [7] et sic in] et in, A.B.C. ed. pr. [8] intellectivitatis] intelligibilitatis, ed. pr. [9] sic] ita, C. ed. pr. [10] est] om. C. ed. pr. [11] ceteris] om. A.B.C. ed. pr. [12] Ideo] Imo, A.B.C. ed. pr. [13] sic] om. ed. pr.

concipi, variato[1] tam objecto quam tempore. Certum est tamen, quod sic geminantes intelligunt superflue atque male, et ut subtiliores grammatici concedunt, loquuntur incongrue. Et in isto errore laborant ponentes vacuum infinitum, et sic tam grammatica quam metaphisica destrueret[2] talem vagationem frivolam ultra limites rationis. Intelligamus ergo res, quae per suas existentias movent objective intellectum nostrum, et de illis habere possumus notitiam consequenter[3]. Sed sicut in materia calculatoria multi labuntur perdendo se ipsos in pelagus intellectus, sic in materia de talibus rationibus geminatis et aliis cogitationibus superflue introductis; ut multi[4] sophistae dubitant, si Deus intelligit omnes homines quos potest producere; et sunt responsiones variae sophistarum, ut quidam dicunt, quod non, eo quod non[5] possunt intelligi[6], quia signatis illis, sunt alia individua hominum quam illa signanda; et pari evidentia qua potest Deus aliquem illorum producere, potest et[7] quemlibet aliorum, et sic in infinitum. Nec est ratio quare aliquod non ens potest intelligi, quin per idem alius numerus hominum quam iste potest intelligi, et sic in infinitum. Nec est ratio signanda[8] ulterius, quare Deus potest de illo numero quem non producet, singularem hominem producere, quin per idem de alio numero signando[9] extraneo. Ideo dicunt sophistae[10] negativam, quod Deus non potest intelligere omnes homines quos potest producere, quia tunc foret sua potentia necessario limitata, et sic Deus non intelligit maximum numerum hominum quem potest[11] facere esse[12] simul, quia tunc non posset creare alium hominem cum istis mundum majorare, vel illorum aliquem minorare; et sic[13] concedunt, quod plura potest producere quam potest intelligere et e contra. Sed quando arguitur illis, si Deus potest plura producere quam producet[14], ergo aliqua et aliquid potest producere quod non potest producere[15]; et si praecise tot produceret[16] quae et quot potest

Num Deus plura producere possit quam intelligere.

[1] variato] variata, D. [2] destrueret] destruent, A.B.C. ed. pr. [3] consequenter] consequentis, ed. pr. [4] multi] multae, ed. pr. [5] eo quod non] om. ed. pr. [6] intelligi] intelligere, ed. pr. [7] potest et] potest producere. [8] signanda] fingenda, C.D. ed. pr. [9] signando extraneo] extraneo assignato, D. [10] sophistae] sophistice, A.B.C. ed. pr. [11] potest] Deus potest, C. ed. pr. [12] facere esse] facere, ed. pr. [13] sic] om. ed. pr. [14] producet] producit, ed. pr. [15] producere] producere, stabat Johannes, D. [16] produceret] producere potest, ed. pr., C. secundae manus.

producere[1], tunc est dare maximum numerum quem potest producere, et sic ille numerus est signandus, et sic potentia Dei terminatur ad finitum et maximum quod potest, quod tamen effugiunt ut venenum; in omnibus istis facilitati sumus concedere, quod est dare maximum, quod Deus potest intelligere; quia istos homines quos Deus intelligit et producit, potest intelligere, et non ultra; unde sicut idem est *Deus intelligit hoc*, et *potest*[2] *intelligere hoc*, sic idem est *Deus facit hoc*, et *Deus potest facere hoc*. Potentia autem sua est utrolibet infinita, cum sit potentia non habens finem ulteriorem. Potentia autem creata est finita, quia habet finem supra se ipsam objective et finaliter terminantem. Et ita concedi potest, quod idem est producibilitas creaturae et ejus intelligibilitas, cum idem sit, Deum intus legere[3] creaturam quamlibet, et ipsam producere vel servare. Alia autem[4] videtur instantanea productio quam servatio vel intellectio, et sic eadem est ydea causandi et intelligendi quamlibet creaturam. Sed cum peccati non sit ydea, nec peccati productivitas vel producibilitas est in Deo; oportet concedere peccatum esse, et adesse vel potius[5] abesse deficere; et sic ratione peccati oportet in 'esse' aequivocare, et sic quilibet qui malefacit vel peccat, videtur tante malefacere quante potest. Et ista moderatio hominis mensuratur per Deum ad tantum quantum potest, licet ipse ignoret terminum mensurantem[6], sicut infans putat se posse[7] moveri et progredi ultra hoc quod limitat ipsum ducens, quia credit erronee ipsum hoc facere ex se ipso. Notanda tamen est distinctio actionis Dei ad intra et actionis suae ad extra, cum prima non sit tempore mensurata, sicut mensuratur secunda; et[8] quamvis necessario Deus facit hoc opus, sicut et ipsum intelligit, tamen necessario Deus semper intelligit[9], sed non semper necessario illud facit. Et sic actio Dei ad intra non individuatur a tempore, licet necessario ad actionem Dei intrinsecam tempus consequitur. Nec despicienda est illa sen-

Quo sensu potentia Dei sit infinita.

[1] producere] producere, *stabat Johannes*, ed. pr., C. secundae manus.
[2] potest] Deus potest, C. ed. pr.
[3] Deum intus legere] dicendum, inter legere, ed. pr.
[4] autem] tamen, D.
[5] potius] om. ed. pr.
[6] terminum mensurantem] bravium mensurantem, B.; bravium mensurantis, A.
[7] posse] om. B.C. ed. pr.
[8] et] om. ed. pr.
[9] tamen necessario Deus semper intelligit] om. ed. pr.; tamen necessario Deus *se ipsum* intelligit, D.

tentia, licet *Avicenna* et priores philosophi[1], quos nominamus haereticos, ipsam tenuerunt. Quia sicut in materia de[2] sacramento altaris plures ultra hoc quod cognoscunt, balbutiunt, sic in illa materia; dicunt enim, quod consecrata hostia est accidens sine subjecto, et tamen hoc non possunt intelligere; et sic affirmant quae non possunt concipere nec Deus ipsos docere, et sic indubie false concipiunt et indocte, cum Deus doceat omnem veritatem et solum illam quam ipse semper intelligit et potest facere ipsos intelligere vel intus legere in libro vitae.

[1] priores philosophi] plures alii philosophi priores, ed pr.; plures alii plurimi philosophi priores, A.B. [2] materia de] om. A.B.

# LIBER II.

## CAPUT I.

*De unitate mundi.*

Quaelibet pars mundi videtur *necessario* creata esse.

*Alithia.* Videtur post illam generalem sententiam dictam de Deo, loquendum esse[1] *de universitate creata*, supponendo illam universitatem, loquendo generaliter, esse mundum, licet mundus communiter accipiatur[2] pro universitate creatae substantiae. Et *primo* videtur, quod quaelibet pars mundi *necessario* est creata[3], quia quaelibet pars mundi est, et si est, necessario est; et quod necessario creatur, ex hoc evidet, quod necessario producitur ab esse intelligibili ad existentiam actualem; ideo ejus creatio vocatur actio Dei ad extra. Nam quacunque parte mundi signata, nisi suum esse intelligibile et suum esse existere distinguantur, ita absolute necessario est aeterna sicut Deus[4]. Et patet, quod aliud est rem semper esse et illam aeternaliter esse, cum mundus semper est, quia in omni tempore, et tamen non aeternaliter, ut patet ex ejus creatione, nam[5] instans creationis oportet incipere sicut mundum.

Vocando autem mundum aggregatum ex universitate creaturarum tam substantialium quam accidentalium, videtur quod consistit in quadam successione, et componitur[6] ex non quantis. Sed vocando mundum aggregatum ex perpetuitate creatae substantiae quoad sua essentialia, videtur mundum[7] esse perpetuum, cum materialis essentia, quam quidam vocant materiam primam, sit perpetua, quantum libet sit divisa; et aliae abstractae substantiae, quas vocamus angelos, humanae animae,

[1] esse] esse generali sermone, D. [2] accipitur] accipiatur, ed. pr. [3] creata] creatura, ed. pr., B. primae manus. [4] et sic Deus] sicut Deus, A.B. secundae manus, C. ed. pr. [5] nam] nam quia, ed. pr., B. primae manus. [6] componitur] non componitur, A. [7] ex perpetuitate—videtur mundum] om. ed. pr.

et universalia, etiam sunt perpetua, cum necessario semper erunt. Nec oportet sollicitari de unitate hujus mundi, a qua forma est individuus[1] vel unus ex tam multis substantiis aggregatus.

*Pseustis.* Ista verba[2] videntur nimis insipida et totam philosophiam destruentia. Quis, quaeso, diceret, quod pro quolibet instanti est novus mundus, et mundus desinens[3] esse? Item aggregatum ex accidentibus et substantiis videtur esse idem cum ipsis substantiis, sicut idem est homo albus et homo. Item videtur, quod mundus acceptus pro universitate substantiarum continue innovatur, cum continue generantur substantiae sublunares, ut patet de elementis[4], de mixtis, et specialiter de animabus humanis.

Quo sensu vox mundi accipiatur.

*Phronesis.* Constat, quod mundus accipitur satis aequivoce, cum secundum philosophos[5] homo dicitur minor mundus, corpus etiam sublunare vocatur minor mundus, secundum se totum incorruptibilis; homines etiam in notabili multitudine cum rebus eis adjacentibus vocantur saepius totus mundus. Et sic ex diversitate modi loquendi patet philosophis, quomodo mundus accipitur; et sic universitas creata potest dici mundus, quam oportet incipere tam secundum partes substantiales quam accidentales, ut patet[6] de instantibus, de luminibus et corporibus sublunaribus continue generatis. Et ideo dicunt vulgares, quod variata notabiliter nostra habitabili per respectum[7] faciei coeli advenit novus mundus. In isto autem mundo oportet esse aliqua solida permanentia, sicut in homine sunt membra spermatica, et illa sunt de creatione prima ordinata esse perpetua; et sic quia aliqui nolunt acceptare aequivocationes hujusmodi, est contentio voluntaria inutilis et inanis. Et patet solutio ad tuam *primam* instantiam; et sic loquentes de mundo debent in ejus sensu ad tollendam[8] aequivocationem primitus convenire. Ad *secundam* tuam instantiam patet logicis, quomodo aggregatum potest dicere substantiam[9] et accidens in sensu composito, sic quod illud incipiat vel

1 individuus] individua, A. 2 ista verba] verba, A.B.C. ed. pr. 3 mundus desinens] desinens, A.B.C. 4 ut patet de elementis] ex elementis, ut patet, ed. pr., C. primae manus. 5 philosophos] plurimos, A.B.C. secundae manus. 6 patet] om. A. 7 habitabili per respectum] habitabili terra per respectum, ed. pr.; habitabili parte, A.B.—' Habitabilis' substantivo sensu, i. e. ἡ. οἰκουμένη. 8 tollendam] tollendum, ed. pr. 9 dicere substantiam] dici substantia, ed. pr.

desinat ad inceptionem vel desinitionem partis suae substantialis vel accidentalis. Aggregatum etiam[1] potest denotare talem substantiam, cui inest accidentaliter tale accidens assignatum, ut homo albus potest vocari natura hominis, et non hujusmodi aggregatum. Et primo loquuntur *Aristoteles* et *Averois* commentator suus communiter. Et in illa dissensione[2] verbali stat tua replicatio sine fructu. Ad *tertiam* tuam instantiam patet, quod stat contentio in aequivocatione acceptionis mundi. Communiter tamen dicitur, sicut est continue idem homo propter unitatem animae et unitatem membrorum spermaticorum, sic est continue idem mundus, propter unitatem materialis essentiae, et unitatem Dei, qui secundum quosdam[3] dicitur anima mundi.

Quomodo mundus dicatur unum corpus.

Et quo ad unitatem formae intrinsecae, quae est pars mundi, est dissensio apud multos; ut quidam autumant, quod angelus est pars coelestis corporis atque mundi; quidam autem, ut Avicenna et alii peripatetici, putantes quod coelum movetur ex se, credunt quod coelum habet animam sensitivam, cui inest virtus imaginativa, et non sensus particularior. Nec mireris, quomodo mundus dicitur unum corpus, et continuum ex partibus immediatis, licet sint corpora disparium specierum, quia sic est in homine; imo duo homines quantumcunque distantes, faciunt unum corpus et unum spiritum et unam animam, cum localis distantia vel contiguatio non impedit, quin talia constituant unum corpus, eo quod juxta *Porphirium* participatione speciei plures homines sunt unus homo. Mihi autem videtur, quod angelus non componit cum orbe, et si moveat illum orbem, tamen[4] potest mitti ad terram juvando homines et redire. Nec videtur mihi oportere quod orbis habeat sic animam sensitivam, licet luna et aliae influentiae coelestes vivificent massam corporis sublunaris, et ita totus mundus corporeus est una substantia sufficienter[5] continua, cum sit naturaliter unum corpus. Et ad corruptionem suarum partium sublunarium, non oportet ipsum corrumpi, vel si corrumpitur secundum partem[6] et[7] secundum

[1] Aggregatum etiam] et terminus accidentalis personaliter, C.D. ed. pr. [2] dissensione] dissertione, ed. pr. [3] quosdam] aliquos, A.B. secundae manus. [4] tamen] cum non, ed. pr.; tamen nunc, A. [5] sufficienter] superficialiter, A.B. [6] partem] unam partem, A.B.C.; suam, ed. pr. [7] et] om. A.

aliam generatur, non tamen incipit vel desinit pro tunc esse. Et sic communis logica, et philosophia excutiunt difficultates sophisticas[1], quae in illa materia ventilantur. Et hoc satis est de unitate et de incorruptibilitate hujus mundi.

## CAP. II.

### *De aeternitate, aevo, tempore.*

*Alithia.* Videtur propter dicenda consequentia[2], esse pertinens de mensura triplici pertractare[3], scilicet, de aeternitate, aevo, et tempore[4]. *Aeternitas* autem est duratio Dei secundum esse immobile; et vocatur a *Boëtio* interminabilis vitae possessio tota simul, cum in aeternitate non succedunt partes sive instantia[5], eo quod Deus non habet esse transmutabile vel 'obumbrationem vicissitudinis[6],' sicut mundus. Conceditur tamen, quod Deus fuit et erit propter adjacentiam temporis, quod contingenter vel accidentaliter sibi inest, sic quod si per impossibile non esset[7] mundus aut motus sensibilis, non inesset Deo fuisse vel fore[8], sed simpliciter purum esse. Et sic non oportet mussitare de partibus vel instantibus aeternitatis, aut quod alii quam Deo potest ipsa formaliter competere, licet causaliter principiet omnem mensuram creatam. Nec refert, sive ipsa aeternitas vocetur instans[9] aeternitatis sive pura aeternitas, cum sit idem. *Aevum* autem vel aevitas est mensura spiritualis et mole indivisibilis creatae substantiae, secundum quam dicitur perdurare, et non consistit in successione, sicut nec aeternitas.

Aeternitas atque aevum quid sit, definitur.

*Pseustis.* Ista videtur brigosa sententia, *primo* quia videntur esse tot aevitates[10] quot sunt tales spiritus perdurantes; verumtamen sicut est una aeternitas et unum tempus, sic videtur quod sit una aevitas, quae omnibus talibus spiritibus est communis. *Secundo* videtur, cum angeli possunt moveri tam sensibiliter quo

[1] sophisticas] sophismaticas, ed. pr., C. primae manus. [2] consequentia] subst., consequenda, ed. pr. [3] pertractare] pertractatio, A.B.C. ed. pr. [4] tempore] perpetuo tempore, A.B.C. ed. pr. [5] instantia] instanti, ed. pr. [6] sc. Iac. i. 17. [7] non esset] non est, A. est, D. [8] fuisse vel fore] fore vel fuisse, A. [9] instans] pars, ed. pr. cum A.C. primae manus. [10] aevitates] aeternitates, D.

ad corpus quam insensibiliter secundum affectiones animi, quod fuisse et fore insunt suis durationibus, sicut et tempori. Ad quid ergo oportet ponere aevitatem hujusmodi ante tempus?

*Phronesis.* Quantum ad *primam* instantiam tuam videtur, quod multitudo illorum spirituum sicut dicitur non constituere unum spiritum, ita sua prima duratio non dicitur constituere unum aevum. Mihi autem videtur probabile, quod illi spiritus constituunt unum spiritum, et quod omnibus illis una aevitas est communis, et quod ex adjacentia temporis, ratione mutabilitatis suae, habent propriam quandalitatem[1] et fuisse ac fore, quod est posterius ipso aevo; et[2] beati intuentes divinam essentiam ac immoti in suis affectionibus habent unam durationem constantem, non successivam. Oportet ergo quod illa duratio habeat quoddam nomen, et praeter illam communem aevitatem videtur quod singulus illorum spirituum habet propriam mensuram, quae a quibusdam dicitur aevitas, et ab aliis quandalitas aevitatis; nec est difficultas in istis variationibus terminorum. Ad *secundam* instantiam tuam, patet, quod conclusio illata debet concedi; verumtamen aevitas est ante tale fuisse vel fore angeli. Angelus autem potest mirabili celeritate assumere sibi corpus praeter unionem hypostaticam, et aptare sibi illud corpus in figura et accidentibus humani corporis. Propter quod *Gregorius* et alii sancti vocant tale aggregatum ex spiritu et tali corpore 'animal rationale,' et sic talis quandalitas creati spiritus tempore mensuratur, et non solum illa aevitas[3], sed successiva affectio ac insensibilis talis creati spiritus, sive bona fuerit sive mala; et ita videtur substantiam materialem et spiritum hominis habere quandam aevitatem, durationem suam successivam[4] naturaliter praecedentem. Et[5] posito quod subducta foret omnis successiva mutatio sive tempus, staret cum hoc, quod tales substantiae habeant durationem solidam permanentem.

Quid sit tempus.

De *tempore* autem videtur[6], quod sit duratio mundi in esse transmutabili, secundum prius[7] et[8] posterius successivum, et sic quaecunque mundi pars[9] mota fuerit, inest mundo tempus. Ideo

[1] quandalitatem] qualitatem, ed. pr. [2] et] ut, A.B.C. ed. pr. [3] aevitas] om. ed. pr. cum C. primae manus, D. [4] successivam] om. D. [5] et] ut, ed. pr. cum C. primae manus, D. [6] videtur] videtur mihi, D. [7] prius] esse prius, ed. pr. [8] et] et secundum, A.B.C. ed. pr. [9] pars] pars sic, ed. pr.

quodam modo vere opinatus fuit *Averois*, quod tempus motum consequitur in communi. Relictis autem erroribus de quidditate temporis, capiendum est, quod ex unitate mundi et motus sui est idem tempus in numero multiplicatum per totum mundum in coelo et in mari, et praeter illud tempus partes mundi habent[1] suas proprias quandalitates, quae ex mensura temporis sunt causatae. Et ideo vere dicit *auctor 'sex principiorum,'* quod quando vel quandalitas est illud quod derelinquitur ex adjacentia temporis, cum duo genera quantitatis, scilicet tempus et locus principiant duo praedicamenta, scilicet septimum et octavum. Et sic nullius partis mundi successiva duratio est tempus, sed ipsa quandalitas. Et patet, quod si aliqua pars mundi successive duraverit post diem judicii, tunc post diem judicii erit tempus. Verumtamen ad hoc, quod pars mundi tempore mensuretur, videtur oportere, quod illa pars transmutationem habeat successivam, ut omnino quieto coelo, et moto angelo vel corporaliter vel spiritualiter, tunc ipsum coelum est in tempore sicut Deus, sed non tempore mensuratur, ut modo Deus[2]. Et beati exempti a tempore sunt in tempore[3], cum sunt[4], fuerunt et erunt, et tamen non sequitur[5], quod tempore mensurantur; ideo talis quandalitas eorum videtur esse dicta aequivoce, quo ad quandalitatem corporis tempore mensurati.

Instans temporis quid sit.

Instans autem temporis est pars ejus indivisibilis, tam quo ad molem quam quo ad successionem, cum sit istum mundum, quo ad moveri vel mutatum esse, indivisibiliter permanere. Et ita instans temporis, cum omne tempus sit quantitas, non dicitur esse tempus, sed temporis initium[6] vel finis. Idem tamen est instans temporis per totum mundum, et partes[7] mundi habent suas quandalitates indivisibiles sicut[8] mundus, et illae quandalitates non sunt instantia, sed ut[9] *Gilbertus Porretanus* loquitur, 'quando simplex[10].' Et ex istis sedari potest dissensio, in qua diversi homines in materia de inceptione mundi inaniter altercantur, supponendo primo, quod omne quod fuit vel erit, est in

[1] habent] habet, ed. pr. [2] ut modo Deus] sic et modo Deus, ed. pr.; sicut nec Deus, A.B.C. [3] et beati exempti a tempore sunt in tempore] et beati exempti sunt a tempore intelligentiae, ed. pr. [4] sunt] tunc sunt, A. [5] tamen non sequitur] tamen non semper, D. [6] initium] infinitum, ed. pr. [7] partes] pars, ed. pr. [8] sicut] sed, D. [9] sed ut] sicut, ed. pr. [10] quum simplex] om. ed. pr.

aliqua parte magni temporis; et supponendo secundo, quod res tunc incepit esse, quando pro aliquo instanti temporis est, et ante illud non fuit; tunc pro primo instanti mundi[1] mundus incipit, quia pro illo instanti mundus est, et ante illud non fuit. Deus autem licet sit in illo instanti, et ante illud instans non fuit secundum fuisse successivum, non tamen mihi videtur incipere esse[2] pro illo instanti, cum non potest tempore vel instanti temporis mensurari. Et sic aliud est esse *in* instanti temporis et esse *pro* instanti temporis. Mundus autem et quaelibet pars ejus est pro illo primo[3] instanti temporis, sed non Deus, cum quaelibet pars mundi creatur, et Deus est increabilis, cum non potest incipere existere, vel habere esse ante existentiam actualem. Concedi tamen potest, quod continue post primum instans esse mundi est verum, quod Deus fuit *ante* illud instans, sed non temporaliter vel variabiliter, imo naturaliter et causaliter prius. Verumtamen si essemus in primo instanti mundi, tunc non est ita, sed *incipit* ita esse, quod Deus fuit ante quam[4] mundus fuit. Et sic videtur mundus et partes mundi[5] prius naturaliter fuisse ante illud instans, et sic melior, brevior, ac convenientior[6] videtur esse illa loquutio, quam pictaciae superadditae expositioni[7] inceptionis, quod illa propositio, 'Deus incipit esse' debet sic exponi, 'Deus est, et non fuit, si aliquid fuit;' tum quia 'inceptionis' significatio variatur, cum juxta istam significationem quaelibet creatura semper inciperet, tum etiam quia generaliter est inceptio univoce describenda[8]. Et ita ista propositio 'ante' dicit aequivoce nunc prioritatem ordinis naturalis[9] et nunc prioritatem temporis, ut in expositione inceptionis. Si autem quis contenderit circa repugnantiam jam dictorum, potest latius[10] exprimere illam aequivocationem, ut si res incipit esse, tunc est pro aliquo instanti temporis, et non ante illud temporaliter est vel instanter, quia mundus est ante illud instans, quia[11] est prius

Primum instans temporis.

[1] mundi] om. ed. pr. [2] mihi videtur incipere esse] videtur mihi esse, D., ed. pr. [3] illo primo] primo, om. ed. pr.; illo om. A.B.C. [4] ante quam] aut quod, ed. pr. [5] mundus et partes mundi] mundum et partes mundi, B. ed. pr.; pars mundi, A. [6] convenientior] communior, ed. pr. [7] expositioni] expositiones, D. [8] describenda] distribuenda, B., C. ed. pr. [9] nunc—naturalis] nunc prioritatem ordinis, alias originis naturalis, ed. pr.; originis naturalis, A. [10] latius] logicus, D. [11] quia] quod, ed. pr. cum C. primae manus.

naturaliter, non tamen est temporaliter ante illud, sicut nec Deus. Deus tamen non est pro illo instanti, sicut est mundus cum qualibet ejus parte.

## CAP. III.

*De compositione rerum creatarum.*

Continuum componi ex non quantis, demonstratur.

*Pseustis.* Impossibile saepe assumis, quod continuum componitur ex non quantis, quod *Aristoteles* saepe reprobat contra *Platonem* atque *Democritum*, imo vivax ratio ac demonstratio mathematica[1] illud docet.

*Phronesis.* Certum videtur sapientibus, sicut in Arithmetica, sic in Geometria et ceteris scientiis, quantum componi[2] ex non quantis, quae oportet esse principia cujuscunque compositi, in tantum quod homo non posset esse, nisi cum corpore componitur ex spiritu, qui inter ceteras partes hominis maximus est virtute. Et quaecunque substantia sensibilis componitur ex genere[3] et ejus differentia, quae sunt indivisibiles quo ad molem. Feci autem saepius hanc evidentiam; capiatur A corpus[4] vel quodcunque continuum, et noto[5] omnes ejus partes, ex quibus componitur, et quaero ulterius, utrum sunt indivisibiles et non quantae, vel divisibiles atque magnae, vel partim sic et[6] partim sic. Si primo modo aut tertio componitur[7], habetur propositum, scilicet quod continuum componitur ex non quantis; si secundo modo, tunc omnes illae partes et quaelibet earum est divisibilis in partes ulteriores, ergo numerus illarum assignatus in principio[8] non est numerus totalis omnium partium A signati[9]. In ista autem responsione suppono cum *Augustino* et fide scripturae, quod sicut Deus vidit cuncta quae fecerat, sic distinctissime intelligit omnes partes cujuscunque continui, sic quod non est dare ulteriores vel alias ipsum continuum componentes; et sic[10] videtur ratio plane procedere. Et[11] quantum ad textum *Aristotelis* et suorum sequacium, patet, quod non facit fidem, cum saepe

[1] mathematica] methaphisica, B.C. ed. pr. [2] componi] quod—componitur, D.; componitur, ed. pr. cum B. primae manus. [3] genere] specie, ed. pr. cum C. primae manus, D. [4] A corpus] corpus, ed. pr. [5] noto] voco, C. [6] et] vel, A. [7] componitur] conceditur, C. ed. pr. [8] in principio] om. A. [9] A signati] assignatus, A.B.C.; assignati, ed. pr. [10] sic] tunc, D. [11] Et] om. ed. pr.

erraverat. *Democritus* autem, *Plato*, *Augustinus*, *Lincolniensis*, qui ita senserant, sunt longe clariores philosophi, et in multis methaphisicis[1] scientiis plus splendentes. Ideo quando assumis, quod vivax ratio vel demonstratio methaphisica[2] contradicit, false petis, ut[3] assoles[4], quando tibi deficiunt argumenta. Sicut enim ternarius non est divisibilis in duas medietates aequales simpliciter, sic sensibile continuum ex partibus indivisibilibus imparibus integratum. Et hinc mathematici[5], qui cum hoc sunt sensibiles philosophi, vocant tales partes compositi 'ejus medietates communiter intellectas,' quarum una insensibiliter vel indivisibiliter excedit[6] aliam. Unde major pars argumentorum tuorum non plus procedit contra compositionem continui ex non quantis, quam contra compositionem numeri ex unitatibus. Ideo dicunt sensibiles philosophi, quod talium continuorum aliqua pars est aliquota quo ad Deum, quae non est nobis aliquota, et alia sensibiliter aliquota, et sic distinguuntur partes commensurabiles et partes incommensurabiles. Indivisibilia autem non sunt partes aliquotae et commensurabiles quo ad nos sensibilis continui, sunt autem partes aliquotae et commensurabiles quo ad Deum. Exemplum patet de angulo contingentiae, qui quotiens volueris in angulo rectilineo continetur, ut patet in tertio elementorum *Euclidis*[7], et tamen certum est, quomodocunque loquamur de angulis[8], angulus contingentiae[9] continetur in quocunque angulo rectilineo solum finicies[10] quo ad Deum. Et quo ad compositionem orbis ultimi ac ejus curvationem in sua circumferentia, certum est quod jacet compositio secundum quod per naturam indivisibilium mensuratur. Modicum quidem est, quod unum per mensuram indivisibilem excedit[11] reliquum quo ad magnitudinem, obliquitatem[12], curvitatem[13], vel alias hujusmodi passiones. Nec oportet multum sollicitari

[1] methaphisicis] mathematicis, A.D. [2] methaphisica] mathematica, A.D. [3] ut] nec, ed. pr. [4] assoles] confundas, B., A. primae manus, C. secundae manus. [5] mathematici] methaphisici, ed. pr. cum C. primae manus. [6] excedit] procedit, ed. pr. [7] elementorum Euclidis] elenchorum secundum Euclidem, ed. pr. [8] loquamur de angulis] loquantur de angulo, ed. pr. [9] contingentiae] continentiae, ed. pr. [10] finicies h.e. finitis vicibus, s. in numerum finitum, verbi forma simili verbis 'decies, millies,' etc. [11] excedit] excedat, D. [12] obliquitatem] obliquantem, ed. pr. [13] curvitatem] curvedinem, ed. pr., C. primae manus, D.

tractando istam materiam quo ad omnem punctum mundi, in quo[1] materia nostrae ignorantiae est expansa.

*Pseustis.* Video quo modo praecipitanter ad probandum compositionem continui ex non quantis[2] assumis, quod sunt *universalia ex parte rei*, ut species et differentiae, quas leviter non poteris somniare.

Sunt universalia ex parte rei.

*Phronesis.* Certum est, *quod sunt universalia ex parte rei*, testificata tam ab *Aristotele* quam *Platone*, licet Plato subtilius ascendat[3] in universalibus ydearum, et spiritus sanctus[4] in Mose sonuerat in principio libri sui, vocans rerum creatarum principia genera et species, ut patet in principio Genesis; quae indubie spiritus domini[5] intellexit non esse terminos vel conceptus, sicut somniant haeretici, exponentes fidem scripturae ad sensum quem spiritus sanctus non flagitat. Et concordat ratio naturalis, cum Socrates[6] et Plato magis conveniunt, quam Socrates et asinus; illud ergo, in quo conveniunt, est commune, ut primo conveniunt in specie, et sic gradatim in genere[7], quousque ad genus generalissimum sit adventum[8]; sicut enim est commune tam Socrati[9] quam Platoni esse hominem, sic omni individuo hominis, esse hominem et per consequens[10] communis essentia vel quidditas hominis est communis, et illa vocatur species specialissima, ut suppono; et argutias factas in oppositum non est dignum solvere vel etiam recitare[11]. Et per haec patet medium, ut docet *Augustinus* ad ascendendum in notitiam Trinitatis et tollendum argutias, quae in ista[12] materia sunt communiter objectae.

*Pseustis.* Adhuc claudicas in descriptione creationis, cum secundum sensum tuum quodlibet individuum etiam indivisibile quo ad molem, componitur ex genere et differentia, et per consequens non fit[13] ex nihilo, quia ut concorditer dicunt philosophi, ex[14] nihilo nihil fit.

*Phronesis.* Hic aequivocas ad colorandum tuas argutias, cum

[1] in quo] om. C. ed. pr. [2] quantis] quantatis, ed. pr. [3] ascendat] ascendit, D. ed. pr.; ostendit, B. [4] spiritus s.] species, ed. pr. [5] spiritus domini] species, ed. pr. [6] Socrates] Sortes, ed. pr.; sortes, A.D.; sor, B.C. [7] in genere] om. B.C.D. ed. pr. [8] adventum] deventio, C.; deventum, ed. pr. [9] Socrati] Sorti, sorti, Sor, A.B.C. ed. pr. [10] esse hominem, et per consequens] per conjecturam; omnes libri manu scripti nec non ed. pr., et per consequens esse hominem. [11] etiam recitare] recitari, ed. pr.; etiam, A.C. [12] ista] om. A.B.C. ed. pr. [13] fit] om. ed. pr. [14] ex] quod ex, A.B.C. ed. pr.

communiter accipitur[1] a philosophis, quod omnis res citra Deum fit[2] a Deo sine praejacente materia, quam Deus necessario praesupponit, et hoc sive in se ipsa[3] sive in suo materiali principio. Unde *Auctor de causis* istam materiam profunde considerans notat, quod prima omnium rerum creatarum est *esse*, et ante ipsum non est creatum aliud; *esse* quidem analogum ad decem genera est prima omnium creatarum rerum[4], et ex illo procedunt species et genera ordinate, et primo genus substantiae, secundo genus quantitatis, tertio genus qualitatis cum suis partibus subjectivis, et sic in illo esse analogo Deus creavit omnia *simul*, et praeter haec quo ad simultatem[5] primi instantis temporis, ac tertio quo ad creationis simultatem[6] totius materialis essentiae. Istis quidem tribus modis, qui vivit in aeternum, creavit omnia simul, unde quacunque creatura signata, illa fit a Deo pro aliqua mensura, et non ex aliquo materiali principio praecedente. Et illud supponitur esse descriptive creari. Unde creaturae habent triplex esse notabile. Primo *esse intelligibile*, vel ydeale aeternum in Deo, secundo *esse exemplare* in suis principiis, quomodo creaturae productae posterius creantur in principio mundi in suis principiis; et tertio *esse individuum* in suo completo[7] existere, quod fit opere administrationis; et propter medium *esse*[8] dicuntur omnia facta a Deo creari, licet opere administrationis ex aliis producantur.

## CAP. IV.

### *Materia prima.*

*Pseustis.* De *materia prima* varie loquuntur philosophi, ac si nec se ipsos intelligerent nec materiam de qua balbutiunt; specialiter cum *Aristoteles* dicat, quod ipsa non est cognoscibilis nisi per analogiam ad formam, et forma non est cognoscibilis nisi per subjectum[9], quod est ipsa materia.

[1] accipitur] concipitur, D. [2] fit] sit, A. ed. pr. [3] ipsa] ipso, A.B.C. ed. pr. [4] rerum] om. C. ed. pr.; principium omnium creatarum rerum, A.; rerum om. D. [5] simultatem] instans idem, sive coaevum. [6] simultatem] similitatem, A.; similitudinem, B.C. ed. pr. [7] completo] complete, ed. pr. [8] scil. propter esse exemplare. [9] subjectum] objectum, D.

*Phronesis.* De materia prima satis obscure loquuntur philosophi, cum *Plato* dicat ipsam esse fraudem fictam in crassis tenebris involutam; *Aristoteles* autem[1] dicit septimo Metaphisicae, quod nec est quid nec quale nec aliquid aliorum entium. *Augustinus* vero dicit, quod est proprie[2] nihil. Urso autem[3] asserit, quod est medium inter ens et non ens; et tales locutiones philosophorum concipere videtur vires nostras excedere. Ego tamen concipio, quod materia prima est materialis essentia, quae non est in partes qualitativas[4] diversarum naturarum divisibilis, sed est[5] qualiscunque formae substantialis secundum aliquod ejus suppositum susceptiva; et sic per transmutationem substantiae est ista materia[6] a viatoribus cognoscenda. Nec recipit[7] formaliter praedicationes, quas[8] recipiunt corpora[9] ex ipsa et materiali forma composita. Non autem intelligo formam substantialem materiae primae esse aliquid, quod potest per se existere, sed illam materialem essentiam formaliter esse talem; et sic tam materia prima[10] quam sua forma quam etiam ex illis compositum, licet realiter distinguantur, sunt tamen eadem materialis essentia; et omnia talia indicant trinitatem. Forma autem cum sit dispositio materialis essentiae non accidentalis, sed quidditativa, correspondet quodammodo *Verbo Dei;* essentialis materia ex qua[11] fit compositum, habet correspondentiam *Deo patri;* et compositio istorum ad invicem dicit connexionem *Spiritus* increati. Illa autem materia prima, cum non sit per se formaliter aliquid vel aliqualis[12], ut dicit *Aristoteles*, vocatur a *Platone* loquente abscondite, 'fraus ficta crassis tenebris involuta,' et sic est proprie[13] nihil[14] existens in actu, et nihil existens formaliter, ut loquitur *Augustinus;* imo est medium inter aliquid existens in actu[15] et nihil existens in actu formaliter intelligendo[16], ut loqui-

Materia prima quid sit.

[1] autem] tamen, A.B.C. ed. pr. [2] proprie] prope, ed. pr. [3] Urso autem] et Urso, C.D., B. primae manus, ed. pr.; Brisso autem, A. secundae manus.—*Urso* scholasticus physicae et philosophiae naturalis magister seculi xiii, cujus Aphorismi et alia scripta in bibliothecis Anglicis, ex. gr. Bodleiana, Collegii Novi Oxoniensis, aliis adservantur. Cf. *Coxe*, Catalogus codicum MSS., qui in collegiis aulisque Oxoniensibus adservantur. Oxon. 1852. p. 67, Coll. Novi. [4] qualitativas,] quantitativas, A. [5] est] etiam, A.B.C. ed. pr. [6] materia] natura, A.B.C. secundae manus. [7] recipit] om. ed. pr. [8] quas] quales quas, ed. pr. [9] corpora] corporaliter ed. pr. [10] prima] om. A. [11] qua] quo, ed. pr. [12] aliqualis] aliqua, ed. pr. [13] proprie] prope, ed. pr. [14] nihil] nihil nihil, B.C. [15] in actu] om. A. [16] intelligendo] intelligo, ed. pr.

tur superius Urso[1]. Nec oportet nos sollicitari, utrum componitur ex suis partibus intensivis[2], quod alias in nostra stultitia diffuse tractavimus; sed componitur ex suis partibus quantitativis usque ad sua indivisibilia, ex quibus varie componentibus resultat formaliter substantialis forma; sed principaliter et per se completa substantia, ut noverunt philosophi, in ista materia[3] subtilibus verbis loquentes[4], sic quod non potest esse plurior, paucior[5], vel alia materia prima quam est modo. *Aristoteles* tamen videtur dicere, quod generatur per accidens, quia est subjectum generationis compositi, ideo denominatur transmutatione successiva, qua compositum generatur, aliud tamen[6] generatur; quod cum generatur[7], sic particulariter quo ad subjectum pro tempore suae generationis non est, alteratum vero pro tempore suae alterationis est, et loquor de esse existere in[8] individuo; ideo, ut arguit *Aristoteles*, generatio et alteratio distinguuntur. Et eadem materialis essentia, quae est ignis[9], creata est in mundi principio, et illa essentia, ut est susceptiva illius formae, est materia prima; et ut est in actu[10] ignis, est compositum ex materia et forma. Igneitas autem[11], quae est forma substantialis, non est nisi illam essentiam esse ignem. Illa autem igneitas est forma substantialis, quia est prima substantia superaddita illi essentiae, et[12] praecedit caliditatem, quae est illam essentiam esse calidam, et sic de aliis accidentibus, quae oportet inesse composito. Et ita intelligendum est de aliis formis elementaribus sic, quod illa essentia, ut est susceptiva denominationis talis quae est forma substantialis, est materia prima; et sic, cum sit prius susceptiva talis formae quam ipsa est ut substantia, ut puta ignis aut aqua, et sic de aliis denominationibus sustantialibus, signanter dicitur, quod praecedit substantiam. Concipere autem modos loquendi philosophorum in illa materia foret logica hodiernis extranea.

In mixtis *Mixta* autem concipio sic componi, cum secundum *Aristotelem*

[1] Urso] sanctus Urso, ed. pr. cum C. primae manus; Birsso, D., A. secundae manus. [2] intensivis] intellectivis, ed. pr. [3] in ista materia] om. A. [4] loquentes] colloquentes, D. [5] paucior] aut paucior, A.B.C. ed. pr. [6] tamen] cum ed. pr. [7] quod cum generatur] om. A.B.C. ed. pr. [8] in] et, A. primae, B. secundae manus, ed. pr. [9] quae est ignis] es ignis, quae, A. [10] in actu] actu, A. [11] autem] om. ed. pr. [12] et] ut, A.

mixtio sit mixtibilium alteratorum unio; elementa enim secundum partes indivisibiles vel saltem nobis insensibiles ad invicem commiscentur[1], et formae superadditae resultant[2], habita proportione mixtionis sufficienti ad illam formam superadditam principiandum. Et sic licet in elementis ad omnem punctum sit forma[3] elementaris, et sic vere extenditur, in mixtis tamen[4] ad omnem punctum sint formae elementares[5] et forma superaddita, forma tamen superaddita non habet in qualibet parte indivisibili suae materiae appropriatae partem indivisibilem suae formae, sed signato minimo naturali in tali mixto, forma superaddita[6] indivisibilis quo ad molem multiplicatur per totum illud minimum naturale, et sic de alio minimo naturali juxta posito, ita quod oportet[7] secundum qualitates secundas[8], totam formam substantialem mixti et qualitates sequentes propriissime et maxime continue extendi, sicut apparet[9] sonum chordae trementis esse continuum, cum tamen sit insensibilis intercisio satis spissim. Et sicut formae superadditae sunt elevatiores a conditione materiae, sic sunt rarius[10] immersae, et sic elementa sunt realiter in mixtis per formam substantialem mixti superadditam catenata, et secundum diversitates generum proportionum sunt diversitates specierum mixtarum, ut patet ascendendo a formis elementaribus usque ad animam intellectivam. Primae[11] enim sunt infimae formarum[12] materialium, et anima intellectiva est suprema inter formas sublunares, in confinio inter formas materiales et intelligentias[13] abstractas. Simpliciter autem formae materiales sortiuntur nomina a speciebus subjectorum[14], ut igneitas est forma substantialis, qua ignis est in tali specie, et sic ista[15] igneitas est individuum speciei; asineitas est forma, secundum quam istud mixtum est asinus, et ita de formis substantialibus artificio causatorum[16], ut paneitas et vineitas sunt[17] formae substantiales, secundum quas

elementa cum formis superadditis conjuncta sunt.

[1] commiscentur] per se insensibiles ad invicem miscentur, ed. pr. [2] resultant] resultent, ed. pr. [3] forma] formaliter, ed. pr. [4] tamen] cum ed. pr. [5] et sic vere—formae elementares] om. D. [6] forma superaddita] formae superaddito, ed. pr. [7] oportet] apparet, ed. pr. cum C. primae manus. [8] secundas] duas, D. [9] apparet] oportet, A.B. [10] rarius] rarius sibi, C. ed. pr. [11] primae] per se, ed. pr. cum C. primae manus. [12] formarum] formae inter formas, ed. pr. [13] intelligentias] intellectivas, B.C. ed. pr. [14] speciebus subjectorum] specie subjectarum, ed. pr. D. [15] ista] om. ed. pr. [16] causatarum] causatorum, C. ed. pr.; artificialiter causatorum, D. [17] sunt] sicut, ed. pr.

sunt panis et vinum, sicut species panis et vini sunt paneitas et vineitas in communi.

## CAP. V.

### *De anima intellectiva et sensitiva.*

De anima.

*Alithia.* Videtur consequens ad dicta[1] tractandum esse de anima intellectiva et suis potentiis, tam organicis quam non organicis. Sed videtur mihi, frater Phronesis, te manifeste innuere, quod anima intellectiva sit actus corporis phisici organici, habentis vitam in potentia, ut *Aristoteles* describit animam in communi.

Num anima intellectiva corruptioni obnoxia sit.

*Pseustis.* Hic[2] non potest frater tuus contradicere; et cum omnis anima vegetativa vel sensitiva sit educibilis de potentia materiae, et sic corruptibilis ad corruptionem sui subjecti, manifeste videtur, quod anima intellectiva hominis sit corruptibilis, sicut dicit haeresis *Averois* et aliorum manifeste in fide errantium. Ubi igitur est haec fides evangelii[3], 'Timete eum, qui potest tam corpus quam animam mittere in gehennam?'

Animae inesse activam vim corporis.

*Phronesis.* Fateor, quod ut soror[4] asserit, consequenter[5] ad dicta de anima hominis est[6] loquendum, sed tenebo me in limitibus fidei, sequendo philosophos, de quanto consentiunt ei[7]. *Aristoteles* autem et alii diffinientes animam in communi de ipsa considerant, ut est actus vel actuatio corporis naturalis, potentis subjective exercere operationes vitales, et hoc est corpus phisicum habens vitam in potentia. Ex quo patet, cum spiritus, quo homo vivit, sit incorruptibilis atque perpetuus, quod accidit illi spiritui sic actuare corpus corruptibile. Ideo videtur, quod dicti philosophi considerant de actu primo naturalis corporis, secundum rationem, qua ipsum est mixtum corpus sic vivum, ut videmus de vegetabilibus et sensibilibus corporibus[8] hic in terra. Et sic *Aristoteles* non consideravit sed tacuit, quod anima hominis sit basis, supposito vel personae humanae, sic quod

[1] dicta] haec dicta, D. [2] hic] hinc, D. [3] evangelii] evangelii Matth. x. A.B.C. ed. pr. [4] quod ut soror] ut soror mea, ed. pr., C. primae manus, D. [5] consequenter] communiter, ed. pr. [6] est] esse, C. ed. pr. [7] ei] rationi, D. [8] vegetabilibus et sensibilibus corporibus] vegetatibus et sensibus corporis, ed. pr.

quantumcunque variata[1] materia vel animatione[2] ejusdem, manet continue eadem persona, ratione intellectivae essentiae, quae est anima. Postmodum autem post diem judicii animabit corpus incorruptibile, sic quod ascendendo devenietur ab individuatione[3] suppositi ex sua materia, ut causa materiali[4] priori, ad individuationem personae ex sua forma, quae est causa[5] essentialis prius naturaliter vel originaliter, quam est talis materia. Et quia actuatio, qua suppositum capit suam quidditatem, est medium ad haec duo, ideo philosophi ceperunt[6] hoc medium, quod est commune formis materialibus, et reliquerunt fidelibus considerationem de anima intellectiva, secundum quod actuat corpus corruptibile hic in via, sic quod tota personalitas hominis servatur in ipso spiritu, sicut tota suppositatio individuae[7] substantiae servatur in ipsa materia. Et ita posset dici, quod anima humana, etiam separata, est actus corporis naturalis instrumenti[8] ad exercendum[9] operationes vitales, cum naturaliter subducto peccato homo viveret, quousque ad beatitudinem plenariam[10] perveniret. Sicut dicitur, quod anima Christi separata in limbo fuit anima pro illo triduo, et tamen non tunc actualiter animavit corpus suum, sed fuit in dispositione propinqua et habuit habitudinem naturalem. Et ita habent omnes animae separatae quandam habitudinem, secundum quam corpus[11] assument[12] in finali judicio.

Sed quomodocunque sit de hoc[13], videtur mihi quod omnis homo habet in se duas maneries animarum, unam spiritum immortalem, quae est eadem[14] persona cum homine, et aliam corruptibilem similem animae bestiarum, quae anima non est res quae potest per se existere, sed actualis ac substantialis animatio, secundum quam corpus est[15] in specie tali vel tali. Dicere[16] autem vel scire, quot animae sunt in corpore anuloso[17], non

Duplicem animam inesse homini.

[1] variata] variatur, A.B.C. ed. pr. [2] animatione] animatio, ed. pr. [3] ab individuatione] ad individuationem, A.B.C. ed. pr. [4] materiali] essentiali, C.D. ed. pr. [5] causa] om. A.B. [6] ceperunt] coeperant, ed. pr. [7] individuae] individui, A.B. ed. pr. [8] instrumenti] instrumentati, B.C. ed. pr. [9] excercendum] om. ed. pr. [10] plenariam] plenarie, A.B.C. ed. pr. [11] secundum quam corpus] om. D. ed. pr. [12] assument] assument omnino, D. ed. pr. [13] de hoc] adhuc, ed. pr. [14] eadem] eadem fere, C. ed. pr.; eadem persona fere, B. primae manus. [15] est] est animal, D. ed. pr. [16] dicere] quaerere, ed. pr. C. primae manus, D. [17] corpus annulosum, quasi ex annulis pluribus compositum.

cadit adhuc[1] sub nostra scientia vel notitia, sed[2] satis est cognoscere, quod sunt multae. Et sic videtur esse de bestiis plus perfectis, quod[3] habeant animam aliam in capite, aliam in epate[4], et aliam in corde. Verumtamen animalia anulosa juxta experientiam *Augustini*, cum organisantur ad modum anuli, sufficiunt in operationes suas vitales, licet in frusta[5] plura sint divisa. Et sic imperfectiora viventia, ut arbores et herbae, ut patet de salice, habent[6] virtutem fructificandi et opera vegetabilia exercendi, licet in partes plurimas[7] sint divisa.

Hic tamen Fratres clamant, quod illud sit haereticum et impossibile, quod multae animae sint in homine vel multae formae substantiales in quocunque corpore, quia cum forma substantialis dat *esse* rei, res sic formata esset in dispari specie[8] pro eodem instanti, quod est impossibile. Sed pro ista materia ydiotae debent cognoscere, quod consonum est[9] multas formas substantiales dispares specie esse[10] in eodem composito dum tamen una sit subordinata alteri, ut patet de mixtis. Unde sciendum, quod sicut[11] una forma generalior et alia specialior, quae sunt in eodem supposito, ad invicem ordinantur, sic formae disparium specierum, ut manifeste patet de osse, de carne, de nervo et caeteris partibus etrogeneis[12] in homine. Non enim imaginandum est, quod pro instanti mortis subito venit forma incinerabilis, et formae aliae corrumpuntur, quia[13] nec propter variationem complexionis nec propter alterationem commixtionis talis motus subitus est fingendus. Et cum partes tales sint disparium specierum, certum est, quod oportet ipsas habere formas substantiales disparis rationis, et sic est[14] in lapidibus et metallis. Hoc tamen videtur probabile, quod non per idem subjectum adaequate et secundum rationem similem[15] extenduntur formae substantiales disparium specierum, quia tunc illud suppositum foret simul disparium quidditatum. Unde sicut in mixtis imperfectis, ut[16] exhalationibus et nebulis, partes

[1] adhuc] om. ed. pr. [2] sed] om. ed. pr. D. [3] quod] cum, ed. pr. [4] epate, i e. hepate. [5] frusta] frustra, D. ed. pr. [6] habent] habenti, ed. pr. [7] plurimas] plures, A.B.C. ed. pr. [8] specie] operatione, D. [9] est] esse, ed. pr. [10] esse] om. ed. pr. [11] sicut] om. ed. pr. [12] etrogeneis] i. e. heterogeneis; ed. pr. cum Cod. C. habet 'ethromogeniis.' [13] quia] quod, A.B.C. ed. pr. [14] sic] om. ed. pr. cum C. primae manus. [15] similem] consimilem, ed. pr., D. [16] ut] ac, A.

quantitativae habent situs proprios, et sunt corpora simplicia, ut aqua, terra et aër, sic in mixtis perfectis habent elementa loca magis subtilia, et forma superaddita requirit materiam[1] et proportionem[2] elementorum talium, secundum quod natura illis corporibus limitavit. Unde in homine contingit partes ad tantum abstrahi[3] vel corrumpi, quod anima complexionalis desinet[4] et spiritus deseret illud corpus. Unde sicut in mixtis formae elementares non extenduntur per[5] totum, sed una pro situ suo et alia pro actu[6] suo, licet nobis insensibili, sic unum elementum non est aliud, sed habet pro situ suo disparem quidditatem; et mixtum secundum formam superadditam alia ratione extensam[7] differt specie, loco, extensione[8] a simplici componente. Et hoc apparet sensibilius de animalibus, ut in homine caro, nervus et os cum ceteris partibus etrogeneis atque humoribus, habent suam locationem sensibiliter disparem secundum commixtionem ac complexionem, et proportiones satis dispares[9]. Et omnes tales dispositiones requirit et conservat anima sensitiva, quae habet virtutem regitivam[10] et virtutes alias, secundum quod natura ingeniata[11] est formis hujus modi limitare. Et talis anima sensitiva est quidditas corporis vel dispositio ejus substantialis, et non spiritus immortalis[12]. Ille autem spiritus est homo, ut dicetur posterius. Nec est disconveniens sed consonum, quod membra hominis etrogenea habeant[13] formas substantiales disparium specierum.

Anima sensitiva.

## CAP. VI.

*De cerebro et sensibus tam internis quam externis.*

*Alithia.* Quamvis nimis diffusum foret tractare naturas omnium partium humani corporis, et anathomias membrorum in suis regionibus, videtur tamen, mi frater[14] Phronesis, quod de anathomia cerebri et suis humoribus gratia decem sensuum

[1] materiam] numerum, C., B. primae manus, ed. pr. [2] proportionem] praeparationem, A.B.C. secundae manus. [3] abstrahi] subtrahi, ed. pr. [4] desinet] deficiet, C. ed. pr. [5] per] fere per, ed. pr. [6] actu] situ, A.B.C. ed. pr. [7] extensam] extensa, ed. pr. [8] extensione a simplici] extensive simplici, A.B.; extensive a simplici, ed. pr. [9] satis dispares] dispares, A.B. [10] regitivam] vegetivam, ed. pr. [11] ingeniata] πέφυκε; ingeminata, ed. pr. [12] immortalis] mortalis, ed. pr. [13] habeant] habent, A. [14] mi frater] om. ed. pr.

aliquid[1] sit dicendum, specialiter cum sensus illi juvant intellectum et praeparant ad sensum mysticum scripturarum.

Caput hominis erectum.

*Phronesis*. Oportet capere a naturalibus hanc doctrinam, supponendo secundum philosophiam *Aristotelis*, quod solus homo de numero animalium erectum habet caput ad coelum. Cujus causa est secundum theologos, ut homo elevetur a terrestribus ad coelestia aspirando. Secundum *Aristotelem* autem *caput* hominis est elevatius propter depurationem spirituum, cum quibus illa divina substantia, quae est anima hominis in illis operationibus[2] clarius operetur. Caput autem secundum *Aristotelem* ex relatione capitationis[3], et non ex forma substantiali contrahit formaliter illud nomen, caput enim secundum eum dicitur capitati caput, et abscisum non dicitur caput, nisi forte aequivoce. Ad esse tamen capitis requiruntur multae formae substantiales, cum caput sit etrogeneum in natura.

Quinque sensus exteriores.

Sunt autem quinque *sensus extrinseci*, scilicet visus, auditus, odoratus, gustus et tactus; et omnium illorum sensuum organa in capite situantur. Tactus autem propter necessitatem suam per magnam partem corporis, in quodam nervo retili expanditur. In organo autem visus residet virtus[4] visiva tanquam speculator totius corporis, tanquam indicans a longinquo tam conveniens homini quam nocivum. De anathomia vero oculi, quomodo componitur ex decem partibus, et quomodo situatur, cum aliis difficultatibus, oportet hic supponere specialiter ex aliis diffinitionibus[5] *Avicennae*, et de organis aliorum sensuum. Cerebrum autem dicitur intra craneum[6] capitis in pia matre, quae est tela subtilis involvens cerebrum situaliter[7]. Ipsum autem cerebrum dividitur in tres partes, scilicet in primam, mediam, et extremam.

Quinque sensus interiores.

Cum autem sunt tres maneries spirituum, scilicet spiritus animalis in cerebro, et spiritus vitalis in corde, et spiritus naturalis in epate, de spiritu animali, in quo viget virtus sensitiva, in cerebro dicendum est. In ancipite autem, quae est anterior pars cerebri divisa in duas partes, viget[8] mineraliter sensus com-

[1] aliquid] om. ed. pr. [2] illis operationibus] operationibus sensibilibus, C.D. ed. pr. [3] capitationis] capitalitatis, ed. pr. [4] virtus] om. A.B.C. [5] diffinitionibus] difficultatibus, A. [6] craneum] caveum, ed. pr. [7] situaliter] situari, D. [8] viget] vigent, ed. pr.

munis et virtus imaginativa; *sensus communis* residet in parte priori, ad quem concurrunt species[1] omnium quinque sensuum particularium, et homo secundum illum sensum judicat de singulis eorum et convenientiis et differentiis[2], tamen non operatur nisi in praesentia sensibilium[3] sensus particulares moventium. Virtus autem *imaginativa* interior in absentia[4] sensibilium operatur, imo imaginatur de aliquibus quae sub sensu particulari non possunt cadere; et haec est virtus quae in somniis operatur. In medio autem ventriculo[5] cerebri finguntur duo alii[6] sensus intrinseci, scilicet virtus *aestimativa* et virtus *phantastica.* Secundum virtutem autem *aestimativam* judicat animal secundum intentiones, quae sub sensu particulari non possunt cadere, ut de persecutione[7] et fuga cum aliis convenientiis et dissonantiis; secundum illam quidem[8] avis fugit ad minas et jactus hominum, et ovis cognoscit lupum esse inimicum suum; et est subtilior sensus quam imaginativa, cum secundum phisicos habens rectam imaginativam et sanam directe projicit vitrum de fenestra, et tamen aestimativa deficit, fragilitatem vitri minus considerans. Virtus autem *phantastica* situata in parte posteriori hujus ventriculi, quasi in medio capitis, in loco parum altiori, est subtilissima virtus, quae animam sensitivam consequitur. Secundum illam enim virtus phantastica de particularibus sillogisat, ut specialiter patet de cane et vulpe, ut narrant experimentatores de[9] prudentiis[10] bestiarum. Quinta autem est virtus *memorativa,* quae in parte anteriori tertii ventriculi cerebri situatur. In parte vero posteriori situatur virtus secundum locum *motiva,* et per nervos in juncturas[11] spinae dorsi ad reliquas partes corporis derivatur. Est autem officium virtutis memorativae, tam species quam intentiones[12] sensibilium conservare. Unde locus ille occipitis dicitur parum depressior quam locus medius, et inter haec duo[13] loca

[1] concurrunt species] concurrunt operationes, D.; consequuntur, B.
[2] differentiis] differentiis eorundem, C. ed. pr.
[3] sensibilium] sensuum, ed. pr.; exteriorum sensibilium, A.
[4] interior in absentia sensibilium] in absentia interiorum sensuum, ed. pr,
[5] ventriculo] ventriculi, C. ed. pr.
[6] alii] in virtute animali, B.C. primae manus, D.; ed. pr.
[7] persecutione] percussione, B.C. ed. pr.
[8] quidem] quaedam, ed. pr.
[9] de] et de, C. ed. pr.
[10] prudentiis] prudentia, ed. pr.
[11] in juncturas] et per nucham per juncturas, ed. pr.
[12] tam species quam intentiones] tam sensus quam intellectus species, A.B.
[13] duo] duo haec, C. ed. pr.

est meatus subtilis; et corpus ipsum operiens vocatur ab *Auctore de differentia spiritus et animae* corpus nervile, et secundum ejus dipositionem homines in memoria et reminiscentia variantur. Memoria quidem consistit in retentione, tanquam virtus passiva; reminiscentia vero consistit in discursu, tanquam obliti, vel illius quod fugit a memoria, ad actum animae reductiva. Quantum autem ad omnes istas virtutes et variationes in suis nominibus, cum fundationibus, differentiis, et convenientiis earum, debet theologus relinquere phisicis[1] specialem tractatum. Ipsi enim convincunt ab experientia, quomodo ex defectu organi laeditur talis virtus. Nec solicitor, utrum talis virtus, vel anima, vel verius homo, taliter operatur, quia certum est, quod nulla talis virtus est res, quae potest per se existere aut rem materialem comprehendere, sed est dispositio consistens mineraliter in istis organis, secundum quam animal est taliter cognitum[2]. Ideo errores multos, in quibus deficit rationis judicium, consequentes imaginationes pueriles, debet fidelis excutere, et quantum expedit ad intellectum scripturae ac salutem animae, de istis notitiam moderate accipere.

De objectis sensuum exteriorum.

Et de objectis istorum quinque sensuum interiorum tractatum specialem reliqui[3] perspectivis. De objectis autem sensuum particularium relinquo[4] tractatum diffusum philosopho[5] naturali. Quantum autem ad *visum*, breviter patet, quod sensus[6] visus maxime de[7] longinquo percipit suum objectum, ut patet de luce vel de colore, quos in astris saepe[8] percipit. Post visum autem est *auditus* parum depressior, qui non a tam longinquo percipit suum sensibile, quod est sonus, cum a nube sonus tonitrui ad maximum est perceptus. Non enim facile est nobis credere, sicut dixerunt errores antiquorum philosophantium, quod per virtutem auditivam armonia confricationis coelestium corporum est percepta, licet ex consuetudine inveterata[9] sit a vulgaribus indistincta. Tertio post virtutem auditivam[10] virtus *olfactiva*, cujus organum parum est depressius, percipit odorem, sed non tantum distanter[11], licet fumalis[12] evaporatio

[1] phisicis] philosophis, A.B.C. ed. pr. [2] cognitum] cognitivum, ed. pr. [3] reliqui] relinquere, D. ed. pr. [4] relinquo] relinquere, ed. pr. [5] philosopho] philosophiae, ed. pr. [6] Quantum—sensus] om. B.D. ed. pr. ante *visus*: addunt *ut*. [7] de] a, A.C. [8] saepe] satis, C. primae manus, ed. pr. [9] inveterata] inolita A.; molesta, B. [10] auditivam] auditiviam sequitur, A.B. D.C. primae manus. [11] distanter] distantior, ed. pr. [12] fumalis] situalis, ed. pr.

quandoque distantius sit[1] delata. Post hanc tertiam virtutem, quarta virtus *gustativa* situatur in lingua parum depressius, et est secundum *Aristotelem* quidam tactus. *Tactus* vero percipiens[2] solum sensibile sibi immediatum, habet multiplex sensibile, videlicet objecta satis multiplicia, sicut gustus, quorum differentias et quidditates cum sensibilibus et suis organis, relinquo philosophis particulariter pertractandas.

## CAP. VII.

### *De sensationibus.*

*Pseustis.* Istam materiam nec[3] tractas philosophice neque fundas, imo difficultas[4]. Utrum autem[5] sensationes fiunt per extramissiones virtutum ab organis, cum aliis difficultatibus, praetermittis, sicut prius pertransisti[6], utrum[7] illud brutum quod homo gerit, tanquam altera ejus pars qualitativa[8], sit beatificandum et cum homine conformiter figuratum et glorificatum[9].

*Phronesis.* Fateor quod multas difficultates in istis praetermisi[10], tum quia locus non exigit tractatum ita diffusum, cum tunc quilibet punctus quem tangimus, tractatum nostrum finaliter terminaret, tum etiam quia in ista materia et cunctis aliis sum ignorans amplius quam cognoscens. Quantum tamen ad difficultatem[11] quam tangis, teneo cum *Augustino, Lincolniensi* et ceteris, quod fit[12] sensatio mixtim per extramissionem virtutis ab organo[13], et per intus susceptionem[14] speciei in organo sentiendi[15]. Secundum[16] vero istorum est patulum, cum sicut organum virtutis visivae recipit lumen vel speciem[17] coloris ab objecto sensibili, sic organa aliorum sensuum species ab objectis suis recipiunt. Et in primo est error notabilis, cum quidam grossi[18] concipiunt, quod a sensu exit virtus cum corpore de[19] organo

Quomodo fiat, ut sensuum ope res percipiamus.

[1] sit] fit, ed. pr. [2] percipiens] pertingens, A.B. [3] nec] om. ed. pr. [4] difficultas (a verbo mediae latinitatis difficultare)] difficultates, ed. pr. [5] autem] om. ed. pr. [6] pertransisti] praetermisisti, ed. pr. [7] utrum illud] videtur etiam quod illud, A.B. [8] pars qualitativa] pars quidditativa, ed pr.; om. A.B.C. [9] et glorificatum] om. D. ed. pr. [10] in istis praetermisi] in istis praetermissis, A.B.; gratis praetermisi, C. primae manus; gratis pertransii, ed. pr. [11] difficultatem] difficultatem materiae, A.B.C. [12] fit] sit, ed. pr. [13] virtutis ab organo] visivae virtutis interioris ab organo, ed. pr.; visivae—organo, om. A.B. [14] susceptionem] resusceptionem, ed. pr. [15] sentiendi] sensibilis, add. ed. pr. [16] Secundum] ad secundum, A.B. [17] vel speciem] species esse, A. [18] grossi] grosse, ed. pr. [19] de] et, A.B.C.

sentiendi, et sic[1] infra breve ex lapsu talis corporis consumeretur organum sentiendi; non autem sic concipio, sed quod aptitudo sive habilitas sentiendi in finibus talium situum[2] limitatur, et ad tantum ac taliter se extendit hujusmodi aptitudo, ut perspectivi vere intelligunt, quod sit visionis judicium, ubi radius visualis concurrit[3] cum catheto[4]; ut videndo aquam suppositam vel quodcunque aliud speculum, apparet communiter rem visam ibi situari, ubi linea recta exiens a re visa per speculum, et linea perpendicularis in extremo ejus concurrent, sicut invincibilis experientia satis docet; non quod corpus exit ab ipso visibili[5], penetrans ipsum speculum et etiam sphaeram[6] terrae lacerans, sed quod in illis sitibus sunt habitudines, secundum quas fit judicium de situatione visibilis, ubi lineae imaginariae[7] sic concurrunt; et sic in parte sentiendum est de specie[8] rei visae, non quod illa species sit aliqua res absoluta, quae poterit[9] per se esse, sed est dependens ab objecto visibilis, sicut fit lumen vel umbra, quas judicamus corporaliter nos sentire, sed sunt[10] habitudines quo ad situs, in quibus luminosum vel aliud visibile est perceptum. Unde falsum[11] est et a senioribus[12] erronee introductum, quod globus luminis vel speciei visibilis[13] sit una res absoluta, quae poterit per se esse. Est inquam habitudo vel aptitudo visibilis ad taliter inibi immutandum, et sunt tam de positiva natura luminosi quam de natura coloris, dum lumen[14] radiatur. Ex hac etiam sententia sequuntur[15] conclusiones[16] pulcherrimae, sicut de natura projiciendi umbras, quae docent nos mystice, quomodo debemus spiritualiter intelligere, agere[17] et credere de spiritualibus prioribus in natura.

De parte hominis materiali.

Sed quo ad *secundam difficultatem*, quam tangis de[18] *bruto hominis*, non debes credere quod proxima materia hominis foret[19] brutum, aut quod ex illa parte materiali qualitativa et ex

[1] et sic] ut et sic, ed. pr. [2] situum] actuum, A.B. [3] concurrit] concurrerit, B.C. ed. pr. [4] catheto] catatheco, ed. pr.; Cod. C. annotationem habet ad marginem paginae manu secunda adscriptam: *est genus lineae.* [5] visibili] invisibili, B. [6] sphaeram] in cunctis codicibus scriptum *speram.* [7] imaginariae] imaginativae, A.B. [8] specie] esse, B.C. [9] poterit] potest, B.C.; per se etiam poterit esse, ed. pr. [10] sunt] habent, A.B.C. [11] falsum] falsissimum, ed. pr. [12] senioribus] senibus, A.B. [13] visibilis] om. A.B. [14] lumen] lineae radiantur, A.B.C.; lumine radiantur, ed. pr. [15] Ex hac—sequuntur] om. C. ed. pr. [16] conclusiones] compositiones, ed. pr. [17] agere] om. ed. pr. [18] de] in, A.B. [19] foret] hoc foret, ed. pr.

spiritu creato vel intelligentia, tanquam parte altera formali qualitativa, tanquam omnino distinctis, componitur unus homo; sed quod utrumque vel utraque natura sit idem homo in numero vel persona, spiritus per se et natura corporea participatione; sicut concipimus, quod Christus assumpsit humanam naturam, licet ibi sit diversitas satis ampla. Nec video quin Apostolus intelligit appropriate per naturam illam corpoream 'animalem hominem,' et per illum spiritum 'spiritualem hominem' vel 'interiorem,' qui possunt intelligi ut naturae dispares vel ut eadem personalitas disparium naturarum. Sicut enim in materia de Trinitate tres res sunt una[1] substantia, non persona, sic in materia de incarnatione et compositione hominis multae naturae satis dispares sunt eadem persona; et sic quidquid intelligit vel cognoscit animalis homo, etiam[2] intelligit et cognoscit homo interior et e contra.

De anima rationali.

Et sic[3] spiritualis homo vel ille creatus spiritus, quamvis sit extensum mole magnum (et sic de caeteris praedicationibus[4] quae corpori formaliter inexistunt), non tamen extenditur, est[5] mole magnus, vel taliter formaliter informatus. Et ille videtur esse sensus Symboli, quod 'sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.' Nec video quin vere intelligentes quod anima intellectiva sit pars[6] hominis, valde aequivocant intelligentes per animam intellectivam abstractive[7] animationem corporis, quae fit ex participatione creati spiritus. Sic autem concedit *Aristoteles*, quod appetitus animalis hominis[8] est participatione rationalis, et per idem illa anima est participatione rationalis, et per consequens pars qualitativa hominis non est animal irrationale[9], sed realiter, licet varie, idem homo. Non enim concipimus quod sit aliquod vinculum colligans illum immortalem spiritum et illam naturam corpoream, faciens unum ex illis ambobus tanquam partibus, quamvis[10] compositum excedit ambas in perfectione[11] naturali, sicut non concipimus, quod Deus et homo qualitative constituunt illum

[1] una] om. A.B. [2] homo, etiam] om. C. ed. pr., animal, intelligit homo. [3] Et sic] secundo, ed. pr. [4] praedicationibus] praedicabilibus, A. [5] est] quia est, ed. pr. [6] pars] persona, A.B.; pars persona, ed. pr. [7] abstractive] abstractam, A.B.C. [8] hominis] communis, A.B. [9] non est animal irrationale] non solum est animal rationale, A.B.C. [10] quamvis] quarum, ed. pr. [11] in perfectione] imperfectione, ed. pr.

hominem[1] tanquam partes, cum tunc Deitas foret pars imperfectior quam ille homo compositus; nec foret similitudo illa in Symbolo ad propositum fidelium, sed in haereses plurimas introductiva, nisi ille spiritus immortalis foret per se et complete idem[2] homo. Et si objicitur, quod per se homo est animal, et animal per se est corpus, et sic homo per se est corpus, patet ex dictis alibi[3] quod 'homo' est terminus satis aequivocus; quandoque enim homo dicit creaturam rationalem simpliciter absolute, et quandoque creaturam talem rationalem[4] quo ad aptitudinem corpoream *de possibili*, et quandoque quo ad aptitudinem talem corpoream *actualiter existentem;* et sic primo modo homo secundum *Augustinum* non diffinitur per hoc, quod est animal rationale et mortale, cum[5] foret idem, posito quod factus fuerit immortalis, et est idem homo, cum spiritus fuerit a corpore separatus. Non enim debemus concedere[6], quod defluente carne ab homine tempore senectutis, deficit vel diminuitur propter hoc perfectio hominis, sed potius accedendo[7] ad naturam spiritus magis perficitur. Et quantum ad argumentum sophisticum, quod in tali defluxu perditur substantia et non loco illius acquiritur aliud aeque bonum, ergo ille homo sic diminutus imperficitur[8] per[9] defluxum;—non procedit haec ratio sicut in bestiis, quae sunt ratione pinguedinis meliores; quia ex parte defluenti et parte alia, quae est immortalis spiritus, non fit unum quantitative aut qualitative, cum natura illa corporea sit accidentalis atque extranea illi spiritui, et sic illi[10] homini, cum perdita materia ista ad non quantum, et inducta vel accepta particulariter vel subito[11] nova materia, foret continue idem homo; sicut Apostolus translatus ad coelum, sive in corpore sive extra corpus, fuit[12] indubie idem homo. Unde posito de Dei potentia, quod abhinc usque ad Romam[13] figantur naturae corporeae, quae ad organisationem intellectus humani successive disponantur, et quod idem immortalis spiritus successive cum talibus

[1] hominem] hominem Christum, ed. pr. [2] idem] ille, A.B. [3] dictis alibi] ed. pr. cum annotatione marginali codicis, C.: 'scilicet primo capitulo de compositione hominis, Tractatus hucusque ineditus *Wiclifi* ita inscribitur.' [4] rationalem] om. A.B. [5] cum] tunc, ed. pr. [6] concedere] tunc intelligere, A.B.C. [7] accedendo] attendendo, ed. pr. [8] imperficitur] i. e. imperfectione afficitur. [9] per] ad, A.B. [10] illi] tali, A.B.; illi tali, C. ed. pr. [11] vel subito] om. B. [12] fuit] foret, D. [13] ad Romam] om. ed. pr.; usque Romam, C.

corporibus hypostatice copuletur, patet quod idem homo successive movebitur ab uno loco ad alium, et non corporaliter, cum omnia illa corpora stabunt fixa, ergo spiritualiter; et sic relinquitur, quod iste homo sit spiritus et per idem[1] quilibet alius homo. Non ergo propter depositionem carnis vel corporis imperficitur, sed potius alleviatur et perficitur iste homo, ut loquitur fides scripturae.

## CAP. VIII.

### *De immortalitate spiritus.*

*Alithia.* Sententia ista est alta et[2] nobis insolita, fidelibus tamen videtur sapere subtilem sententiam et credendam[3]. Sed rogo te frater, si[4] *immortalitas spiritus*, quam saepe assumis, deduci poterit ratione.

*Phronesis.* In ista materia neuter nostrum ambigit, quin ex fide sit spiritus hominis immortalis; et per consequens, cum ille spiritus sit eadem persona hominis, sequitur quod illa persona manebit perpetuo immortalis. Et haec ratio, quare apostoli ita animose et intrepide mortem susceperant, imo scientes quod incarceratio ac oneratio carnis fuit illis ad taedium atque onus, gaudenter in causa justitiae susceperant mortem suam. Ponunt autem philosophi rationes multiplices, per quas probant istam sententiam. Primo ex testimonio *Aristotelis* et communi experientia, aliqua est[5] operatio animae hominis[6] immortalis, sed nulla operatio vel actio rei est permanentior quam suum subjectum; ergo illud subjectum, quod est anima vel spiritus, oportet ponere immortalem. Assumptum suadet *Aristoteles* de intellectione hominis, quae propter debilitationem corporis sui non deficit, sed potius vigoratur; intellectivitas enim speculativa in senibus est clarior, quantumcunque[7] instrumenta corporea deficiunt; oportet ergo aliquod esse fundamentum illi intellectioni, quod tale organum non requirit, et ita supra omnes virtutes

Spiritum hominis esse immortalem,

rationibus variis probatur.

[1] per idem] om. A.B. [2] et nobis] nobis et, ed. pr. [3] et credendam] ad credendum, A.B. [4] si] dic, si, A.B.C. secundae manus. [5] est] autem, ed. pr. [6] hominis] hominis est, ed. pr. [7] quantumcunque] quando quaecunque, ed. pr.

bestiales supradictas oportet ponere in homine intellectum; nam quoad illas virtutes bestia excedit hominem, ut dicit Metricus[1]:

'Nos aper auditu praecellit, aranea tactu,
Vultur[2] odoratu, linx visu, simea gustu.'

Et sic est in quinque virtutibus interioribus organicis supradictis. Cum enim homo non excedit bestias in virtute corporali nec in sensu aliquo animali, relinquitur quod excedit in operatione intellectus. Sed qualis foret excessus, si in articulo felicitatis[3] maximae necessitaretur per mortem felicitatem illam deperdere? Deus enim tunc magis confunderet suos filios cariores. Habet ergo homo intellectum, quem abstrahit a corpore, cum ipso perpetue permanentem. Item homo sentit in se ipso, quod habet naturale desiderium semper esse, et ad hoc sapientiores magis disponuntur; cum ergo natura non potest frustrari in tanto proposito, videtur quod aliquis intellectus hominis potest naturaliter semper esse, et sic est immortalis. Et idem est judicium de quocunque, cum posita immortalitate alicujus[4] individui unius naturae, oportet cuilibet naturae consimili[5] proprietatem illam inesse, quia aliter non inesset naturaliter, sed casualiter, propter[6] causam aliam adventiciam non fingendam, quia si spiritus ille foret corruptibilis a suo contrario vel quacunque alia causa, infinito tempore necessario inesset corruptio cuicunque, quia aliter inesset corruptibilitas sine causa. Res enim quae terminantur suis[7] periodis, non aeternaliter perseverant, quia sic haberent infinitam potentiam, ultra hoc quod haberent res speciei consimilis, quae per tempus modicum possunt[8] stare. Sicut ergo homo habet appetitum standi cum Deo, ut fine[9] suo naturalissimo, sic non est fingenda causa, quae illum posset a tali proposito sine suo demerito[10] separare, specialiter cum corporis corruptio non tollit illum spiritum, sed magis laetificat. Item ut docent philosophi et ratio naturalis, praeeligendum est in casu mori propter bonum publicum et ad turpia vel culpabilia evitandum. Sed hoc non potest excusari ratione,

[1] Metricus] Metricus ab experimento edoctus, D.; ab experto edoctus, C. ed. pr. [2] Vultur] vultur canis, D. [3] felicitatis] felicitatis suae, C. ed. pr. [4] alicujus] om. D. ed. pr. [5] consimili] consimilis, D. ed. pr. [6] propter] vel propter, D. ed. pr. [7] suis] om. C. primae manus, D. ed. pr. [8] possunt] potest, A.B.C. [9] fine] ultimo fine, ed. pr. [10] demerito, i.e. culpa.

nisi sic moriens posset[1] vivere post hanc vitam: ergo conclusio. Assumptum patet ex hoc, quod homo de[2] communitate omnino justa, potest juste mori pro illa salvanda, cum illi communitati et homini morienti foret in casu utilius[3]; cum ergo omnis homo debet appetere majus bonum, quod communiter est bonum publicum, videtur[4] quod homo in casu debet eligere ita mori. Bonum autem communitati possibile est de lege naturae potius eligendum. Nec dubium, quin in multis casibus foret communitati utilius, certam personam mori, quam ipsam vivere ulterius etiam virtuose. Et eadem est ratio etiam de homine in adoptione posito, vel peccatum committere vel secundum virtutem temperantiae[5] juste mori. Supposito ergo, ut fide per se nota homini, quod esset sibi virtuosum et utilius ita mori, quaeratur, *quando* ista utilitas ex morte sibi contingeret, vel ante mortem suam, vel post? Non ante mortem suam, cum mors non antequam fuerit, infert bonum; si post mortem suam, tunc post mortem suam spiritui suo inferet illud bonum; et per idem semper[6] manebit ille spiritus, cum a corpore non dependet. Et tales sunt multae rationes demonstrationi propinquae, ut quod[7] sapientiores et sanctiores homines taliter moriuntur, non ergo illi in causa tam necessaria superflue moriuntur, quia tunc essent 'miserabiliores' et stultiores 'cunctis hominibus[8],' sicut multi homines usque ad finem vitae suae in virtutibus perseverant; aliqua[9] ergo foret merces illis a Deo magnifico in fine tribuenda, non in vita ista, cum Deus disposuit quod in virtutibus moriantur; ergo superest, quod in vita futura; et per consequens spiritus post mortem corporis hominis durabit[10]. Similiter cum[11] Deus juste distribuit praemia virtuosis sine personarum acceptione, notatis duobus, quorum unus virtuose vivat, et alius voluptuose, per totam suam periodum, oportet, quod pro aliqua mensura temporis sit juste illis de suo praemio[12] dispertitum, non in hac vita, ut patet ex casu; ergo superest, quod post mortem. Et quia fides scripturae est plena testimonio hujus

[1] posset] possit, ed. pr. [2] de] pro, A.B. [3] utilius] medium utilius, ed. pr. [4] videtur] videtur enim, ed. pr. [5] temperantiae] temporanee, ed. pr. [6] semper] om. ed. pr. [7] ut quod] utque, ed. pr. [8] cf. 1 Corinth. xv. 19. [9] aliqua] alia, C. ed. pr. [10] perdurabit] durabit, A.B. [11] cum] enim, ed. pr. [12] praemio] pretio, ed. pr.

fidei, ideo illa est, ut[1] pernecessaria, homini amplectenda. Sicut enim est necessarium fideli credere, quod Deus est, et quod est remunerator bonorum, sic est necessarium illi credere, quod spiritus manebit perpetuo post hanc vitam. Nec sunt argutiae haereticorum dignae memoria; arguunt enim, quod si aliqua forma sit corruptibilis, et educta de potentia materiae, multo magis materia dispositior et dignior habebit formam de sua potentia sic eductam; materia hominis habebit formam substantialem et per consequens corruptibilem sic eductam; concedenda est[2] conclusio, quia anima, quae est[3] animatio propter gratiam[4] perpetui spiritus, sic educitur et corrumpitur in potentia ejusdem materiae subjectantis. Nec video, subducta hac fide, ad quem finem[5] quis meritorie laboraret[6], sed tamquam insipiens frueretur bonis sensibilibus, dum hic vivit. Sicut ergo natura ordinate procedit ascendendo in formis, sic est dare terminum illius ascensionis, qui terminus est anima intellectiva. Ideo dicunt abstracti philosophi, quod ipsa creatur in confinio orizontis[7] aeternitatis; creatur enim, cum sit infima intelligentia quam Deus producit, nec video ad quid oportet, quod in mundi principio in suo individuo producatur, sed sicut paulative producuntur materiae, sic ratio exigit, ut illae intelligentiae tunc temporis sint creatae; et ita etiam[8] creaturae peccabiles Deum necessitant ad creandum. Sed tota illa necessitatio originaliter est a Deo, et ista creatio infima requirit dispositionem materiae, non obstante quod sit libera; nec est vis pro quo instanti vel qua aetate pueri ille spiritus homini[9] copuletur. Dicitur enim communiter, quod animal *primo* vivit ut embrio[10] secundum animam vegetativam, *secundo* vivit vita sensibili secundum animam sensitivam, et *tertio* vivit vita rationali, secundum quod[11] sibi jungitur intellectio[12]. Et quamvis in istis processibus diversae substantiae producuntur, et, ut quibusdam placet, substantia imperfectior[13] corrumpitur in adventu substantiae plus perfectae, tamen multa dicta in ista materia sunt voluntarie somniata.

[1] ut] om. A.B.C. ed. pr. [2] est] enim est, A.B.C. [3] anima quae est] om. A. [4] propter gratiam] om. D. ed. pr. [5] finem] fidem, ed. pr. [6] laboraret] laboret, A.B. [7] orizontis] omnes codices habent 'orizontis.' [8] etiam] om. A.B. [9] homini] om. A.B. [10] ut embrio] pro 'embryo,' in embrione, A.B.C. [11] quod] quam, A.B. [12] jungitur intellectio] conjungitur intellectus, ed. pr. [13] imperfectior] perfectior, A.B.C. ed. pr.

## CAP IX.

### *De intellectu et voluntate hominis.*

*Pseustis.* In omnibus istis dictis videtur mihi, quod nimis exiliter procedis, ac si dormiens vel a peritis absconditus loqueretur, cum sophistae tollerent omnes istas instantias. Sed dic nobis ulterius *de potentiis* propriis *intellectus spiritus*[1], quem asseris immortalem. Videtur enim philosophis, quod quattuor virtutes sufficiunt, scilicet intellectus possibilis, intellectus agens, potentia concupiscibilis, et potentia irascibilis.

*Phronesis.* Scio, quod a veritate prima, quae est Deus cum angelis suis, sum visus, et ideo teneo me, quantum sufficio, in mensura, numero et pondere, et omnino in limitibus veritatis. Scio quidem, quod in quacunque istarum materiarum ultra quam expedit poterimus evagari. Nec sollicitor modo circa responsiones aut contentiones sophisticas, cum scio quod illae vitiose procedunt et infructuose obliquant[2] a fine ultimo. Ideo, ut docet Paulus in[3] contendendo cum illis, 'nos talem consuetudinem non habemus[4].' Concedo ergo, quod homo noster interior habet multas potentias, quia omnes, per quas potest non organice operari. Est etiam persona habens omnes illas potentias corporeas vel cognitivas organicas, secundum quas homo exterior operatur. De corporali vero potentia est nobis impertinens modo[5] loqui. Conceditur vero tales quattuor esse potentias, sicut tu recitas. Sed oportet cavere hanc haeresim, quod credatur illas potentias esse res absolutas, quae possunt per se existere, cum non sint nisi illum spiritum sic posse agere, et ita licet sint accidentia inseparabilia, verumtamen nec possunt esse nec intelligi sine spiritu subjecto[6], qui quidem spiritus est realiter ipse homo, dicente Veritate suis apostolis: 'Nescitis cujus spiritus estis[7].' Sunt autem circa quidditatem ac limites intellectus agentis et intellectus possibilis[8] quaestiones inutiles, ut quod *Aristoteles* vel alius philosophus vocat intellectum possi-

De quadruplici spiritus humani potentia.

[1] spiritus] hominis, A.B.C. ed. pr. [2] obliquant] oblique aut, ed. pr. [3] in] quod, A.D. ed. pr. [4] cf. 1 Corinth. xi. 16. [5] modo] primo, A.B. [6] subjecto] ut subjecto, A.B.C. [7] cf. Luc. ix. 55.—Cod. A.B.C. ed. pr. post 'veritate' habent: Luc. ix. [8] possibilis] passibilis, A.B.C.

bilem virtutem[1] phantasticam vel alio nomine, sicut homines contendendo saepe aequivocant. Sed quid nobis? Satis quidem est nobis, quod sit unus talis immortalis spiritus, habens virtutem sive potentiam cuncta intelligere, quam potentiam vocat *Aristoteles* omnia facere vel intellectum agentem. Habet etiam virtutem sive potentiam, species[2], intentiones vel apprehensiones cunctorum recipere, tam ab actu proprio quam a superiori influentia. Et illa vocatur intellectus possibilis[3] vel omnia pati. Et prima dicitur potentia activa, secunda passiva. De nomine[4] vero specierum vel intentionum est apud quosdam contentio, ut speciem videtur *Avicenna* vocare formam rei sensibilis in potentia sensitiva, intentionem vero formam rei insensibilis in eadem potentia, ut formam amicitiae vel inimicitiae aut talis habitudinis respective. Quandoque autem species vocatur similitudo habitudinalis, quam[5] intellectus habet, sive universalis, sive particularis. Et intentio vocatur nunc species, nunc actus, intendendi[6], satis aequivoce, cum omnes actus animae sunt de genere actionis; et ita res intellectae habere dicuntur esse spirituale in anima, et sic intellectus possibilis[7] comparatur materiae primae, intellectus autem agens dicitur prima forma; de qua quidem ad tantum aequivocant, quod vocant solum Deum intellectum agentem, quia certum est, quod Deus, cum sit intellectus, est agens omnia et movens spiritualiter interiorem hominem ac ipsum edocens quidquid cognoverit; et sic frustra palliant verbum *Averois*, quod eadem est anima omnium hominum, quia certum videtur ipsum fuisse philosophice opinatum, quod quilibet homo habet suam animam corruptibilem, ut habent bestiae, et super haec est una infima intelligentiarum toti sphaerae corruptibilium copulata, et illa conjungitur specialiter homini plus cognitivo[8] quam bestiae, non tamen copulatur sibi ut pars, sed ut intelligentia illuminans ac movens singulariter, quando virtus hominis a sensibilibus[9] est abstracta. A fide autem istud deviat, cum omnis homo sit secundum intellectivum[10] illum agentem

Intellectus possibilis atque intellectus agens.

[1] virtutem] veritatem, ed. pr. [2] species] sensus, C. [3] possibilis] passibilis, A.B.C. [4] nomine] numero, C. ed. pr. [5] quam] quomodo, A.B. [6] intendendi] intelligendi, B.C. ed. pr. [7] possibilis] passibilis, A.B.C. [8] cognitivo] cognitive, A.B.C. ed. pr. [9] sensibilibus] sensibus, ed. pr. [10] intellectivum] intellectum, ed. pr.

perpetuo praemiandus[1] vel perpetuo puniendus. Et[2] sub istis duobus nominibus 'intellectus agens' et 'intellectus possibilis[3]' potest tota virtus sive potentia nostri interioris hominis comprehendi, et sic[4] ejusdem spiritus potentia multiplicius nominari. Sunt autem apud aliquos difficultates[5] in ista materia: utrum intellectus agens sit mobilis aut nostra potentia volitiva, et utrum illa sit prior intellectu hominis vel e contra, quia certum est quod intellectus agens noster, imo substantia illius spiritus, mobilis est a Deo et a veritate quam concipit, ac necessitabilis ab objecto; et sic volitiva potentia, quae dicitur appetitus intellectivus[6], necessitari potest ab objecto, quod potentia intellectiva considerat; et tamen cum hoc libere cognoscit et appetit Deum suum, cum libertas[7] et necessitas non sunt contraria, eo quod beati liberrime cognoscunt Deum et volunt suam beatitudinem, et tamen summe[8] necessarie, quia propter vehementiam influentiae non potuerunt[9] resilire. Quando autem appetitus interioris[10] hominis infigitur super re temporali vel aliquo non in Deo, tunc illiberrime et innaturalissime appetit finem[11] hujusmodi, quia contra ordinem primae naturae appetit in creatura aliqua finaliter quietari; quod quia[12] non est possibile, languet continue[13] tamquam vacuus a spiritu qui repleret eum. Et haec est ratio quare homines avari in appetitu temporalium non quiescunt. Et ista potentia irascibilis est virtus potenter[14] sibi conveniens prosequendi et a se dissonum expellendi. Quando autem homo abutitur ista potentia innaturaliter ad fines contrarios, tunc peccat graviter, et sic virtus concupiscibilis limitatur ad bonum quod appetit, et homo potest ipsa abuti, ut irascibili, et istae virtutes ac actus sui concurrunt communiter. Quando autem[15] deordinatur haec virtus concupiscibilis, tunc vel ad concupiscentiam oculorum vel ad concupiscentiam carnis vel ad vitae superbiam terminatur[16]. Regula autem religionis nostrae

Potentia cupiendi ac repellendi.

[1] praemiandus] praemiendus, ed. pr.; servandus, C. [2] et] et sic, A.B.C. [3] possibilis] passibilis, C. [4] sic] sic potest, C. ed. pr.; et potest, D. [5] aliquos difficultates] illos diffinientes, ed. pr. [6] intellectivus] intellectus, B. [7] libertas] liberalitas, ed. pr. [8] summe] om. C. ed. pr.; necessarissime, D. [9] potuerunt] poterunt, A.B.C. ed. pr. [10] interioris] intellectivus, A.B.C. ed. pr. [11] finem] om. A. [12] quia] om. A.B. [13] continue] ergo, A.B. [14] potenter] patenter, A.B.C. [15] autem] vero, ed. pr. [16] cf. 1 Joh. ii. 16.

est, quod nihil nisi Deum, et media ut[1] disponunt ad ipsum, penitus appetamus. Et ad tantum potest homo habitudinaliter indisponi, quod hae duae potentiae innaturaliter[2] in objecta misera[3] irrevocabiliter perpetuo terminentur. Et iste est summus gradus miseriae, qui intellectum humanum potest attingere.

Quomodo se habeat potentia intellectiva ad voluntatem.

De ordine autem[4] potentiarum hujus spiritus non oportet nos esse sollicitos, quia nihil valet aliqua ejus potentia, nisi de quanto ordinatur ad Deum. Unde intellectiva potentia habet in aliquo rationem excellentiae super potentiam volitivam, cum ipsam praecedat et moveat tanquam ductrix; nihil enim volumus nisi quod intelligimus, saltem secundum apparentiam, esse bonum. Secundum aliquam[5] rationem dominatur supra intellectum potentia volitiva, cum ipsa praeexigit intellectivae[6] potentiae ministerium et sibi imperat ut taliter operetur. Sed omnes istae sunt locutiones figurativae, cum tales proprietates solum proprie insunt[7] *substantia.*

## CAP. X.

### *Angelorum natura et motus.*

*Alithia.* Quia secundum mensuram debitam procedis, mi frater Phronesis, de universitate creata, conveniens foret parum *de angelis* pertractare, cum illos adoramus et credimus, quod sunt fabrica[8] Dei dignissima inter singulas creaturas.

Angelos esse.

*Phronesis.* De noticia angelorum parum concipimus, cum tam demonstratio quam sensus deficit quo ad eorum noticiam. Rationabile autem est, ut Deus qui in creaturis suis ornatissime procedit, habeat naturam angelicam, a corpore et anima separatam, ut sicut quaedam est forma omnino materiae alligata, quaedam autem forma, licet sit materiae ad tempus conjuncta, est tamen a materia separabilis, ut anima humana, quaedam autem corpori conjuncta, ut instrumento separabilis in natura, et alias, dum sibi placuerit, a corpore separata; et tales spiritus

[1] ut] quae ut, ed. pr. [2] innaturaliter] immutabiliter, A.B.C. [3] misera] miseria, ed. pr. [4] autem] om. A.B. [5] aliquam] aliquam autem, A.B.C. ed. pr. [6] intellectivae] volitivae, ed. pr. cum C. secundae manus. [7] insunt] insint, ed. pr. [8] fabrica] factura, ed. pr.

dicimus angelos, sive bonos sive malos. Tres autem hierarchias[1] ponunt theologi esse in illis spiritibus[2], ita quod quaelibet hierarchia contineat tres ordines angelorum, et super illis[3] hierarcham summum[4], scilicet ipsum Deum. Sunt autem novem ordines angelorum, ita nominati: angeli, archangeli, virtutes, throni, dominationes, principatus, potestates, Cherubim et Seraphim, quorum excellentias in virtute et descriptiones nominum[5] posuit *Gregorius*[6] et alii cum *Dionisio* istam materiam pertractantes. Experientia autem videtur convincere positionem[7] istam de illis spiritibus[8], et testimonium Danielis, apocalypsis[9] et alii libri prophetici idem dicunt. Quot autem spiritus sunt in uno ordine, si decies millies centena milia, plures aut pauciores, est nobis incognitum, sicut ignoramus, utrum intelligentiae vel spiritus movent coelum. Isti autem spiritus dicuntur communiter habere triplex officium, scilicet perficere, illuminare inferiores angelos, et purgare. De omnibus autem istis spiritibus tantum tres sunt nobis[10] specialiter nominati, scilicet Michael, Gabriel, et Raphael. *Michael* dicitur ex pugna[11] contra diabolum, a 'micha,' quod est pugna, et 'el' Deus. *Gabriel* ex fortitudine Dei contra aëreas potestates. *Raphael* ex[12] medicina Dei ut notant historiae. — Ordines angelorum.

Possunt autem angeli moveri celeriter, tam cum corpore assumpto quam sine corpore. Et ut communiter dicitur, quilibet viator habet duos spiritus, scilicet bonum ad juvandum et malum ad exercitandum. Corpora autem assumpta dicuntur aërea sive coelestia, ad figuram, ad quantitatem et densitatem, ac raritatem celeriter coaptata. Possunt autem hi spiritus movere se et sine corpore localiter, velocius aut tardius, secundum quod Deus dat illis potentiam sic movendi. Sicut enim globus luminis est per totum situm corporeum varie quantificatus et figuratus, sic sentiendum est de istis spiritibus, praeter hoc quod sunt spiritualiter positi ac multiplicati per talem situm corporeum. — De angelorum motu.

[1] hierarchias] ierarchias, A.B.; yerarchias, C. [2] spiritibus] spiritualibus, ed. pr. [3] illis] illam, A.; illas, B.C. [4] hierarcham summum] hierarchiam summam, A.B.C. [5] nominum] nominarum, ed. pr.; nominorum, ed. 1753. [6] Gregorius] ed. pr. addit: 'in Omilia: Accesserunt ad Jesum publicani.' [7] positionem] potentiam, ed. pr. [8] spiritibus] spiritualibus, ed. pr. [9] apocalypsis] apocalypsis apponitur, ed. pr. [10] nobis] nominibus, A.B.C. ed. pr. [11] ex pugna] expugnans, A.B.C. [12] ex] om. A.B.C.

De angelorum motu subito.

Sed dubitatur[1] communiter, cum illi spiritus possunt moveri tam subito quam successive, *quomodo motus subitus potest illis competere.* Si enim moventur subito per tantam distantiam, tunc est dare, quod sunt subito per signandam distantiam. Quomodo ergo moventur localiter per illam distantiam pro instanti quo complete sunt per illam distantiam? Nam mobile pro instanti sui mutati esse, est in termino sui motus, et desinit moveri quo ad illum motum per remotionem de praesenti. Sed hic respondet theologus, quod alia est consideratio motus subiti, et alia successivi, cum in[2] motu subito simul instanter sunt mutari[3] et mutatum esse, cum eadem res subito generatur, et est generata. Rationes autem istorum terminorum distinguuntur ab invicem, cum generari sit subitum et instantaneum, sed esse generatum sit continuum et durans per tempus. Alii autem dicunt, quod generari vel moveri subito[4] per unum instans, praecedit esse generatum vel mutatum; sed in isto non contendo, cum eadem ratio videatur esse de instanti praecedenti proximo et instanti posterius assignato. Est ergo ratio, quare angelus pro dato instanti subito mutatur localiter, et non ultra, quia cum motus componitur ex multis affirmationibus et negationibus, est dare multas affirmationes et negationes pro hoc instanti positas, et non ultra. Ideo cum motus non solum respicit affirmationes pro instanti praesenti, sed cum hoc[5] negationes de praeterito et futuro, non est color, si angelus pro instanti posito moveatur, quod per idem semper in posterum movebitur, quantumcunque posterius erit motus, sicut patet de generatione subita creaturae.

De angelorum motu successivo.

Sed *secundo* difficultatur acutius, quomodo angelus potest *moveri* localiter *successive;* quia dato quod moveatur successive per A tempus, acquirendo spatium anterius et deperdendo spatium posterius erit motus[6], cum multiplicetur per spatium divisibile, est dare tempus, per quod sic movebitur, spatium posterius deperdendo et spatium anterius acquirendo, et cum hoc per idem tempus in spatio medio quiescendo; sed istae videntur esse denominationes contrariae satis. Hic tamen supponendum est, quod angeli, cum moventur secundum rationes

[1] dubitatur] difficultatur, A.B.C. ed. pr. [2] in] om. D. ed. pr. [3] mutari] mutati, ed. pr. [4] subito] subitum, A.B. [5] sed cum hoc] sed etiam, A.B. [6] erit motus] om. D.

dispares a motu corporeo, secundum partem anteriorem ascendunt continue, et cum hoc secundum partem posteriorem loci descendunt continue, et per idem tempus in parte loci media sunt[1] quieti, ut dicitur communiter de anima hominis moti in suis extremitatibus et quieti in loco medio, ut corde[2] vel ceteris partibus non sic motis[3]. Ita intelligi potest[4] de motibus localibus angelorum; et ita non sequitur, si angelus acquiret[5] locum aliquem successive, quod tunc deperdet[6] alium vel e contra, cum potest nunc esse per loca ampliora et nunc curtiora vel strictiora, et sic situm acquirere, et non cum hoc situm deperdere vel e contra. Et ita si Deo placeret, spiritus posset quantumcunque velociter aut distanter locum acquirere vel deperdere, et tamen non per majorem locum multiplicari, aut minorem quam in principio; ut posito quod Deus limitet A angelo, quod ad maximum per spatium pedale cubicum[7] vel sibi aequivalens multiplicetur[8], et capto ut per se noto geometris, quod quantumcunque longum posset[9] esse spatium aequale pedali cubico; et tertio suppono, quod A angelus sit in oriente in suo situ quadrato, et noto situm gracilem ab oriente in occidens servantem aequalitatem situi cubico assignato: et patet ex limitatione divina, quod A angelus potest remanere continue in oriente, et immediate post hoc esse in occidente gracilitato situ[10] aequalitatem situi cubico[11] continue conservante; et sic dispersis sitibus in situs lineares, posset idem angelus esse simul in oriente et occidente, et ut sophistae false imaginantur, posset cum istis positis esse simul ad quemlibet punctum mundi.

[1] ascendunt—descendunt—sunt] ascendant—descendant—sint, ed. pr. [2] corde] in corde, A.B, [3] motis] motus, B. [4] intelligi potest] potes intelligere, A.B. [5] acquiret] acquirit, A.B. [6] deperdet] deperdit, A.B.C. [7] cubicum] cubitum, ed. pr. [8] multiplicetur] multiplicatur, ed. pr. [9] posset] potest, A.B. [10] gracilitato situ] gracilitate situs et, ed. pr.; gracilitate situ, D. [11] cubico] om. A.

## CAP. XI.

*De angelorum situ atque motu.*

*Pseustis.* In ista materia video te notabiliter deficere et balbutire, ac si ebrius dormiens somniaret. Nihil enim quod hic dixisti probas, sed gratis labi posset[1] per idem in conclusiones inutiles sine fine.

*Phronesis.* Dixi publice, quod in ista materia parum scio[2], et plurior pars illius materiae, quam hic dico, est sanctorum sententia elicita probabiliter ex scriptura. Et quantum ad istam ultimam conclusionem, certum est, quod nemo potest supposita probabilitate suarum suppositionum ipsam infringere. Et hic dicitur, quod angeli possunt ex[3] sua celeritate nunc esse in oriente et nunc in occidente, servando *quantitatem* sui limitati situs corporei; *figura* illius situs quantum expedit variata[4]. Sed in ista materia oportet cavere de imaginationibus calculatoriis, ut non credatur superficiem vel corpus ad tantum dividi, quod posset occupare simul quemlibet situm mundi. Oportet secundo cavere ne admittatur, quod superficiale lineare[5] vel quodcunque corporeum multiplicetur simul per situs dispares, cum multiplicatio talis sit solum spiritibus vel rebus spiritualibus appropriata[6]; et tunc potest sententia illius conclusionis ad multa dicenda proficere, ut angelus tam bonus quam malus potest mira celeritate infra horam[7] per poros quantumlibet situaliter variari. Corpus etiam glorificatum potest per dotes subtilitatis et agilitatis intrare januis clausis, sine hoc quod laceret vel frangat quamcunque partem earum, cum non habeant partes sic propinquas, quin inter multas earum sit aër notabilis interceptus.

*Alithia.* Satis est, frater[8] Phronesis, de istis imaginationibus et calculationibus declaratum. Sed rogo[9], dic mihi difficultates *theologicas*, quas in illa materia dimisisti. Grave quidem videtur

[1] gratis labi posset] graviter quis labi posset, ed. pr.; sed labi posset, A.B.C. [2] scio] nosco, C. ed. pr. [3] ex] A.B. secundae manus. [4] variata] variatur, A.B.C. [5] lineare] liniale, A.B.C. [6] appropriata] propriata, D. ed. pr. [7] horam] hominem, D. [8] frater] om. B. ed. pr. [9] rogo] rogo te, C. ed. pr.

cum angelus sit ubicunque afficitur, sicut *Lincolniensis* dicit De anima; et angelus afficitur cuicunque parti mundi; sequitur, quod[1] angelus sit ad quemlibet punctum mundi. Et iterum videtur possibile, quod angelus sit simul per diversa loca, ut in coelo et in terra, et non in medio intercepto. Et iterum videtur sicut praetermisisti tractatum de modo essendi Dei, scilicet essentialiter potentialiter et virtualiter ubique, sic praetermittis modum essendi angeli in loco.

*Phronesis.* Fateor, quod multa puncta satis necessaria dimisi in tractatu de Deo, non solum propter ignorantiam aut oblivionem, sed quia videtur mihi expediens matri nostrae, quod sint[2] multi tractatus de Deo et[3] sua fabrica, in brevitate et ordine variati, ita quod in illa materia posset multorum studium dilatari. Certum quidem est, quod necessario Deus conservet locum quemlibet et quamlibet creaturam, et non conservat per potentiam ab eo distinctam[4]: nec potest vicissim adesse et deesse suae fabricae. Ideo necessario est ubique. Quamvis autem mundus et tempus et universalia etiam sint ubique, tamen[5] ad modum essendi Dei ubique non possunt attingere, cum Deus necessario secundum totam suam essentiam perpetuo[6] est ubique, mundus autem quamvis sit secundum partes dispares ubique, non tamen semper est ubique secundum quamlibet sui partem[7]. Tempus etiam quamvis secundum se totum sit ubique, non tamen semper est ubique secundum quamlibet ejus partem[8]. Universalia etiam, quae habent sua singularia ubique, quamvis etiam sunt ubique, non tamen semper secundum suas partes singulas subjectivas. Ideo Deus habet unum modum excellentem[9] et proprium, quo essentialiter est ubique. Et cum in Deo sit virtus atque potentia, quae realiter est divina essentia, patet quod Deus virtualiter et potentialiter est ubique. Intelligendo tamen illos modos analogice, patet quod in creaturis notabiliter distinguuntur, cum virtus unius creaturae, tam spiritualis quam corporalis, se extendit ad[10] loca et corpora, ad quae ejus essentia

Deus alio modo, i. e. essentialiter, est ubique quam mundus et universalia et creati spiritus.

[1] sequitur, quod] quando ergo, ed. pr.; quando angelus, D. [2] quod sint] cum fuerint, A.B.C. secundae manus. [3] et] de, ed. pr. [4] distinctam] distantem, B. secundae manus. [5] tamen] om. A.B.C. ed. pr. [6] perpetuo] om. A.B. [7] semper—partem] om. A.B.C. ed. pr.; se totum, C. primae manus, ed. pr.; non tamen secundum totum, A. [8] Tempus—partem] om. D. [9] excellentem] excellentiae, A.B.C. [10] ad] et ad, C. ed. pr.

se[1] non extendit; ut rex dicitur potentialiter esse[2] per totum regnum suum, et sol virtualiter per totam sphaeram corporalium[3], et certum est, quod non situaliter vel essentialiter sunt ibidem. Et sic debet[4] intelligi de creatis spiritibus.

Angeli potentialiter sunt ubique, et quorsumcunque se moverint, non recedunt a Deo.

Ad *primam* instantiam quam quaeris, soror, utrum angeli sunt ubique, videtur mihi probabile, quod non secundum suas essentias, sed ille modus limitatus ad Deum sibi est proprie reservatus. Non tamen video, quin boni angeli potentialiter[5] sunt ubique, cum afficiuntur cuilibet creaturae, licet secundum gradus bonitatum in creaturis et affectionum ad illas dispariter sint cum illis. Hoc tamen est ex fide tenendum, quod sancti angeli, quorsumcunque in mundo se moverint, inveniunt Deum ubique praesentem, in quo beatifice moventur ad suum ministerium complendum[6]. Unde quando[7] angelus descendit de coelo, non debet credi quod recedit a Deo, sed ubique invenit Deum suum beatificantem ipsum objective, et per consequens non potest essentialiter a Deo recedere, licet multi peccando a Deo recedant moraliter. Et sic limitato modo essendi angeli secundum hos tres gradus dispares, concedi potest, quod angeli moventur secundum suas essentias, secundum quod Deus eis limitaverit ad impletionem sui officii. Et sic aequivocando in modo essendi angeli, videtur probabile quod idem angelus sit per loca disparia, et non in medio[8] interciso. Utrum autem hoc sit possibile secundum modum essendi essentialem, non hic diffinio, sed credo quod malus angelus ad puniendum, tentandum vel nocendum homini saepe adest etiam essentialiter, cui[9] non caritative afficitur.

Et patet, quo modo exiliter est dicendum ad *secundam* tuam instantiam, et patet eodem[10] tramite, quomodo ad *tertiam* tuam instantiam est[11] dicendum. Scio autem quod in omnibus istis punctis necessitati sumus plurimum ignorare. Quis enim novit, ad quid Deus officium angeli regulariter limitavit, et in quanto situ aut ubi vult angelum esse vel prodesse suae fabricae?

[1] se] om. ed. pr. [2] esse] om. A.B. [3] corporalium] corruptibilium, A.B.C. ed. pr. [4] debet] om. C. ed. pr. [5] potentialiter] potentialiter vel virtualiter, C. ed. pr.; potentialiter virtualiter, A.B. [6] complendum] ad implendum, C.; implendum, ed. pr. [7] quando] autem, ed. pr. [8] medio] loco, B., A. primae, C. secundae manus. [9] cui] quando, C.D. ed. pr. [10] eodem] de eodem, C. ed. pr.; ex eodem, A.B. [11] est] sit, C. ed. pr.

Credimus tamen[1], quod sicut[2] Deus limitavit angelos bonos perficere partes mundi, sic continue implendo impeccabiliter suum officium continue sine otio perficiunt partes mundi[3], et ita illuminant et purgant inferiores angelos, licet non a suis erroribus vel peccatis, sed praeservant eos in statibus debitis, quando ceteris paribus dilapsi forent aliter ab illis statibus, quos nunc servant; et sic illuminant inferiores angelos, licet omnes et singuli a Deo lumen recipiant. Angelus autem continue videt in verbo, quid et qualiter sit agendum, et movetur a Deo ad perficiendum opus sibi[4] debitum, in quo etiam[5] beatifice delectatur; unus tamen videt clarius et alius minus clare. Quomodo autem angeli alterantur in suis illuminationibus, est difficultas et error multiplex, cum multi imaginantur nimis grosse, quod lumen, quo informatur angelus, sit res quae poterit per se esse continue defluxa[6] a Deo vel superiori angelo. Sed quid stultius, cum affectio angeli potest insensibiliter variari, et in majori parte angeli habent affectiones perpetuas, quas ex perpetua duratione[7] pro suo tempore prosequuntur?

## CAP. XII.

### *De angelorum cognitione et lapsu.*

*Pseustis.* Audivi, quod taliter qualiter eructasti tuam sententiam, sed dubia, in quibus difficultas absconditur, praetermittis. Dubium quidem est, utrum[8] ex angelo et corpore[9] aliquid componatur. Et iterum dubium est, quomodo aliqui angeli erant facti sic mali, in suis malitiis indurati. Ac tertio dubium est, quomodo boni angeli pugnant cum malis, cum[10] hoc videtur beatitudinem bonorum tollere[11], cum secundum *Augustinum* 'beatus est qui habet quicquid vult, et nihil mali vult.' Sed quomodo habet angelus sic pugnans quidquid vult, cum appetit

[1] tamen] enim tamen, B. primae manus, ed. pr. [2] sicut] sic, ed. pr. [3] sic continue—perficiunt partes mundi] om. D. [4] sibi] suum, ed. pr. [5] in quo etiam] et in hoc, C. ed. pr. [6] defluxa] defluxu, ed. pr. [7] duratione] servatione, A.B.C. ed. pr. [8] utrum] om. A.B. [9] corpore] corpore si, A.B. [10] cum] tum, ed. pr. [11] videtur—tollere] tolleret, A.B.C.

finem victoriae et pacem sequentem, quibus caret pro mensura aliqua, et sic perficitur ac imperficitur successive?

*Phronesis.* Considero, quod eructatio sonat in excellentiam[1], quae[2] potest competere creaturae, cum substantia divina dicat de patre et filio: 'eructavit cor meum verbum bonum[3].' Sed ad *primum dubium* tuum videtur mihi, quod nihil ex spiritu et corpore proprie componitur[4], sed aggregatum ex illis vocatur nunc animal, et nunc capit denominationem unius partis et nunc alterius differentiae communiter; ut angelus nunc dicitur replere locum, et nunc moveri localiter corporee. Proprie autem dicitur intelligere et[5] in Deo quiescere. Quomodo autem movet corpus concipit intellectus, sed actus imaginativae suspenditur, sicut de creatione mundi et ceteris pure intelligibilibus. Sed vocando aggregatum ex angelo et corpore animal, sicut vocat *Gregorius*, videtur quod illud aggregatum sit angelo puro perfectius, cum corpus assumptum non imperficit angelum, sed superaddit totam perfectionem illius corporis aggregato.

Num sit aggregatum ex angelo puro et corpore.

Quo ad *secundam difficultatem*, oportet inniti fidei. Et cum *Averrois* dicat, quod veritas testatur sibi ipsi[6] omnibus modis, concordat experientia quam habemus de malis spiritibus. Dicitur enim communiter ex fide Esaiae xiv., quod primus angelus vocatus[7] 'Lucifer' paulo post primum instans mundi fuit prostratus in superbia, et statim post justo Dei judicio dejectus fuerat in infernum. Quamvis enim omnis locus videtur[8] impertinens spiritui, ut delectatione corporea inibi delectetur, cum Deus aeque delectatur *ubique*, et poena corporea non posset inesse illi[9] spiritui, est tamen grandis poena creato spiritui, quod invite dejiciatur et retineatur in loco humili et indigno, a coelesti influentia maxime elongato, cujusmodi est locus inferni. Sed de superbia istorum malorum angelorum est dubium apud multos; cum enim fuerunt creati in clara notitia, difficile videtur, quod sic inciderent in errorem, potissime[10] cum homo non potest ad tantum errare quod credat se posse Deo in potentia

Quomodo factum sit, ut angeli aliqui laberentur.

[1] in excellentiam] excellentius, D. ed. pr. [2] quae] quam, D. ed. pr. [3] cf. Ps. xlv. 2, sive xliv. 2, Vulg. [4] componitur] componatur, D. [5] intelligere et] intelligibiliter, ed. pr. [6] ipsi] om. A.B. [7] vocatus] vocatur, ed. pr. [8] videtur] videtur esse, C.; videretur esse, ed. pr. [9] illi] eidem, A.B. [10] potissime] potentiae, ed. pr.

coaequari, cum demonstratio certissima[1] docet oppositum; quomodo ergo potest primus angelus esse stultior, quam homo insipiens? Et iterum videtur difficultas, quomodo primus angelus, si per tempus in illa clara Dei notitia fuerat delectatus, a notitia illa excidit, cum ex delectatione tanti objecti fortificaretur notitia, et nihil appetitur, nisi rationi ipsum appareat bonum; quomodo ergo posset incipere illa fallax apparentia? Et iterum, multi homines sunt propter minorem notitiam minoris objecti, quam est Deus, in ejus complacentia delectabili confirmati. Nec posset dici, quod angelus creatus est in primo instanti mundi in tali malitia et errore, quia tunc Deus foret auctor talis malitiae et geminaret[2] haeresim Manicheorum ponentium Deum[3] malum.

Hic dici potest, quod omnis malus angelus stetit in statu innocentiae per tempus modicum, licet nobis insensibile, et post modum in superbiam sunt dilapsi. Quomodo autem casus iste contigit, dici potest, quod duplex est talium spirituum notitia Dei, scilicet visio in verbo et notitia in genere proprio. Visio autem in verbo vocatur ab *Augustino* notitia matutina, et in confirmatis angelis notitia meridiana; alia autem notitia rerum in genere proprio, quae dicitur notitia abstractiva, vocatur etiam notitia vespertina; et talem imperfectam[4] et confusam notitiam de Deo habemus hic in via. Unde in nobis distinguuntur notabiliter tres notitiae intellectus, sicut est dare triplicem corpoream visionem: aliqua enim videmus *recto*[5] *intuitu* sicut spiritus intuetur tam Deum quam suas[6] creaturas in verbo. Secunda autem visio corporalis[7] est per *refractionem*, quando per media diversarum diaphaneitatum[8] videtur[9] visibile ratione diversitatis diaphaneitatum parum a rectitudine declinando; et isto modo dicitur spiritum creatum simul cognoscere creaturam in verbo et in proprio genere. Tertia autem visio est per *reflexionem*, quando species visibilis a speculo reflectitur ad oculum videntem; ita quod prima visio sit per lineam rectam, secunda per

[1] certissima] potissima, A.B.C. secundae manus. [2] geminaret] germinaret, ed. pr. [3] Deum] eum, ed. pr. [4] imperfectam] imperfectivam, ed. pr. [5] recto] directo, C. ed. pr. [6] suas] alias, A.B.C. ed. pr. [7] corporalis] corruptibilis, ed. pr. [8] diaphaneitatum] A.B.; dyafaneitatum, C.; diaffaneitatum. [9] videtur] om. ed. pr.

lineam refractam, et tertia per lineam reflexam. Et isto modo 'videmus nunc per speculum in enigmate[1],' cum 'invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur[2].' Relinquendo ergo perspectivis declarationem hujus triplicis notitiae, dico tanquam mihi probabile, quod omnes angeli habuerunt in primo instanti mundi et paulo post in verbo Dei claram notitiam, et eodem meditulio[3] temporis declinando ab ista notitia, noverunt res in suo genere notitia minus clara; et pro tempore illius notitiae lapsi sunt angeli non credentes, quod pacificantur Deo, cum hoc non[4] posset intelligi, sed affectantes conati sunt[5] quod sint similes altissimo, sic scilicet, quod sicut altissimus non habet superiorem, ad quem referat gratias pro donatis, sic illi angeli mali quiescant in notitia rerum in proprio genere, et non ad laudes Deo debitas revertantur. Et credi potest, quod angeli mali nimis diu in notitia rerum in suo genere perstiterunt, et sic in illis, sicut in omni homine peccante, primo fuit peccatum omissionis, et ex continuitate[6] temporis et misericordia divinae punitionis et ex carentia innovationis poenae sensibilis, sunt illi mali angeli in suis vitiis indurati; quietantur enim in suo modo vivendi, quem habent a Deo. Ideo non praesumunt illi apostatae poenitere, vel plene et debite gratias agere Deo suo; et sic contingit hominem paulative et specialiter dum spiritus fuerit separatus a corpore, finaliter obstinari. Et illud[7] est peccatum in spiritum sanctum, et diabolicum. Ad *primum* istorum argumentorum patet ex dictis, quod daemones non sic credunt, sed credunt implicite, sicut et omnes superbi[8]. Ex quo sequitur, quod coaequarentur Deo, si cum illis paribus non ex Dei justitia sint[9] puniti. Ideo dicitur communiter, quod superbi volunt implicite aequari Deo, et sic de multis volitionibus[10], quae cum conditionibus[11] hujusmodi sunt supplendae. Ad *secundum* argumentum dicitur, quod talis angelus a delectatione in Deo decidit[12]

Angeli mali post lapsum indurati sunt.

[1] cf. 1 Corinth. xiii. 12. [2] cf. Rom. i. 20. Editio princeps notam marginalem, quae in Cod. C. habetur, 'Roma. i.' ante verba 'invisibilia' etc. in textum ipsum recepit. [3] meditulio] meditullio = medio. [4] cum hoc non] tum hoc quod non, ed. pr. [5] affectantes conati sunt] credentes affectantes et contentati, ed. pr. cum B.C. primae manus, D. [6] continuitate] contingente, ed. pr. [7] illud] om. ed. pr. [8] superbi] superbi credunt, A.B.C. ed. pr. [9] sint] sunt, A.B. [10] volitionibus] notabilibus, ed. pr. cum B.C. primae manus. [11] conditionibus] conditione, A.B.C. ed. pr. [12] in Deo decidit] decidit, in Deo, ed. pr.

paulative incipiendo nimis diu immorari in notitia rerum in proprio genere. Unde talis mora est periculosa in nobis, et non infuit angelis confirmatis. Sed non video, quin illi angeli tam tunc quam modo possunt cognoscere res in genere proprio[1], sic tamen, quod notitiam matutinam debitam non omittant[2]. Ideo est verisimile, quod illi angeli confirmati res in verbo basilicaliter[3] cognoscant, et cum hoc modo visionis refractae cognoscunt res in proprio genere. Diaboli autem confirmati fuissent, si tempestive et debite ad Dei laudem atque notitiam divertissent. Quantum ad *tertium* argumentum, concedo assumptum, unde confirmatio consistit radicaliter in praedestinatione divina et ejus assistentia gratiosa. Lapsus[4] autem consistit culpabiliter in creaturae negligentia, ut primus angelus negligenter moratus est in notitia creaturae in suo genere, et sic neque volentis angeli neque currentis hominis est per se confirmatio, sed Dei miserentis[5].

## CAP. XIII.

*Quomodo angeli boni cum malis pugnent.*

*Alithia.* Licet, frater Phronesis, sententia ista videatur probabilis, tamen superest *difficultas tertia* declaranda, scilicet quomodo *boni angeli pugnant cum malis*, et quando[6] inceperat et quando terminabitur ista pugna.

*Phronesis.* Fides scripturae in apocalypsi Johannis et prophetia Danielis edocent illam pugnam. Non tamen intelligo, quod angeli isti pugnant laedendo se reciproce, vel quod verberando aërem trucidant[7] aut laedunt sese in corpore, cum non taliter possunt pati, sed assumptis corporibus docent homines, quomodo ipsi resistant[8] spiritui, etiam violentia corporali. Si[9] enim homines perfidi resistunt etiam sancto spiritui, ut dicit Stephanus, Act. viii., multo magis creati spiritus possunt assumptis corporibus resistere sibi ipsis. Sed diversitas est in resistentia bonorum spirituum et malorum. Nam mali spiritus

Qualis sit pugna, quam boni angeli cum malis ineunt.

[1] proprio] suo, A.B.C. ed. pr. [2] omittant] amittant, A.B.C. [3] basilicaliter] a βασιλικός, cf. Jac. ii. 8; basaliter, C.D. ed. pr. [4] Lapsus] lapsis, ed. pr. [5] cf. Rom. ix. 16. [6] quando] quomodo, ed. pr. [7] trucidant] trucident, laedant, A.B.C. [8] resistant] resistunt, D. ed. pr. [9] Si] Sic, A.B.C.

apponunt nisum[1] et difficultatem potentiae, contra Dei potentiam resistendo, et illa vocatur illorum pugna spirituum. Spiritus autem boni videntes plene Dei beneplacitum[2], insiliunt contra illos malos spiritus, et[3] resistunt de quanto vident[4] Domino complacere. Et talis colluctatio vocatur pugna in libris propheticis; taliter enim colluctamur adversus carnem et sanguinem et etiam contra ipsos[5] diabolos. Beati autem habent in omni tali pugna quidquid voluerint, quia quamvis non habeant modo victoriam talis pugnae[6], certificati tamen ex revelatione divina habent pro futuro tempore, et interim habent quamcunque delectationem voluerint[7] sine fastidio reluctante. Et sic dispariter pugnant angeli boni cum antiquo serpente, et dispariter Deus, si pugna vel colluctatio debet dici. Et patet solutio ad objectum: nam angeli boni habent quidquid volunt, quia pro magno tempore etiam[8] sunt continue securi de habitione optati sine fastidio incidente. Et sic beati licet careant dispositione accidentali, volunt tamen ipsa carere, et de hoc est eis beneplacitum, quantum erit eis beneplacitum, cum habebunt; quia certitudo finis et complacentia voluntati divinae in pulchritudine[9] successionis hujusmodi delectat angelos continue aeque multum. Nec video, quomodo logicus sine extensione temporis posset in ista materia regulariter vere loqui, et patet, quod angelus bonus non ex hoc perficitur et imperficitur successive, cum delectabilis exspectatio tantum perficit sicut habitio talis finis. Sed secus est de homine, qui continue fluctuat in ambiguo quo ad finem.

Num pugna ista beatitudinem angelorum bonorum tollat.

*Quando* autem illa *pugna*[10] *inceperat*, utrum statim post lapsum mali angeli in supremo coelo, est mihi ambiguum, vel si coeperat illa pugna in particulari triumpho post ascensionem Christi in ecclesia militante. Scimus quidem, quod tota habitabilis[11] nostra vocatur coelum, sicut volucres dicuntur[12] communiter aves coeli. De *cessatione* autem illarum *pugnarum* certum videtur[13], quod cessabunt[14] post diem judicii, cum non erit tunc materia reluctandi.

[1] nisum] visum, D. ed. pr. [2] beneplacitum] placitum, ed. pr. [3] et] et tunc, D. [4] vident] viderunt, ed. pr. cum B. primae manus, D. [5] ipsos] illos, A. [6] pugnae] om. ed. pr. [7] voluerint] voluerunt, ed. pr. [8] etiam] et, A.B.C. [9] in pulchritudine] successionis successivis pulchritudine, A.; in successivis pulchritudine, B.; in succedentis pulchritudine, ed. pr. [10] illa pugna] illam pugnam, ed. pr. [11] habitabilis] i.e. οἰκουμένη, substantivo sensu. [12] dicuntur] om. ed. pr. [13] certum videtur] certi videmur, A.B.C. ed. pr. [14] cessabunt] om. ed. pr.

Quomodo mali spiritus homines temtent.

Sed quomodo hi[1] mali spiritus temptant homines, est dissensio apud multos, cum non subsit ratio vel modus temptandi. Certum est tamen, quod possunt temptare homines, vincendo[2] spiritus, spiritus corporeos[3], prout fuerit operi meritorio consonum vel dissonum, dispergendo. Sic enim diabolus potest temptare homines per species sensibilium[4] nunc excitantium ad gulam atque luxuriam secundum appetitum carnis, et nunc per species rerum sensibilium excitantium ad avaritiam, opponendo secundum concupiscentiam oculorum, et nunc per[5] species rerum sensibilium excitantium ad superbiam applicando, sicut diabolus temptavit Christum Matth. iv. Et boni spiritus possunt secundum gradus consimiles[6] adjuvare. Regulam autem in omnibus istis oportet de beneplacito Dei accipere, cum diaboli ex fide non plus possunt temptare homines, quam de Dei beneplacito permittuntur, cum Dei justitia non permittit nos temptari supra id quod possumus[7]; vel si resistere non sufficimus, peccatum nostrum primum est in causa.

## CAP. XIV.[8]

### *De praedestinatione.*

*Pseustis.* In omnibus istis videtur quod innuis Deum cum creaturis suis in[9] omnibus[10] talibus[11] joculari, cum creatura non plus potest talia facere vel movere, quam imago artificis joculantis, cum Esaias dicat, quod sumus serra Domini dividentis[12]. Et sic videtur, quod Deus necessitat tam praedestinatos homines quam praescitos.

*Phronesis.* Hic oportet intelligere terminos, ut fides scripturae hos[13] limitat et non ultra, ne dent occasionem concipiendi

[1] hi] hic, ed. pr. [2] vincendo] uniendo, ed. pr. C. [3] spiritus, spiritus corporeos] spiritus corporeos vel ipsos, D. [4] sensibilium] rerum sensibilium, A.B.C. ed. pr. [5] per] om. A.B.C. ed. pr.—cf. 1 Jo. ii. 16. [6] consimiles] similes, A.B. [7] cf. 1 Corinth. x. 13. [8] Codices manuscripti hoc caput inferius incipiunt, cf. p. 123, not. 9; nihilo minus editionem principem hac in re sequimur, et confusionis vitandae et argumenti ipsius causa, quum alia materia scilicet de praedestinatione hic tractari incipiat. [9] in] om. A.B.C. ed. pr. [10] cum creaturis suis in omnibus] in creaturis suis omnibus, A.B.; in creaturis suis in omnibus, C. ed. pr. [11] talibus] taliter, A.B.C. ed. pr. [12] cf. Jesaiae x. 15. [13] hos] om. A.

Praedestinatio aliorum ad gloriam aliorum praeparatio ad poenam neque a Deo solo pendet,

erronee de essentia increata. Et sic videtur mihi probabile ut supra, quod Deus necessitat creaturas singulas activas ad quemlibet actum suum; et sic sunt aliqui *praedestinati*, hoc est post laborem ordinati ad gloriam, aliqui *praesciti*, hoc est post vitam miseram ad poenam perpetuam ordinati. Sic enim limitantur hi duo[1] termini, licet apud multos accipiantur communiter[2] ut termini videntur sonare, et ita praedestinationis aut praescientiae divinae est causa indubie ipse Deus, cum nulla creatura causat, formaliter intelligendo, hos actus sive notitias Deo intrinsecas atque aeternas. Intelligendo autem passive praedestinationem vel[3] praeparationem ad poenam, videtur quod illae sunt a Deo, ab esse[4] intelligibili creaturae, et a futuritione criminis[5] concausatae. Et sic veritas prior[6] naturaliter in ista materia videtur causare[7] veritatem sequentem, specialiter intercidente actu hujusmodi[8] veritatis, ut quia Deus ordinat tale praemium sive poenam, et homo sic merebitur vel[9] peccabit, et quia de facto intercidit tale factum meritorium sive demeritorium[10], ideo de facto sequitur talis punitio vel praemiatio; et ita concedendum videtur, quod temporale sit causa praedestinationis aeternae, praecedente tamen causa aeterna, tam ex parte Dei taliter ordinantis, quam ex parte futuritionis creaturae taliter ordinatae. Nec dubium, quin Deus quantumcunque[11] ordinat[12] punitionem vel actum hujusmodi, intendit finem meliorem, gratia cujus boni honesti et utilis ecclesiae sic intendit; nec[13] est inconveniens sed consonum, quod aeternum hujusmodi respectum[14] causetur ab aliquo[15] temporali, suo tempore succedente; ut, quia hoc est, et sic proficit et perficit mundum, Deus ordinat illud fore; antecedens est temporale, et consequens est aeternum. Et si quaeratur, quid complete causat Dei ordinationem[16] aeternam, antequam istud fiat, dicitur quod Dei volitio vel etiam ipse Deus, cum necessarium est ad completionem respectus hujusmodi, effectum talem abso-

[1] duo] om. A.B. [2] communiter] communius, C. ed. pr. [3] vel] sive, A. [4] a Deo, ab esse] a Deo abesse, ed. pr. [5] criminis] terminis, ed. pr. [6] prior] prius, D. [7] causare] capere, D. [8] hujusmodi] hujus, A.B.C. ed. pr. [9] vel] et, A.B. [10] factum meritorium sive demeritorium] meritum sive demeritum, A.B.C. ed. pr. [11] quantumcunque] quandocunque, ed. pr. [12] ordinat] ordinavit, ed. pr. [13] nec] sed nec, A.B.C. ed. pr. [14] respectum] respectivum, C.D.; respectivi, ed. pr. [15] aliquo] absolute, D. [16] ordinationem] ordinantiam, D. ed. pr.

lutum succedere. Et sic quamvis sequatur[1], iste homo est ordinatus a Deo intellectus a Deo vel ab ipso volitus, ergo iste homo est, cum Deus nihil intelligit nisi quod est; tamen non sequitur, si pro ista mensura iste homo intelligitur vel eligitur, ergo pro ista mensura[2] iste homo est; cum omnis praedestinatus fuit[3] electus ante mundi constitutionem, et tamen non *fuit* homo ante mundi constitutionem, quia tunc aeternaliter foret[4] homo. Et sic non sequitur, quod si[5] iste homo fuerit[6] ante mundi constitutionem *in esse intelligibili* ordinatus a Deo vel intellectus, tunc *fuit* ante mundi constitutionem[7]; sed satis est, quod fuit pro suo tempore. Et ita licet hoc fuit aliquid ante mundi constitutionem, demonstrando ydeam hominis, et hoc est iste homo, tamen iste homo non fuit[8] ante mundi constitutionem. Et licet tunc fuit electus a Deo, volitus et cetera, tamen non *tunc fuit* electum a Deo, volitum et cet., quamvis fuit electum et a Deo volitum *pro suo tempore*. Istud colligitur ex sententia primi libri.

neque efficit, ut homo ante mundi initium fuisse putandus sit.

## CAP. XV.[9]

### *De coelo et astris.*

*Alithia.* Dic, frater Phronesis, consequenter ad dicta tua, *de coelo* et suis partibus, tum quia astronomi de ejus notitia multum pompant, tum etiam quia scriptura de eis[10] facit saepius[11] mentionem.

*Phronesis.* De ista materia parum concipio, et astronomi in ista materia loquentes infundabiliter balbutiunt. Dicunt enim a probabili[12] experientia, quod sunt septem planetae citra octavam sphaeram hunc ordinem observantes: Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, et luna. Et motus, ac eclipses[13] eorum sensibili[14] experientia cognoverunt. Et super omnes hos

Quid astronomi de coelo et terra, de elementis et astris tradant, exponitur.

[1] sequatur] sequitur, ed. pr. [2] mensura] mensura sicut Deus eligit ipsum ante mundi constitutionem, ed. pr. [3] fuit] fuerit, A.B.C. [4] foret] fuit, A.B.C. ed. pr. [5] quod si] si, ed. pr. [6] fuerit] fuit, D. ed. pr. [7] constitutionem] constitutionem in esse existere, A.C. secundae manus. [8] non fuit] non fuit aliquid, D. ed. pr. [9] Cap. xiv. secundum Codices MSS. [10] eis] his, A. [11] saepius] om. A.B.C. ed. pr. [12] a probabili] approbabili, A. [13] eclipses] eclipsis, ed. pr. [14] sensibili] a sensibili, A.B.C. ed. pr.

septem planetas ponunt[1] coelum stellatum et figuras astrorum cum suis efficaciis ac conjunctionibus, oppositionibus et aliis respectibus cum planetis. Et super istam[2] octavam sphaeram, quae dicitur coelum stellatum, ponunt quidam sphaeram nonam, quidam decimam sphaeram et quidam sphaeram undecimam, et habent suas evidentias. Sub luna autem ponunt quattuor elementa, scilicet ignem, aërem, aquam et terram. Et omnia illa ponunt corruptibilia, et in suis confiniis specialiter ad invicem commisceri. Et compositum ex istis quattuor vocant sphaeram corruptibilium, in qua super terram et in aëre sunt homo et mixta alia, ut sensibilia[3], vegetabilia, lapides metallorum, mineralia[4], et mixta alia imperfecta, quae vocant exhalationes, vapores vel alias impressiones. Et propter hominem ponunt terram quo ad nostram habitabilem[5] parum a centro elevatiorem. Aquam vero[6] ponunt sic situari, quod ex parte altera sit[7] elevatior quam est terra. Et omnia haec tria elementa ponunt quodammodo circumdare terram[8], ignem velocius, aërem tardius, velocius tamen supra peripherias[9] altissimorum montium. Et in[10] illis circumferentiis ponunt stellam comatam ab influentia[11] coelestium generari et sub illa[12] ardentem draconem, halonem et iridem, hiatum et bochim, pluviam, nivem et grandinem, ventum et maris salsedinem cum ceteris impressionibus subterraneis, quas describunt. Aër autem circa peripherias montium, sicut mare irregulariter[13] movetur. Omnia tamen ista corpora sublunaria impressiones recipiunt ab astris coelestibus, et in corruptione ac aliis passionibus in suis periodis a coelestibus corporibus limitantur. Omnes autem orbes coelestes, hoc est supralunares ponunt cum astris circulariter esse motos. Orbes autem planetarum ponunt dividi in tres partes, et secundum illas[14] planetas esse nunc in auge[15], nunc in opposito augis sive rarefactione vel condensatione coeli. Et praeter hos[16] ponunt parvos circulos in circumferentia sphaerae planetae, in quibus

[1] ponunt] om. A.B. [2] istam] om. ed. pr. [3] ut sensibilia] alia insensibilia, A.B. [4] mineralia] minerae, A.B.C.; mineris, ed. pr. [5] habitabilem] habitationem, A.B.C. secundae manus. [6] vero] om. A. [7] sit] fit, ed. pr. [8] terram] circa terram, A.B.C. ed. pr. [9] peripherias] circumferentias, ed. pr., id quod interpretamenti instar ad marginem codicis C. adjectum est. [10] in] om. C. ed. pr. [11] influentia] influentiis, A.B. [12] illa] illo, A.B.C. ed. pr. [13] irregulariter] regulariter, B. secundae manus. [14] illas] illos, D. [15] auge, i.e. αὐγή. [16] hos] haec, D. ed. pr.

defertur astrum, quod nunc est stationarium, nunc retrogradum, et nunc directum; et illos circulos nominant epiciclos, et quemlibet hominem in sua generatione a facie coeli in sua periodo ac vita cum fortuniis ac infortuniis[1] limitari. Planetas autem describunt in suis proprietatibus et complexionibus satis diversificari. Omnes tamen possunt[2] a sole lumen recipere, et lunam, quae est infimus planetarum et mater[3] humidorum, ponunt[4] in oppositione secundum partem inferiorem nobis sensibilem illustrari, in conjunctione vero cum sole secundum partem sui superiorem partem[5] majorem habere a solis lumine illustratam, et in accessu ac recessu a sole secundum quadras et partes alias in lumine variari.

Sentientiae illae dijudicantur.

Sed quo ad omnes istas sententias, in quibusdam sensibilibus[6] dicunt probabiliter, ut de astris, in aliis autem sensibilibus[7] infundabiliter somniant, et ideo nimirum eorum judicium saepius est perversum. Tantam autem ponunt regularitatem[8] in motu coeli, quod si coelo unum astrum de novo esset additum vel ablatum, totum coelum non moveretur vel moveretur[9] cum fatigatione et poena, ut dicit *Averrois; Lincolniensis* autem, qui multum in ista materia laboravit, ponit in suo Exameron[10] deceptiones in ista materia satis multiplices. Nam ex fide scripturae sol nunc stetit et nunc retrocessit; et ignoramus si saepius ita fecit. Et cum totum judicium astronomi sit de regularitate[11] motus astri, quomodo certitudinaliter judicabit, specialiter[12] in gemellis, qui a facie coeli prope pari[13] influentia sunt respecti; unus habet statum fortunae laudabilem[14] et alius infortunia satis multa. Similiter cum actiones activorum sunt in passis secundum dispositiones passorum et[15] materiae ex quibus fit embrio[16], sunt satis dispares in matrice, nec aliqua scientia tradit regulam de istis materiis nec varietatem actionis coeli

[1] ac vita cum fortuniis ac infortuniis] cuncta fortuniis, A.B. [2] ponunt] possunt, C. ed. pr. [3] mater] magister, A.B. primae manus, ed. pr. [4] ponunt] reponunt, A.B. [5] partem] parum, C. ed. pr. [6] sensibilibus] sensibus, ed. pr. [7] sensibilibus] insensibilibus, A.B.C. ed. pr. [8] regularitatem] irregularitatem, D. [9] vel moveretur] om. ed. pr., cum B.C. primae manus. [10] Exameron] i. e. ἑξαήμερον, Roberti *Grosseteste* liber de opere sex dierum. [11] regularitate] irregularitate, A. [12] specialiter] specialiter tamen, C.D. ed. pr. [13] prope pari] sphaerae paritatem, C. primae manus, D. ed. pr. [14] statum—laudabilem] fatum—laudabile, A.B.C. ed. pr. [15] et] om. A.; sed, D. ed. pr. [16] embrio, i.e. embryo.

secundum diversitatem situs sublunaris, quomodo ergo stabunt generales regulae astrologi quo ad ista? Similiter certum est, quod proles variatur in suis actionibus[1] secundum variationem[2] nutritionis, motionis, et complexionis maternae, cum aliis varietatibus[3] in aëre; sed quis astrologus cognoscet regulariter illos motus[4]? Et patet, quod sicut medici sic et[5] astrologi fingunt saepe sententias quas ignorant; et talis fallacia est in arte alchimica et in multis similibus sophismatis fallaciter a trutannis. Sed et in venerabili scientia theologica, quae debet esse certissima ac necessaria, sunt sophisticationes nimis subdolae et haereticae antichristi. Quantum autem[6] ad speculationem[7] astronomiae, tam astrologi quam philosophi naturales plurimum sunt ignari, ut supposito sensus eorum judicio sine errore, quod[8] difficile est fidelem credere, adhuc sicut ignorant, utrum angelus copulatur orbi ut forma, vel nullus[9] illorum orbium movetur nisi a Deo solum modo, sic ignorant, utrum astra moventur motibus propriis sine[10] orbe vel utrum ad motum orbis sui circulariter deferuntur. Posset quidem esse, quod orbis per se moveretur perpetuo a suis partibus, supposito quod a Deo sit semel circulariter circumductus[11], et si non cum tali intelligentia motrice[12] sit taliter copulatus. Videmus enim quod mixtum figurae circularis[13] semel per artem[14] digitorum hominis circumductum, continuat per tempus notabile[15] motum suum, et si non esset impedimentum ex gravedine corporis, ex collisione medii continentis, nec ex corruptibilitate[16] corporis teretis[17] ita[18] moti, perpetuo moveretur ex appetitu naturali partium, quae naturaliter appetunt continuari ad invicem, ut patet ex motibus projectorum. Quae ergo necessitas ponendi intelligentias conjunctas orbibus ita motis? Et iterum cum astra possunt per se moveri in orbibus quietis ut aër[19], nec ratio necessitat quod taliter moveantur:

[1] actionibus] accidentibus, ed. pr. [2] variationem] variationes, A.B. [3] varietatibus] variabilibus, A.B.C. ed. pr. [4] illos motus] illas metas, ed. pr. [5] sicut medici, sic et] medici sicut, A.B. [6] autem] om. A. [7] speculationem] speculativam, D. ed. pr. [8] quod] dicitur, quod, ed. pr. [9] vel nullus] et nullus, A.B.; vel unus, ed. pr. [10] sine] sive, ed. pr. [11] circumductus] circumdatus, A.B. [12] motrice] om. B. secundae manus. [13] circularis] teretis, ed. pr. [14] artem] arcem, ed. pr. [15] notabile] notabilem, B. ed. pr. [16] corruptibilitate] corruptione, A.B.C. ed. pr. [17] teretis] terrestris, D. [18] ita] ista, ed. pr. [19] ut aër] ut apparet aër, C.; ut apparet, ed. pr.

quae rogo necessitas, ut astra ad motum circularem suorum orbium deferantur? Stat enim ex subtilitate orbis et astri, quod orbis non per motum hujusmodi[1] laceretur[2], ut patet de corporibus ascendentibus in coelum, et ex dote subtilitatis corporis gloriosi; aut quale inconveniens foret, quod medium dividatur, sicut aër dividitur per stellam comatam[3], et dividebatur per illam stellam, quae tres magos duxit ab oriente in Bethleem, Christo nato? Ex multis talibus videtur mihi, quod periculosum est, nimis[4] in somniis istius scientiae immorari, specialiter cum fundatio illius[5] scientiae sit incerta, et fidelis posset longe melius in aliis exercitiis animae occupari. Nec dubium quin debemus Deo computum de omni occupatione virium et temporis hic in via.

[1] hujusmodi] hujus, A.B.C. ed. pr. [2] laceretur] laederetur, ed. pr.
[3] comatam] commotam, D. [4] nimis] nimis multum, A.B.C. ed. pr.
[5] illius] om. ed. pr. c. B.C. primae manus.

# LIBER III.

## CAPUT I.

*De divisionibus virtutum.*

*Alithia.* Placet, frater mi[1] Phronesis, quod posuisti finem labori[2] et studio hujus artis, cum videtur expeditius et utilius[3] viatori, tractare[4] de virtutibus et exercitio in illis; per hoc enim accumulabitur meritum viatori, et proderit quo ad pacem viantium, etiam toti ecclesiae militanti.

*Phronesis.* Placet nobis inniti tam speculativae quam practicae hujus materiae, praemittendo divisiones multiplices de virtute. Est enim[5] virtus quaedam creata et quaedam[6] increata, cujusmodi est personaliter verbum Dei et essentialiter ipse Deus. Virtutum autem creatarum quaedam est naturalis et quaedam moralis; cum[7] naturalium quaedam sit[8] divisibilis et quaedam indivisibilis. Et virtutum moralium, quae solum possunt inesse homini, quaedam est moralis humana, et quaedam est theologica, cujusmodi sunt[9] fides, spes et charitas. Virtus autem moralis philosophica[10] vel humana ab *Aristotele* sic describitur, quod est habitus electivus in medio consistens, quo ad nos terminatus[11] ratione. Et sunt tales habitus secundum suas materias multipliciter variati. De illis autem habitibus quattuor sunt *virtutes cardinales*, scilicet, justitia, fortitudo, prudentia, et temperantia. Unde philosophi aequivocando nominant sub eodem nomine nunc virtutem moralem et nunc virtutem intellectualem. Quinque autem *virtutes intellectuales* possunt inesse homini, virtutes suas morales, ut

De virtutum generibus.

[1] mi] om. A.B. secundae manus. [2] labori] laboribus, A. [3] et utilius] om. A.B. [4] tractare] tractari, D. [5] enim] autem, A.B.C. ed. pr. [6] quaedam] virtus quaedam, A.B.C. ed. pr. [7] cum] et, A.B.; tum, ed. pr. [8] sit] est, A.B. [9] sunt] est, ed. pr. [10] philosophica] phisica, ed. pr. [81] terminatus] determinatus, ed. pr.

ratio exigit, regulantes; et sunt istae quinque sapientia, intellectus, scientia, ars et prudentia. *Sapientia* est de causa altissima et suis passionibus, de quibus primo libro dictum est. *Intellectus* est[1] notitia veritatum, quae sunt principia scientiarum; ut per intellectum cognosco, quod nihil simul est et non est, quod esse[2] totum est majus sua parte, et ita de similibus[3]. *Scientia* vero est tertius habitus intellectivus, de principiis suis demonstrative demonstratus, cujusmodi sunt conclusiones in demonstrativis scientiis et[4] aliis declaratae. *Ars* autem est habitus factibilium vel in artificialia directivus[5], non autem praxis talium factibilium, sed habitus speculativus ordinans quomodo talia factibilia debent ordinari. *Prudentia* vero est habitus agibilium directivus, et pertinet specialiter ad virtutes morales, cum quaelibet earum dicitur habere suam prudentiam. Sunt autem istae virtutes morales in appetitu sensitivo secundum *Aristotelem*. Et quia illae virtutes faciunt hominem eligere finem rationabilem[6] et ad opus illius finis delectabiliter inclinari, ideo vocantur ab *Aristotele* habitus electivi. Et insuper quia omnes tales habitus consistunt in actu medio inter duo extrema vitiosa, ideo vocat *Aristoteles* illum habitum electivum in medio existentem. Virtus enim cum dicitur ad aliquid est in actu ut fructu virtutis, et actus virtuosus dicitur e contrario esse[7] in virtute, ut in suo efficiente vel[8] ad ipsum moraliter inclinante[9]. Caveamus tamen semper, ne credamus virtutem aut vitium vel actus procedentes ab illis esse res aliquas, quae possunt per se esse; sed virtutes et vitia sunt accidentia de genere qualitatis, et actus sunt accidentia de genere actionis. Dicit autem[10] *Aristoteles*, quod oportet esse medium quo ad nos, hoc est quo ad eum qui taliter habituatur; quia diversis hominibus est medium dispariter adaptandum, ut *Aristoteles* exemplificat de Milone. Ipse autem[11] voluit comedere bovem in die, et in multis hominibus excederet illud medium virtuosum. Ideo oportet loqui de medio quo ad proportiones

Virtutes intellectuales.

Virtutes morales secundum Aristotelem.

[1] est] autem est, A.B.C. ed. pr. [2] esse totum] omne totum, A.B.C. ed. pr. [3] similibus] ceteris, A.B.C. ed. pr. [4] et] om. A.B. [5] in artificialia directivus] etiam artificialium directivus, C.D. ed. pr. [6] rationabilem] rationalem, ed. pr. [7] e contrario esse] ipse in contrario in virtute, ed. pr. [8] vel] ut, A.B.C. [9] inclinante] inclinate, ed. pr. [10] dicit autem] ut dicit, ed. pr. [11] autem voluit] enim voluerit, ed. pr.

et habitudines virtuosi, sic quod diversis hominibus sint disparia media adaptanda. Sed cum[1] quaelibet virtus moralis habeat suam prudentiam, connectit *Aristoteles*, quod est habitus determinatus ratione. Non enim semper est agendum nec continue otiandum, et sic quo ad velocitatem aut tarditatem actionis, cum modis aliis infinitis, quos oportet secundum rationem prudentiae regulari. Ideo addit *Aristoteles*, quod virtus moralis sit habitus ratione determinatus, nec oportet nos, sicut quando fuimus pueri, mussitare, quomodo habitus talis semper inclinat secundum sui ultimum[2], et ita foret saepe nocivus, cum inclinaret subjectum ad actus vitiosos. Iterum secundum variationem circumstantiae videri posset minus intelligentibus, quod virtus posset[3] esse vitium, ut habitus inclinativus magnifici ad dandum indigentibus excessive inclinaret, plus ipso directo[4] ad pauperiem scienter vel ignoranter, quam foret in sic disposito opportunum, et sic deveniret ex casu tali extrinseco habitus vitiosus. Similiter oportet[5] diffinitum variari proportionabiliter, ut diffinitio variatur, sed oportet hominem variari in actibus extrinsecis vitiosis, ut medium extrinsecum variatur. Ergo cum non potest esse latitudo in virtute et vitio, superest, quod in habitu animi correspondenter ad medium extrinsecum, habitus a virtute in vitium varietur.

Habitus moralis distinguitur a consuetudine.

In ista materia tenendum est, quod virtus moralis, de qua est sermo, secundum veritatem est habitus a Deo datus, in intellectu hominis radicatus; et distinguitur a consuetudine, quam quidam dicunt *Aristotelem* vocare virtutem moralem. Et sic concedo quo ad *primum* argumentum, quod consuetudo talis saepe nocet in casu[6]. Sed ista consuetudo distat plurimum a virtute, nec est imaginandum, quod consuetudo sit una res absoluta, quae posset per se existere, sicut grave aut leve, et inniti secundum ultimum suae potentiae, sed est una de potentiis accidentalibus, quibus adventicie[7] homo disponitur, ut taliter aut taliter operetur. Ad *secundam* instantiam dicitur forma consimili, quod consuetudo, quae non prudentia regulatur[8], nocet hominibus; sed illa

[1] cum] tamen, D.
[2] sui ultimum] ultimum esse sui, ed. pr.
[3] posset] potest, C. ed. pr.
[4] directo] dejecto, A.B.C. ed. pr.
[5] oportet] non oportet, ed. pr.
[6] in casu] intellectui, A.B.
[7] adventicie] adventice, ed. pr.
[8] prudentia regulatur] est prudentia regulata, A.B.C. ed. pr.

consuetudo non potest esse virtus aut vitium. Verumtamen magnificus debet secundum prudentiam pro talibus casibus suam largitionem provide mensurare, specialiter non dando histrionibus vel mendicis validis, pro vano nomine acquirendo. Quo ad *tertium*[1] dicitur, quod inconstantia et flexibilitate tam virtus quam vitium variantur. Partes[2] autem intensivas non solum horreo in virtutibus sed in quibuslibet creaturis; nec solum horreo, sed quamvis in juventute mea circa istam materiam sollicitus fueram[3], modo tamen non intelligo. *Habitus* autem non variantur de virtute in vitium, cum sint specierum disparium, sed *subjectum*, scilicet ut unus homo, qui solebat de bonis fortunae largiri prudenter agentibus[4] virtuose, assistente pauperie et stante improvida consuetudine largitur prodigaliter de bonis quae sibi adveniunt, non secundum virtutem, sed secundum consuetudinem, quae nunc non prudentia regulatur. Sed procul ista largitio a virtute.

## CAP. II.

*De natura et origine virtutum, praesertim fidei.*

*Alithia.* Considero in parte, frater mi Phronesis, quomodo sententia ista sit multum probabilis. Sed tamen in hoc quod ponis, omnes virtutes morales intellectu ac voluntate[5] consistere, miror multum, cum secundum *Aristotelem*[6] *appetitus* hominis sensitivus, qui dicitur rationalis, secundum participationem videtur subjectare omnes has virtutes praeter justitiam, quae dicitur in *intellectu* hominis subjectari.

*Phronesis.* Oportet nos considerare parum altius tam virtutes quam vitia, quam philosophus iste fecit[7]. *Justitia* quidem non solum commutativa vel distributiva sed servitiva debet dirigere nos ad Deum. Nam prima et principalis pars justitiae stat in

Quatuor virtutes cardinales altius consideratae.

[1] tertium] tertiam instantiam, A.B.C. ed. pr. [2] partes] pares, ed. pr. [3] fueram] fuero, D. [4] agentibus] egentibus, C.D. ed. pr. [5] intellectu ac voluntate] in intellectu vel voluntate, A.B.C. ed. pr. [6] Aristotelem] Aristotelem II Ethic., ed. pr. [7] fecit] fecerat, A.B.C. ed. pr.

isto, quod serviamus Deo ex tota nostra potentia et virtute, diligamusque ipsum ex toto corde in[1] tota anima et tota mente[2] nostra ad similitudinem Trinitatis. Et sine hac parte caritatis et gratiae nulla virtus moralis inest homini. Et post hanc partem justitiae oportet hominem servare aliam ad quemlibet fratrem nostrum. Et cum utraque istarum servatur[3] in spiritu separato, patet, quod sit virtus altior quam appetitus sensitivus, in qua virtus hujusmodi sit fundata. Et post istam justitiam oportet adesse *fortitudinem*, quae moveat hominem ad patiendum usque ad mortem et aggrediendum mortis articulum, si[4] oportet, pro defensione justitiae. Et haec virtus est in virtute non organica, cum animus in ejus completione naturaliter delectatur. Post hanc secundam virtutem cardinalem oportet quod assit *prudentia*, quae cuncta opera viantis regulet conformiter ad primam justitiam impellentem[5]. Et illam vocat evangelium prudentiam serpentinam[6], quia contra omnes temptationes, et[7] specialiter contra temptationem diaboli, obdurat[8] unam partem auris intellectus cum parte extrema[9] caudae suae, considerans quomodo necessitatur mori ab hac vita[10] misera, et secundum quod hic meruit vel[11] demeruit recipere in alio saeculo praemium sive poenam. Secundam partem auris intellectus applicat ad terram fragilitatis humanae, et sic totam spem adjutorii inclinat ad suffragium Dei sui. Et ista est prudentia serpentina, quam necesse est consistere in potentia intellectus. Quarto autem cum non assunt istae tres virtutes, nisi insit *temperantia* in subjecto, secundum quam[12] virtutem temperantiae utitur vescibilibus conformiter rationi. Quamvis autem pro tempore, quo anima hic copulatur corpori, multa opera istarum virtutum quattuor sunt organica et delectabilia appetitui sensitivo, oportet tamen quod in appetitu superiori[13] hominis radicentur. Istas autem virtutes quattuor, sicut quamcunque virtutem moralem, est impossibile inesse homini, nisi assit gratia Dei sui. Quomodo quaeso posset homo mereri beatitudinem, vivendo et agendo

[1] in] et, A.B.C. ed. pr.; cf. infra, p. 136. [2] et tota mente] om. ed. pr. [3] servatur] coronatur, D. [4] si] sicut, ed. pr. [5] impellentem] implentem, D. [6] cf. Matth. x. 16. [7] et] om. A.B. [8] obdurat] obturat, A.C., B. primae manus, ed. pr. [9] extrema] eximia, ed. pr. [10] vita] parte, ed. pr. [11] vel] sive, D. ed. pr. [12] secundum quam] nam secundum, A.B. [13] superiori] superioris, A.B.C.

secundum beneplacitum[1] Dei, nisi Deus ex magna sua gratia hoc acceptet? Ideo quidquid homo egerit, vel natura creata in ipso genuerit, non dicitur[2] virtus moralis meritoria praemii vel laudis perpetuae, nisi illa virtus ab alto[3] venerit, et per consequens ex[4] gratia Dei sui. Et ex isto patet quod nemo cognoscit, si sit moraliter virtuosus, nisi a Deo sibi fuerit specialiter revelatum. Et sic in tota ista materia de spe praemii et[5] deletione peccati cum sibi similibus, utitur ecclesia reputatione et suppositione[6] et non demonstratione[7] vel certa scientia in spe bonorum patriae conversando. Quamvis autem *Aristoteles* dicat, quod signum sit homini quod sit habituatus virtute, si delectanter[8] et constanter operetur[9] conformiter rationi, hoc tamen signum non est invincibiliter conjunctum virtuti[10]; cum homo expers gratiae potest ad tempus in bonis operibus delectari, etiam malus angelus, et[11] quantumcunque praescitus, peccando in Spiritum sanctum et usque ad mortem. Et patet, quod hoc peccatum nimis multos caecavit inscios, qui diffiniunt, quod homo absolvitur a peccato propter levem verborum suorum ostensionem vel expressionem, et[12] sacerdotalem[13] manuum impositionem; sed de isto inferius. Istud autem est citra[14] materiam fidei, licet materiam spei fidelibus administret.

Virtutes theologicae: fides.

Differunt autem istae tres *virtutes theologicae*, fides, spes et caritas in hoc, quod *fides* dicit supernaturalem et habitualem notitiam credendorum, inter reputationem atque scientiam, et habet fides proprietates laudabiles. Sed notandum, quod fides quandoque accipitur pro actu credendi, quandoque pro habitu, et quandoque pro veritate quae creditur. Ideo dicunt fideles, quod prima est fides *qua* credimus, secunda est fides *per quam* credimus, et tertia est fides *quam* credimus. Et fides (ut dicunt scholastici) alia[15] est informis, cum 'credunt daemones et tremescunt[16],' et alia est fides caritate formata. Videtur tamen

[1] beneplacitum] placitum, A. [2] dicitur] datur, D. [3] alto] alio, ed. pr. [4] ex] a, B. primae manus, C.D. ed. pr. [5] et] de, C. ed. pr.; de delectatione, D. [6] reputatione et suppositione] reputative et suppositive, B. ed. pr. [7] demonstratione] demonstrative, ed. pr. [8] delectanter] delectabiliter, D. ed. pr. [9] operetur] operatur, D. ed. pr. [10] conjunctum virtuti] conjunctivum virtutis, C.D. ed. pr. [11] et] om. A. [12] et] et ad, A.B.C. ed. pr. [13] sacerdotalem] sacramentalem, B.C.D. ed. pr. [14] citra] contra, D. ed. pr. [15] alia] aliqua, ed. pr. [16] cf. Iac. ii. 19.

mihi, quod fidelis secundum integritatem fidei habet necessario caritatem, cum daemones, et quicunque in ea[1] deficiunt, sunt secundum aliquid infideles. *Prima* ergo proprietas, quae fidem consequitur, est quod sit solum de veritate, falsitate exclusa, quam veritatem debet fidelis usque ad mortem defendere. Unde super veritatibus contingentibus, actus humanos concernentibus, non immediate et directe fides nostra erigitur, sed super qualemcunque[2] veritatem affirmativam vel negativam de praesenti praeterito vel futuro, de possibili et etiam[3] de inesse; ut patet de istis, Deus est, Deus non est injustus, Deus creavit mundum, Deus veniet ad finale judicium, Deus non potest se ipsum negare, Deus praemiat beatifice suos sanctos. *Secunda* proprietas fidei est, quod citra demonstrationem et sensibilem notitiam fidelibus sit[4] obscura, cum illud quod videmus ad oculum, dicimur non credere, et sancti qui clare vident articulos, quos nos obscure cognoscimus, non dicuntur eos[5] credere sed videre. Unde secundum apostolum[6] caritas manet tam in via quam patria, cum 'nunquam excidit,' sed loco fidei habent beati claram visionem, et loco[7] spei perpetuam fruitionem. *Tertia* fidei proprietas est, quod est basis vel substantia viatori veniendi ad quietam habitionem credendorum. Ideo dicit apostolus[8] quod 'fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.' Quamvis autem fidelis noscat confuse omnes articulos fidei, et habeat evidentiam[9] et[10] demonstrationem ad aliquos articulos fidei cognoscendum, non tamen oportet ipsum[11] exhinc a merito suo excidere, licet viator non ut sic habeat rationem meriti, quod[12] crediderit veritatem sensibilem. Et sic intelligi potest *Gregorius*[13], quod fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum[14]. Nec video, quomodo viator posset in statu isto peregrinando proficere ad beatitudinem promerendam, nisi primo omnium sit fidelis. Fidelis autem est, qui habet fidem

[1] ea] caritate, D. ed. pr. [2] qualemcunque] quamcunque, ed. pr. [3] etiam] om. A.B.C. secundae manus. [4] sit] est, A. [5] eos] ipsos, B.C.D. ed. pr. [6] apostolum] apostolum, 1 Corinth. xiii. ed. pr. C. nota marginalis. [7] loco] in loco, A.B.C. ed. pr. [8] apostolus] apostolus, Hebr. xi. A.B.C. ed. pr. [9] evidentiam] notitiam, evidentiam, A.B. [10] et] etiam, ed. pr. [11] ipsum] rationem, A.B. [12] quod] et, ed. pr.; ut credit, D. [13] Gregorius] Gregorius in omilia de octava paschae, ed. pr.; cum nota marginali codicis, C. Homil. 26. App. i. 1152. [14] cui—experimentum] om. ed. pr. cum C.

a Deo infusam, sine aliqua trepidatione fidei contraria, quae suae fidei sit commixta. Omnes autem praesciti et criminosi secundum praesentem injustitiam sunt etiam infideles, cum impossibile sit quemquam peccare, nisi de tanto in fide deficiat[1], quia si poenam infligendam sic[2] peccantibus plene crederet[3], et haberet fidem divinae notitiae, quomodo clare cognoscit omnia, cum aliis veritatibus credendis, non tunc indubie sic peccaret. Ideo apostolus vocat inter sex spirituales armaturas virtutem istam 'scutum fidei[4],' quae virtus tribus modis potest deficere, primo modo in[5] infirmitate, secundo modo in porositate, et[6] tertio modo perversa applicatione. Primo modo in fide deficiunt, qui in credendo titubant, et non usque ad[7] mortem pro defensione fidei perseverant. Secundo modo in fide deficiunt, qui multa credenda firmiter credunt, et in multis credendis tanquam in foraminibus vacuis a fide deficiunt. Et[8] tertio, supposito, quod quis habeat firmum habitum credendorum, ab actu tamen operis meritorii propter vitam inordinatam deficiat[9], tunc arma suae fidei sunt perversa. Et patet ratio, quare fides scripturae in evangelio, Paulo et Jacobo[10], taliter laudat fidem.

## CAP. III.

### *De spe et caritate.*

*Alithia.* Ista dicta placent mihi, mi[11] frater Phronesis, cum sint pulchra et necessaria viatori. Sed dic, rogo, de aliis duabus virtutibus, ut coepisti.

*Phronesis.* *Spes* in multis a fide differt. *Primo* in hoc, quod spes solum est de futuro praemio obtinendo, fides autem est de veritate quantumlibet variata. *Secundo* spes non attingit ad[12] demonstrationem vel fidei notitiam de sperato, sed quietatur in Spes.

[1] deficiat] deficit, A. [2] sic] fore, ed. pr. [3] plene crederet] cogitaret et plene crederet, A.B.C. ed. pr. [4] cf. Eph. vi. 16. [5] in] om. A. [6] et] om. ed. pr. [7] ad] om. A.B. [8] et] in, C.D. ed. pr. [9] deficiat] deficit, A.B.C.; deficiunt, ed. pr. [10] evangelio, Paulo et Jacobo] evangelio Pauli et Jacobi, C. ed. pr.; evangelio, epistolis Pauli et Jacobi, A.B. [11] mihi mi] mi om. C., B. primae manus, ed. pr.; mihi om. D. [12] ad] om. C.D. ed. pr.

quodam actu medio inter dubitationem[1] et credulitatem. Ideo dicunt logici de sperandis, non quod ipsa sciunt, negant aut dubitant, sed supponunt. Et talis spes dicit quandam adhaesionem delectabilem circa[2] fidem. *Tertio* in hoc, quod spes non est nisi de *bono* patriae possibili sic speranti, fides autem est tam de bono quam de malo credenti pertinente, et de multis quae impertinentia sunt credenti. Et patet quod multa sunt proponenda fidelibus, quae distinctione semota nec debent dubitare, concedere nec negare, ut proposito praelato, utrum sit haereticus, debet sperare ac supponere ejus oppositum. Et si dubitat, est omnino culpabilis, cum evidentia quae movet eum ad partem affirmativam, debet omnimode semoveri. Si concedit ex causa, est[3] magis culpabilis. Et tertio si negat[4], cum necessario omnis praescitus sit[5] haereticus, et ille quem alloquor[6] non debet omnino negare simpliciter quod sit praescitus, ideo non debet negare simpliciter quod sit haereticus. Nemo enim debet sine obligatione negare verum, quod a justo Deo[7] aeternaliter ordinatur, cum beati[8] examinati a Deo concedendo oppositum negati, ad magistri optimi beneplacitum responderent; examinati autem[9] de talibus limitant ad haeresim de praesenti injustitia, qua sunt secundum notitiam suae conscientiae hodie irretiti. Et sic multi negant se esse haereticos, qui secundum veritatem, quam debent cognoscere, debent concedere illud[10] Deo, et corrigendo se ipsos de haeresi vel tacere vel dicere veritatem.

Caritas. *Caritas* autem est virtus maxime necessaria viatori, cum nemo potest venire ad patriam sine illa, eo quod est vestis nuptialis, propter cujus carentiam evangelium dicit positum in militante ecclesia excludendum in finali judicio et damnandum[11]. Consistit autem caritas in amore, quo Deus debite diligitur et tota sua fabrica, et sic stat in delectabili observantia mandatorum. Primo quod Deus diligatur ex toto corde, in[12] tota anima, et etiam tota mente; ex toto *corde*, ut correspondenter ad Deum *Patrem* homo diligat debite, quantum sufficit, super omnia Deum suum;

[1] dubitationem] dubietatem, A.B.C. ed. pr. [2] circa] citra, A.B.C. ed. pr. [3] est] eo est, A.B. secundae manus. [4] negat] neget, A.B.C. ed. pr. [5] sit] est, D. ed. pr, [6] alloquor] alloquitur, D. [7] Deo] Dei, ed. pr. [8] beati] bene, A.B.C. [9] autem] tamen, B.C.D. ed. pr. [10] concedere illud] concaedere istud, ed. pr. [11] cf. Matth. xxii. 11 sq. [12] in] ex, ed. pr.; cf. p. 132.

in[1] tota *anima*, correspondenter[2] ad Deum *Filium*, qui est forma vel vita, diligat in omnibus actibus, quantum sufficit, Deum suum. Et tertio quod diligat in tota *mente*, correspondenter ad *Spiritum* sanctum, de Dei servitio debite[3] et continue cogitando. Et nos miseri lapsi servamus satis exiliter hoc mandatum, licet sit primum et maximum. Secundum autem mandatum est simile priori, ut diligamus totam Dei fabricam et specialiter proximos ut nos ipsos, hoc est volendo illis bonum volitione effectuali, ut ipsos debemus in casu consimili nobis velle[4]. Et in isto consistit observatio omnium mandatorum secundae tabulae. Et in istis[5] 'duobus mandatis universa lex pendet et prophetae.' Et licet omnes fingimus, quod observamus mutuam caritatem, tamen facta et vita contraria ostendunt[6] oppositum; plus enim factis nostris quam nudis sermonibus debet credi.

Et incipiendo a tribus mandatis primae tabulae supponamus[7], quod idem sit Deum diligere et diligere legem suam; et patet hoc, quia idem est essentialiter[8] lex Dei et ipse Deus. Similiter Joh. xiv. dicit Veritas: 'Si quis diligit me[9]' etc.; et multa[10] sunt dicta similia in scriptura, ex quibus manifeste[11] convincitur, quod idem est Deum diligere et diligere legem suam. Isto autem supposito videamus, si legem Dei infinitum[12] magis diligimus quam legem creatam vel alias creaturas, quod convinci potest ex legis attentione[13], ex ejus observatione, et ex legis defensione. Nonne ignorando[14] et contemnendo legem Dei afficimur legibus hominum et aliis creaturis? Nonne plus diligimus illa[15] ad quae plus attendimus? Quis quaeso est, qui non magis appretiatur[16] suum commodum in scientiis lucrativis quam attentionem et observationem sedulam legis Dei, quod repugnat manifestissime caritati, cum apostolus ad hunc sensum dicat 1 Cor. xiii. quod 'caritas non quaerit quae sua sunt.' Videamus

Deum diligere et legem Dei diligere idem est.

[1] in] et, A.B.C. [2] correspondenter] ut correspondenter, ed. pr. [3] debite] debito continue, A B.C. [4] nobis velle] volendo, D. [5] istis] iis, ed. pr.; his, A.B.C. [6] ostendunt] ostendit, ed. pr. [7] supponamus] supponimus, A.B.C. [8] essentialiter] om. A.B.C. ed. pr. [9] diligit me] diligit me, mandata mea servabit, et qui non diligit me, sermones meos non servat, C.D. [10] multa] multa alia, ed. pr. [11] manifeste] om. A.B.C. ed. pr. [12] infinitum] infimam, ed. pr. [13] legis attentione] legis intentione D.; attentatione, ed. pr.; attentio legis i.e. animus ad legem Dei attentus. [14] ignorando] ignoscendo, B. [15] illa] alia, ed. pr. [16] appretiatur] appraetiat, A.B.C.

ergo, utrum viator magis sedule sollicitatur circa bonum proprium, quam circa observantiam legis Christi; et cum constat[1] oppositum, patet quod major pars hominum est expers caritatis propter defectum observantiae primi mandati et maximi: quod si homo sit[2] radicatus vel habituatus in ista perversa consuetudine, quis dubitat, quin sit haereticus propter pertinacem defectum in hujus legis attentione ac observatione? Et si *defensionem legis* in superioribus personis attendimus, quis dubitat, quin tam seculares homines quam praelati plus attendunt ad defensionem causae privatae quam ad defensionem publicam legis Christi? Aliter enim ex omnibus viribus suis destruerent causas, quae diminuunt[3] vel sunt contrariae isti legi; et tamen videmus tam praelatos quam seculares[4] dominos exaltare atque defendere leges et causas hominum, legem Domini postponendo, quia aliter non video, quomodo lex civilis vel causa hominum tantam executionem et diligentiam pateretur, nam ex leviori evidentia destruuntur quae perturbant leges ac[5] prosperitates hominum. Patet ergo in diligentiori legis humanae executione, quomodo praeponitur[6] legi Dei in sua defensione. Quomodo ergo sine ficticia dicit talis, quod diligit dominum[7] Deum suum ex toto corde etc.? Revera omnes vel plures religiosi privati sunt primi in ista praevaricatione in die Domini inexcusabiliter condemnandi, cum omnes quaerunt quae sua sunt, et pro causa propria[8] ordinis vel personae laborant[9] anxie usque ad mortem, et causam ac defensionem divinae legis praetermittunt. Ideo istae sectae privatae privant suos cultores communiter caritate. Christus tamen quia[10] voluit suae legis observantiam esse liberam et sic plus beatitudinis meritoriam, non dedit nobis pro statu legis gratiae poenam sensibilem pro praevaricatione legis peccatoribus infligendam, sed ex fide reliquit personam negligentem finaliter infinitum[11] gravius post diem judicii cruciandam. Quomodo ergo non istae tres virtutes, fides, spes, caritas hodie[12] sunt pro-

Auctor invehit in religiones privatas.

[1] constat] constet, ed. pr. [2] sit] sic radicatus vel habituatus est, ed. pr. [3] diminuunt] dirimunt, D. [4] seculares] civiles, B. primae manus, D. ed. pr. [5] ac] aut, A.B.C. ed. pr. [6] praeponitur] praeponuntur, B.; praeponderatur, D. ed. pr. [7] dominum] om. A.B.C. [8] propria] proprii, A.B.C. [9] vel personae laborant] laborant vel pro se, A.B.; vel pro se laborant, C.; laborant vel pro solutione, ed. pr. [10] quia] qui, ed. pr. [11] infinitum] infimum, ed. pr. [12] hodie] om. A.B.C.

scriptae? Nam pro timore poenae sensibilis statim praevaricatoribus legis hominum[1] infligendae, sunt ipsae leges diligentius observatae. Ideo fides, spes et caritas in legis Domini observantia sunt sopitae, cum nemo potest convincere ratione, quare duobus eligibilibus propositis homo unum prosequitur et aliud dimittit vel non ita sedule observat, nisi illud postpositum vel non amat penitus vel minus diligit[2]. Et sic est de mundum diligentibus sive carnem, quo ad Dei dilectionem; et sic istae tres virtutes theologicae refrigescunt. Quis quaeso in Scotia propter legis libertatem et privilegia regis Angliae non laetanter pateretur, si cum hoc foret securus, quod integer et vivax rediret in Angliam proportionabiliter ad punitionem a rege[3] Angliae praemiandus? talis inquam[4] gratanter reciperet tribulationes in Scotia pro spe praemii in Anglia consequendi. Et multo magis tribulatus in valle hujus miseriae, et transferendus ad locum patriae, stante fide, spe et caritate, certaret viriliter pro praemio beatitudinis consequendo, cum certi sumus ex fide, quod oportet nos a Scotia ista[5] recedere, et correspondenter[6] ad gratitudinem pro passione tribulationis coelestis Angliae perpetuo praemiari, vel pro ingratitudine perpetuo cruciari. Stantibus autem istis virtutibus, non subest aufugium excusandi; ideo certum est, quod sicut secundum philosophos tam virtutes morales quam vitia eis opposita sunt connexa, sic est de istis tribus virtutibus theologicis et suis oppositis sentiendum.

## CAP. IV.

### *De natura peccati.*

*Alithia.* Contentor, mi frater Phronesis, de ista sententia, et considero quod pauci viantes sunt istis[7] virtutibus decorati, quin potius, quamvis verbis superaddant mendacia, sunt tamen haeresi, apostasia et blasphemia[8] deturpati. Et quomodocunque fuerit

[1] praevaricatoribus legis hominum] praevaricantibus leges hominum, A.C.; praevaricantibus legis homini, ed. pr. [2] diligit] diligat, ed. pr. [3] a rege] regis, ed. pr. [4] inquam] itaque, A.B.C. [5] ista] om. ed. pr. [6] correspondenter] consequenter, A.B.; manus secundae, C. [7] istis] in istis, B.C.A. primae manus. [8] haeresi apostasia et blasphemia] haeresi apostasiaca et blasphemiaca, A.B. manus secundae, C.

de excusatione clamosa hominum quo ad tempus, oportet quod finaliter ad regulam judicentur. Sed unum breve dubium, super quo parum mussito, rogo[1] detegas mihi clare: constat quidem secundum philosophos, quod virtutes et vitia contrarie opponuntur; numquid ergo istis tribus[2] virtutibus theologicis est dare peccata contraria, quae, ut virtutes sunt prosequendae, sint etiam[3] proportionaliter detestanda?

Peccatum formaliter dictum.

*Phronesis.* Videtur mihi, quod peccatum dictum formaliter non sit virtuti contrarium, quia tunc foret creatura et res positiva, sicut sunt omnes habitus, qui sicut sunt qualitates sic sunt necessario creaturae, et ita non foret peccatum, nisi fuerit a Deo bono creatum et aeternaliter ordinatum, quod est contra fidem evangelii Johannis primo: 'Sine ipso factum est nihil.' Et videtur mihi ulterius, quod peccatum dictum formaliter non privative virtuti opponitur, quamvis inferat necessario privationem gratiae. Et ratio est ista[4], quia justum est et decretum a Deo, quod homo privetur Dei[5] gratia pro peccato, sed nullum peccatum dictum formaliter est justum aut decretum a Deo, ideo nullum peccatum dictum formaliter potest dici privatio, licet[6] privationem procedentem[7] ex Dei judicio antecedat[8]. Unde scrutando categorias *Aristotelis* non invenio quod peccatum, de quo scriptura loquitur, directe in aliquo decem generum continetur. Unde secundum *Augustinum* non habet causam efficientem sed deficientem, quia cum fides evangelii dicit[9] quod omnis homo, qui facit peccatum, servus est peccati, et apostolus meminit de 'lege peccati[10],' et sic de aliis positivis denominationibus quas oportet consequi ad peccatum. Ideo servata aequivocatione oportet descendere secundum sensus aequivocos, notando primo, quod peccatum nunc accipitur formaliter pro defectu, et ille defectus non est privatio sed ipsam praecedens, nec est vitium sed ipsum originans. Sed praeter peccatum dictum formaliter, quod nec est culpa nec reatus[11], peccatum aliquando accipitur pro hostia pro peccato, et isto modo Christus dicitur peccatum, ut patet

[1] rogo] rogo quod, A.B.C. ed. pr. [2] tribus] his tribus, ed. pr.; his veris, A.B.C. [3] etiam] e converso, A.B.C. ed. pr. [4] ista] om. A.B.C. [5] Dei] om. D. [6] licet] sed, B. primae manus, D. ed. pr. [7] procedentem] praecedentem, B. ed. pr. [8] antecedat] antecedit, D. ed. pr.; antecederit, B. [9] dicit] dicit, Joh. viii. A.B.C. ed. pr. [10] Rom. vii. 23. [11] nec reatus] nec est reatus, A.B.C.

2 Cor. v.[1], et in lege veteri sacerdotes dicuntur comedisse peccata populi; et quandoque accipitur peccatum pro subjecto peccante; et ultimo accipitur peccatum pro poena debita pro peccato. Et sic octo[2] modis peccatum accipitur[3] satis aequivoce. Deficere autem est verbum absolutum, et ideo competit peccato quod a subjecto suo exoritur et in subjecto suo finaliter terminatur. Vitium autem[4], privatio, poena, culpa et reatus distinguuntur a peccato formaliter intellecto. Et adhuc est penuria verborum qua dicimus quod peccatum sic 'formaliter' est acceptum, quia potius diceretur quod 'deformaliter[5],' si usus loquendi admitteret. Dicitur autem, quod multae sunt species peccati, accipiendo peccatum pro habitu vel forma positiva. Sed accipiendo ipsum pro deformitate vel defectu peccantis, sic non est per se vel per accidens in genere sed per reductionem, et ut dicitur communiter, in genere qualitatis, cum sit defectus gratiae, quae qualitas dicitur sicut virtus. Privationes autem, ut caecitas tenebra et similia sunt in cathalogo creaturae, ideo aliter peccata sunt per reductionem in genere, et aliter privationes hujusmodi. Verumtamen sicut peccatum dicitur ens ad sensum aequivocum, ita dicitur esse bonum, cum *Gregorius* vocat 'necessarium' Adae peccatum et 'culpam felicem,' cum occasione accepta per Dei gratiam multum prodest. Nec Deus posset peccatum sinere esse vel fieri, nisi per accidens multum proficeret, quia si peccatum est, tunc Deus punit illud, et per consequens ejus justa punitio multum prodest. Et ita dicitur Deus[6] velle peccatum quo ad esse suum secundum, quod est occasionaliter proficere. Peccatum tamen dicitur satis aequivoce habere esse *secundum*, quia illud est esse bonum quod consequitur ad deesse. Et ita quamvis tam Deus quam creatura velit peccatum sic esse et sic prodesse, non tamen est justum Deum velle hominem peccare[7], vel in hoc homini complacere, quia tales praedicationes dicunt esse primum peccati vel suum deficere. Poenae autem cum sint justae et inflictae a Deo, debent

Quo sensu peccatum dici possit bonum.

[1] 2 Corinth. v. 21. [2] octo] quattuor, B. primae manus, ed. pr. [3] accipitur] sumitur, B.C. ed. pr. [4] autem] ergo, B. primae manus, ed. pr. [5] deformaliter] difformiter, B.D.; difformiter alias deformabiliter, ed. pr. [6] Deus] Deum, A.B.C. ed. pr. [7] peccare] velle peccare, A.B.C.

esse volitae, et ipsum[1] diabolum oportet[2] velle suam damnationem, cum sit causa justa tantum mundum pulchrificans, etiam semet ipsum: cum secundum *Augustinum*, si remaneret aliquod peccatum impunitum, deturparetur universitas, non aeque primo secundum se totum, sed secundum partem peccantem. Ideo oportet concedere, quod poena inflicta ipsam partem pulchrificat, sicut est juste et pulchre punita a Deo et ordinata justissime[3] ita pati. Et ita si diabolus per impossibile esset positus in adoptione[4], quod peccatum suum maneat impunitum vel quod sic puniatur ad regulam, ipse debet secundum eligere, quod si non potest, tunc insolubiliter est damnatus. Multipliciter tamen dicitur poena peccati, ut aliqua est poena damni et alia poena sensus. Poena autem damni essentialiter consequitur ad peccatum, ut si creatura peccat Deo, de tanto est sibi deacceptata, cum Deus approbare non poterit, quod sic peccet. Nec Deus potest esse indifferens, cum sit omnipotens, et, ut dicunt philosophi, sibi[5] sit cura de omnibus; ideo relinquitur, quod eo ipso quod creatura Dei peccaverit, de tanto Deus eam deacceptat vel odit. Nec dubium quin illa deacceptatio vel odium est infinitum gravior poena, quam aliqua poena sensus, cum Christus passus fuit maximam poenam sensus, et propter malitiam poenae non poterit[6] pati hujusmodi poenam damni. Ideo positus in adoptione potius eligeret quamcunque poenam sensus infligendam, quam aliquam hujusmodi poenam damni, cum illi[7] non posset[8] inesse, nisi peccatum causaret ipsam; et peccatum est infinitum pejus quam aliqua creatura, cum Deus approbat tam poenam sensus quam poenam damni. Sed Deus approbare non poterit quod quis peccet, quia tunc homo deberet peccare et non peccare. Et ad communem instantiam, qua sit arguitur; 'verum est, quod Petrus peccat, et omne verum est a Deo cognitum atque volitum, ergo est a Deo volitum quod sic peccet,' dicitur, quod consequentia non valet, sed bene sequitur, quod illud peccatum est a Deo volitum, *de quanto* est a Deo volitum quod sit punitum et prosit ecclesiae; et illud vocatur 'esse secundum'

[1] et ipsum] et etiam ipsum, ed. pr. [2] ipsum diabolum oportet] ipse diabolus debet, D. [3] justissime] juste, A.B.C. [4] adoptione] adeptione, ed. pr.; i.e. si optio ei data esset. [5] sibi] cum sibi, A.B.C. ed. pr. [6] poterit] poterat, A.C. [7] illi] illa, A.B.C. ed. pr. [8] posset] potest, ed. pr.

peccati, quod Deus vertit in bonum. Unde quamvis Petrum peccare et peccatum Petri sit idem, tamen propter variationem significationis *conceditur*, quod peccatum Petri placet Deo, et *negatur*, quod placet Deo quod Petrus peccet vel Petrum peccare. Et ita conceditur, quod sicut peccatum debet puniri et multis proficere ad ejus detestationem, et consolari beatos[1] quod ex Dei gratia a tali miseria sunt salvati, ita etiam peccatum debet esse, quia quo ad istud 'esse secundum' quod est prodesse; et tamen ipsum peccatum non debet informare suum subjectum quo ad *esse* suum *primum*, quia tunc creatura deberet peccare. Et quo ad objectionem communem, captis omnibus necessitantibus[2] ad primum peccatum; 'si ista sunt, tunc creatura peccat, et istam consequentiam Deus vult esse bonam, cum aliter non posset esse sic necessaria, et Deus vult antecedens, cum non sapit peccatum, ergo vult consequens, et sic vult quod creatura peccet[3],' dicitur ut prius, quod Deus vult consequens, quod est primum peccatum, quia vult ipsum quo ad 'esse suum secundum[4],' et tamen non vult quod creatura peccet, quia licet magis[5] videatur probabile, quod sicut Deus approbat et necessitat ad peccatum, sic necessitat creaturam peccabilem ad peccandum, cum omnis causata necessitas[6] sit a Deo, et Deus facit misericorditer cum damnatis, et habent bonum esse, sic quod ipsis positis in adoptione esse vel non esse, cum esse sic[7] sit bonum, et sic esse suum naturale[8] foret eis utilius et eligibilius quam non esse, cum[9] non esse non potest habere rationem eligibilitatis. Ego autem non audeo adhuc sententiam istam asserere, vel ad peccandum hominem incitare praedicando, quod erit[10] Deo beneplacitum et ordinatum sibi pro praemio, quod sic peccet.

[1] beatos] bonos, A.B.C. ed. pr. [2] necessitantibus] necessitatibus, C.; instantibus, ed. pr. [3] peccet] peccat, A. [4] suum] om. A.B.C. [5] magis] magnis, ed. pr. [6] causata necessitas] causa necessitans, ed. pr. [7] vel non esse, cum esse sic] om. ed. pr. [8] et sic esse suum naturale] om. ed. pr. [9] cum] cum esse suum naturale sit bonum, et, ed. pr. [10] est] erit, A.B.C.

## CAP. V.

*De distinctione inter peccata mortalia et venialia.*

*Alithia.* Frater mi Phronesis, quamvis tractatus istius materiae posset placere scholasticis, qui desiderant per[1] sophisticationes evadere, et propter inanem gloriam alios capere in sermone, videtur tamen mihi, quod bonum est in istis sobrie sapere in mensura. Ideo optarem quod nos ad aliam materiam transferamus.

Quam ob causam expediat de vitiis et peccatis agere.

*Phronesis.* Delector modicum in ista materia, sed credo quod necesse sit mundo senescente et multiplicatis[2] falsis fratribus gloriantibus inaniter de sua vacua sophistria, quod aliquid dicatur acutius contra illos. Et iterum cum oppositorum eadem sit[3] disciplina, et quilibet fidelis qui debet delectari in sermone de virtutibus, debet ut sic delectari in tractatu de vitiis vel peccatis. Et iterum, quis fidelis dubitat, quin peccata sint detestanda et a catholico fugienda? Et constat, quod multi putant mala peccati[4] esse bona et laudabilia, nec peccata fugi poterint, nisi prius[5] cognoscantur, ideo sermo de peccatis est necessarius, cum fides scripturae ipsum explicat. Si ergo tractatus de infinito et vacuo fuerit necessarius philosopho naturali, non propter philosophiam directe fundatam in illis sed propter errores in illa scientia destruendos, quanto magis in moribus expedit tractare de vitiis vel peccatis, propter rectitudinem et honestatem in virtutibus conservandam. Ideo videtur mihi expediens de peccatis parum amplius pertractandum.

Quomodo distinguantur peccata mortalia et venialia.

Et *primo* de *distinctione inter peccatum mortale et veniale*, quae distinctio rotatur[6] communiter in ore vulgarium et praelatorum, qui melius sciunt pro peccatis pecuniam extorquere quam a culpis mundare, vel inter mortale et veniale (de quo frequenter balbutiunt) judicare. Quia autem iste terminus vulgaris non fundatur expresse in fide scripturae, quantum considero, ideo

[1] per] om. ed. pr., cum B. primae manus, D. [2] multiplicatis] multis, A.B.C. [3] sit] est, B. ed. pr. [4] peccati] peccata, ed. pr. [5] prius] praevie, B. primae manus, ed. pr. [6] rotatur] notatur B. primae manus.

videtur licitum limitare significationes illius, secundum quod magis convenit cum[1] scriptura. Potest autem *peccatum* dici *mortale*, quod dignum est morte secunda[2] puniri ex arbitrio Dei nostri. Et sic solum peccatum finalis impoenitentiae (quod est peccatum in Spiritum Sanctum) proprie est mortale; quodcunque autem aliud peccatum, cum sit dignum venia, potest dici rationabiliter *veniale*. Sed quia peccata actualia, quae extinguunt gratiam secundum praesentem justitiam, sunt nobis in limitibus suis incognita, ideo videtur quod debemus servare nos in limitibus nostrae notitiae, et non ultra quam noscimus superbire. Et patet ex isto, quod ignoramus quod peccatum sit veniale in nobis viantibus, et quod mortale; ideo debemus quodcunque peccatum fugere, cum generaliter cognoscimus peccati periculum, et ejus gravedinem ignoramus. Potest autem quodcunque peccatum dici ingratitudo peccantis, quia considerando gratitudinem Dei, contra quem solum peccatur, hoc est non peccatur contra alium nisi peccetur principaliter contra illum, potest fidelis considerare peccati gravedinem. Ipse enim fuit infinitum gratus homini, cum sua gratitudo non potest limitibus finitis mensurari; et cum in quantum gratitudo est major, ingratitudo peccantis contra illam est gravior, videtur quod omne peccatum habet rationem gravedinis infinitae. Similiter, ut loquar secundum politicos, in quantum *dominus*, contra quem peccatur, est *altior*, in tantum peccatum commissum contra illum est gravius[3]; sed Deus est infinitum magnus dominus, ergo peccatum contra illum commissum proportionaliter est grave. Similiter ut *malum* est plus *detestabile*, est proportionaliter magis malum, sed omne peccatum videtur esse infinitum detestabile, et per consequens ita malum; nam proportionaliter ut Deus est appetibilis, est peccatum fugibile, cum mutuo correspondent; sed Deus est infinitum appetibilis, ergo peccatum est infinitum fugibile et sic malum; non enim propter bonum finitum vel infinitum deberet[4] quis peccatum committere. Unde, ut loquar tanquam logicus hodiernus, pono, quod diabolus promittat homini sub conditione quod peccet, certum bonum, in prima parte proportionali illius horae, et

Ignoramus, quae peccata sint venialia, quae mortalia. Ideo omne peccatum fugiendum est. Omne enim peccatum est infinitae gravitatis.

[1] cum] in, ed. pr. [2] morte secunda] morte, secundum, ed. pr.
[3] gravius] proportionaliter grave, A.B.C. [4] deberet] debet, A.B.C.

in secunda parte[1] duplo majus bonum, et sic infinitum; et credat ille homo, quod[2] sub conditione quod[3] peccet, habebit certitudinaliter illud bonum; et tunc probatur, quod propter nullum tale bonum promissum quantumcunque leviter debet peccare, quia si peccare debeat, peccet propter bonum hujusmodi; et patet ex casu, quod[2] facit ut debet, et nemo peccat in faciendo ut debet, ergo homo datus non ut sic peccat; consequens contra datum. Ideo certum est, quod propter nullum bonum, etiam propter Deum, quantumcunque leviter est peccandum. Ideo Deus non potest praecipere ut quis peccet; imo si per impossibile[4] Deus praecepit[5] homini ad peccandum, homo non deberet in hoc obedire Deo, cum ageret laudabiliter a vita culpabili se servando. Ex istis patet, quod peccatum habet rationem infiniti et vacui. Et ex istis concludunt logici, quod peccatum est ita malum sicut Deus est bonus, quia infinitum malum, et non magis bonus est Deus quam infinitum bonus. Et iterum positus in adoptione, etiam ut sit[6] Deus, peccatum non committeret propter illud, ideo quam bonum est esse Deum, tam malum est hominem peccare. Et ex isto videtur *Anshelmus* dicere, quod propter infinitos mundos salvandos non committeret homo vel leve mendacium, quia propter nullum bonum debet homo peccare, omne mendacium est peccatum, ergo propter nullum bonum debet homo mentiri[7], et sic[8] non propter infinitos mundos salvandos.

*Pseustis*. Quamvis tibi videatur probabilitas in ista logica, tamen non potes evadere contraria argumenta. Si enim omne peccatum sit infinitum grave, et nullum infinitum est majus reliquo, nullum peccatum[9] foret gravius quam quodcunque. Similiter si omne peccatum sit[10] ita malum sicut Deus est bonus, omne peccatum est irremissibile, et per consequens, cum omnes[11] peccamus, nullus nostrum salvabitur; sed nunquam tua stultitia faciet[12] ecclesiam desperare. Similiter pari evidentia, qua peccatum est aeque malum sicut Deus est bonus, foret aliquid[13] aeque magnum, sicut aliquid[13] est parvum, cum major sit simili-

[1] parte] om. A.B.C. [2] quod] om. ed. pr. [3] quod] si, ins. ed. pr. [4] per impossibile] impossibile, om. *per*, ed. pr. [5] praecepit] praeciperet, A.B.C. ed. pr. [6] ut sit] ut sic, ed. pr. [7] ergo—mentiri] om. A.B.C. ed. pr. [8] et sic] etc. ed. pr. [9] peccatum] om. A. [10] sit] est, A.B.C. [11] omnes] omnes nos, ed. pr. [12] faciet] facit, ed. pr. [13] aliquid] aliud, ed. pr.

tudo inter magnum et parvum quam inter bonum et malum. Sed da, si audes[1], quod tu[2] sis ita magnus ut parvus, et non effugies[3], quin per idem quaelibet pars quantitativa tui sit aeque magna sicut parva, et cum infinitum parva sit aliqua pars quantitativa tui, sequitur, quod proportionaliter erit magna; et sic omne magnum est infinitum parvum, et omne parvum est infinitum magnum, quod certissimis demonstrationibus geometricis et veritatibus per se notis vulgaribus contradicit.

## CAP. VI.

### *De causa gravitatis peccatorum.*

*Phronesis.* Video[4], quod in materia logica multum captiosa[5] es pronus arguere, cum huc usque in materia solida latebas ut anguis, sed Deus resistet[6] tollendo faciliter argutias tuas sophisticas. Non enim video, quomodo omne peccatum vel aliquid sit infinitum grave, quia tunc infinitum gravi poena foret ex Dei justitia puniendum, quod est impossibile, cum nulla creatura potest infinitum gravem poenam subire[7]. Videtur tamen mihi quod omne peccatum potest dici quodammodo infinitum, non quo ad molem vel virtutem, cum nulla talis quantitas sibi inest, nec quo ad gravedinem, cum nullum peccatum sit a Deo puniendum. Sed peccatum dicitur infinitum quodammodo privative, hoc est[8] peccatum caret fine laudabili, gratia cujus deberet[9] fieri. Nihil enim in mundo habet finem hujusmodi, nisi debeat[10] fieri gratia Dei finientis quodcunque opus laudabile creaturae. Sed nec homo debet peccare nec peccandum est finaliter propter Deum. Concedo tamen, quod bonum inexistens peccato est finaliter propter Deum, sed 'primum esse' peccati deficit, ideo non est finaliter propter Deum; et patet in parte solutio ad tuam primam instantiam.

**Omne peccatum dici potest infinitum sensu privativo, quia caret fine laudabili, cujus causa committi debeat.**

Ad *secundam* dicitur, quod petendo falsum assumis, cum non

[1] audes] audeas, A.B.C. [2] tu] om. A.B. secundae manus, C. [3] effugies] fugies, C.; fingis, ed. pr.; finges, D. [4] video] audio, A.B. secundae manus. [5] captiosa] captiose, ed. pr. [6] resistet] resistit, A.B.C. ed. pr. [7] subire] sustinere, A.B. secundae manus, C. primae manus. [8] est] est, quod, A.B.C. [9] deberet] debet, A. [10] nisi debeat] nisi deberet, ed. pr.; quin debeat, A.B.

potest esse proportio aequalitatis inter bonitatem Dei et malitiam peccati, cum illa non possunt taliter comparari. Hoc tamen bene[1] concluditur et debet concedi, quod ad remissionem vel deletionem peccati requiritur potentia infinita, quia impossibile est aliquem peccare nisi[2] peccet principaliter contra Deum; et per consequens oportet illum magnum dominum primo remittere, si rationabiliter debet tolli, et ipse Deus est potentiae infinitae, ergo conclusio vera[3]. Nam remittente Deo peccatum quilibet servus suus non potest illi remissioni[4] simpliciter resilire. Et sic non intendo homines movere ad diabolice[5] desperandum, sed potius ex infinitate misericordiae Dei, ex dolore et satisfactione peccati, in Deo confidere et sperare.

Ad *tertiam instantiam* tollebam[6] eam diffuse, quando fui logicus, et nunc tollo eandem[7] concedens, quod sicut nullum peccatum est ita malum sicut Deus est bonus, sic nihil est ita magnum sicut ipsum est parvum vel e contra; et sic de aliis privative oppositis, quia proportio aequalitatis requirit convenientiam generis in rebus comparatis; sed magnitudo et parvitas non sic concordant in genere; concedo tamen, quod talia possunt analogice comparari, ut tam magnitudo quam parvitas causatur a Deo, et principalius magnitudo quam parvitas, cum Deus non adeo appreciatur vel diligit parvitatem. In istis tamen comparationibus non est rationabilis proportio expetenda, et tollitur tua[8] tertia instantia. Sed adhuc mussitas, penes quid attendi debeat gravitas peccati, cum peccatum (ut ante dixi) sit ratione magnitudinis domini infinitum. Hic tamen respondeo tibi concedendo, quod peccatum quodlibet est ad sensum expositum infinitum, etiam ratione magnitudinis potentiae Dei[9], cum[10] si deleri debeat, requiritur potentia infinita. Peccatum autem est eo gravius, quo poena pro ipso debita foret major, quod est solius Dei distincte[11] cognoscere. Scimus tamen, quod omne peccatum finalis impoenitentiae est puniendum poena perpetua, sed non infinita intensive, et sic peccatum praedestinati

[1] bene] om. A.B.C. [2] nisi] nec, ed. pr. [3] vera] om. ed. pr. [4] illi remissioni] a remissione, C. secundae manus, ed. pr. [5] diabolice] om. B. secundae, C. primae manus. [6] tollebam] tolerandam tractavi, A.B. [7] eandem] om. D. ed. pr. [8] tua] om. A.C. primae, B. secundae manus. [9] Dei] domini, ed. pr. [10] cum] om. ed. pr. [11] distincte] om. ed. pr.

Peccata praedestinatorum et praescitorum summopere differunt.

horale[1] et peccatum horale praesciti sunt infinitum dispariter punienda, cum primum, etsi videatur gravius quo ad genus, et secundum, licet videatur[2] levius quo ad genus, habent tamen[3] convenientias[4] dispares a suis finibus limitatas. Unde non intelligas sic erronee, quod una pars quantitativa peccati[5] praesciti sit poena propria[6] punienda et alia poena propria, vel intensive vel temporaliter mensurando, sed omnia peccata praesciti simul sunt una poena perpetua punienda. Et sic peccatum *Saulis* fuit infinitum gravius quo ad poenam, quam peccatum *David*, licet videatur *David* contra *Uriam* plus proditorie et gravius peccavisse, cum peccato David adjuncta fuit[7] poenitentia[8] quae defuit in *Saule*. Et sic taxantes peccatorum gravedinem secundum quantitatem pecuniae[9] spoliandae, ignorant voces proprias, cum nemo nisi forte certificatus per revelationem cognoscat, si peccatum ex Dei gratia et satisfactione debita remittetur. Et sic de peccatis praeteritis peccatorum superstitum, sicut ignoramus fines, sic eorum gravedines et poenas rationabiliter injungendas. Possumus tamen injungere poenitentias vel poenas occasioni[10] peccati oppositas, et a peccatis hujusmodi distractivas. Quanta autem debet esse poena in gravedine vel temporis quantitate, ignorat etiam papa. Ideo, ut dicam inferius, omnis peccator superstes debet de misericordia Dei confidere, et deletionem sui criminis sperare, et sic quantum sufficit a peccato desistere et bonum facere, juxta illud psalmi[11]: 'Declina a malo et fac bonum;' talis[12] enim desiderat in patria videre dies bonos[13]. Et patet quod proportiones dimissionis[14] poenarum, secundum tertiam partem, quartam et sic de aliis, sunt fabulae haeretici idiotae. Non tamen videtur mihi, quod aliquod peccatum dictum mortale in homine fructuose finaliter poenitente sit dignum poena perpetua, quia, si[15] Deus decrevit remittere, non est taliter[16] puniendum, et dignum est, quod omniquaque stat suum judicium. Nec placet mihi concedere, quod hoc peccatum sit

[1] horale] annuale, C. secundae manus, ed. pr. [2] videatur] om. A.B.C. [3] tamen] om. D. ed. pr. [4] convenientias] concomitantias, D. ed. pr. [5] peccati] om. B.C. ed. pr. [6] propria] perpetua, B. primae manus, ed. pr. [7] fuit] sit, A.B.C. [8] poenitentia] poena, A.B.C. [9] pecuniae] poenitentiae, ed. pr. [10] vel poenas occasioni] occasione, A.B.C. [11] cf. Ps. xxxiv. 15. [12] talis] tunc, D. ed. pr. [13] cf. Ps. xxxiv. 13. [14] dimissionis] divisionis, B.C.D. ed. pr. [15] si] quod, ed. pr. [16] taliter] aliter, B. ed. pr.

dignum poena perpetua, et tamen est[1] dignum quod solum temporaliter puniatur, ita quod sit dignitas ad contradictoria, quia sic tolleretur divina justitia. Nec sequitur, istud peccatum est dignum puniri perpetuo, imo de facto sic punietur nisi assit divina misericordia, ergo est dignum ut taliter puniatur, vel ipsum est dignum sic puniri; quia sic omne peccatum quantumcunque foret veniale dignum infinitum graviter puniri, et quia, nisi assit Dei misericordia, taliter punietur. Ideo ista communis distinctio, quod aliqua est dignitas vel peccati gravitas aut meritorum dignitas *secundum praesentem justitiam*, et aliqua *simpliciter*, capit calumniam; cum sequitur, si ista est[2] dignitas secundum praesentem justitiam, ergo modo est dignum et justum ut apud summum judicem ita fiat, et per consequens non est dignum aut justum, quod contradictorium suum adveniat, quia tunc contradictio foret vera. Concedi tamen debet, quod multi praesciti sunt in gratia secundum praesentem justitiam, et multi praedestinati peccant graviter secundum praesentem injustitiam; praesciti tamen nunquam sunt in gratia finalis perseverantiae, sicut nec praedestinati sunt finaliter obstinati. Et in ista materia oportet recolere, quomodo Deus, ad cujus dilectionem vel odium taxatur poena vel praemium, neminem potest noviter diligere vel odisse; per hoc enim cognoscitur, quod praescitus infinitum[3] gravius peccat quam praedestinatus, nec sunt partes[4] in gratia, vel peccato.

## CAP. VII.

### *De gratia praedestinationis.*

*Alithia.* Videtur mihi, frater Phronesis, quod ista sententia sit insolita et profunda. Sed rogo dic parum amplius, si[5] peccata redeunt, ut in ista materia quidam dicunt, et in quo differunt gratia praedestinationis et gratia secundum praesentem justitiam.

*Phronesis.* In prima materia dicitur, quod ad[6] notitiam

[1] est] non, A.C. secundae manus, D. [2] est] sit, A.B.C. ed. pr.
[3] infinitum] om. D. [4] partes] pares, A.B.C. [5] si] quomodo, A.B.C.
[6] ad] apud, ed. pr.

hujus[1] dubii requiritur scire, penes quid capi debeat individuatio peccatorum. Et videtur, quod peccata, sicut formae positivae, individuari debeant ab efficiente, a tempore, et a subjecto. *Efficiens* est diabolus vel causa creata objectiva, ex qua peccans occasionem sinistre accipit ad peccandum. *Tempus* autem est mensura temporanea, in qua quis incipit peccare aut peccatum continuat plus vel minus. *Subjectum* autem peccati est creatura sic peccans. Sed alio modo individuatio peccati capitur communius a forma quae efficit, et a subjecto, licet tempus sit aliud. Et tunc dicitur, quod in praescitis omnia peccata redeunt quae peccaverunt. Imo quicunque reiteraverit idem peccatum in specie, licet peccatum iterum sit deletum contritione[2], idem peccatum dicitur redire et homo in ipsum incidere vel recidivare, ut[3] peccatum sit idem formaliter in subjecto; et sic punietur recidivans pro peccato praeterito, cum ipsum dat occasionem, ut in peccatum posterius incidatur. Nota tamen quod *habitus* vitiosus peccati distinguitur ab actu, cum remaneat actu temporaliter pereunte; et defectus distinguitur ab habitu, cum non assistente tali habitu vitioso, remaneat defectus justitiae. Ideo saepe dicitur peccata redire, cum nunquam defecerant sed continue assistebant, ut patet in personis non contritis sed in voluntate peccandi permanentibus. Unde dolor imperfectus hominis de peccato vocatur *attritio*, et dolor perfectus dicitur *contritio*, quae dicitur solum tunc inesse quando tantum disponit hominem ad bonum virtutis, quantum peccatum prius indisposuit ad malum vitii, quod sicut solius Dei est concedere, sic solius Dei est perfecte cognoscere. Petrus autem ex negatione Christi fuit contritione dispositior, humilior atque solidior ad cavendum peccata, quam fuisset ceteris paribus, si non in illam blasphemiam incidisset. Ideo dicit *Augustinus*, quod multis hominibus prodest per accidens, in multa peccata enormia incidisse. Et videtur quod praescitus, licet videatur contritus, deficit tamen[4] communiter a contritione et per consequens a peccati commissi deletione, licet propositum et actus peccati sui ad tempus deficiant. Defectus enim, quo praescitus in comparatione ad contritum, in[5]

In praescitis omnia peccata redeunt.

[1] hujus] illius, A.B.C. ed. pr. [2] contritione] compunctione, A. primae, B. secundae manus. [3] ut] cum, ed. pr. [4] tamen] om. D. [5] in] a, D.

dispositione deficit, est peccatum remanens perpetuo in praescito; et ideo[1] justum est, quod illud peccatum perpetuo puniatur, cum aliter remaneret peccatum aliquod impunitum. Ideo blasphemantes in Deum de nimis levi pronunciant, quod repugnat divinae misericordiae atque justitiae, quod quis pro peccato momentaneo perpetuo puniatur; non enim distinguunt inter actum et vitium, et omnino non inter vitium et defectum; non enim considerant, quod talis perpetuo deficit ab ordine, quo servire debet perpetuo Deo suo. Sicut enim ab illo deficit, sic necesse est quod poena essentiali perpetuo puniatur; nec dubium, quin poena accidentalis[2] ex hoc consequitur, cum habet dolorem vel displicentiam, quod tam negligenter peccaverat. Et patet, quod praelati concedentes indulgentias communiter blasphemant in Dei sapientiam, quia stulte et cupide praetendunt se noscere materiam, quam ignorant.

Quantum ad *secundum dubium*, patet, quod nimis multa schola theologorum intelligunt[3] de gratia, quod[4] sit una spiritualis qualitas quae poterit per se esse. Sed illis confidenter denuntio, quod non fundabunt talem gratiam, sed praeter illam, si ponatur[5], oportet dare acceptationem divinam, sine qua talis ficta gratia non valeret[6]; et cum illa acceptatio[7] sine tali ficta priori sufficiat, videtur onerosum et blasphemum talem gratiam sic false fingere. Ex parte autem Dei est acceptantia, quae potest etiam dici gratia, et ex parte creaturae est passiva acceptatio, et sic quidam intelligunt illud Johannis i., 'De plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratia.' Nam acceptantia divina[8] et specialiter[9] in humanitate Christi nos omnes praedestinati accepimus gratiam, qua sumus finaliter grati Deo.

Gratia praedestinationis sive perseverantiae finalis excidere nequit.

Et videtur mihi, quod gratia ista, quae dicitur praedestinationis vel caritas[10] finalis perseverantiae non potest a quocunque[11] excidere, quia si excidit, non est illa gratia[12]. Gratia[13] ergo[14] praecise secundum praesentem justitiam est acceptatio, qua

[1] et ideo] ideo, ed. pr. [2] accidentalis] actualis, ed. pr. [3] intelligunt] intelligit, D. ed. pr. [4] quod] qui dicunt, quod, B., A.C. primae manus. [5] ponatur] ponitur, D. [6] valeret] valet, ed. pr. [7] acceptatio] acceptatio divina, D, ed. pr. [8] acceptantia divina] per acceptantiam divinam, A.C.; per acceptationem div., B.; pro acceptantia div., ed. pr. [9] specialiter] spiritualiter, ed. pr. [10] caritas] caritatis, A.B.C. [11] quocunque] quoquam, ed. pr.; om. B. [12] gratia] om. D. ed. pr. [13] Gratia] om. B. [14] ergo] autem, ed. pr.

Deus acceptat hominem, non ad poenam perpetuam, ut praesciti quandoque vivunt talem vitam, quod Deus illam vitam non imputat ad damnationem perpetuam, et talis gratia manebit in Deo perpetuo, et in homine solum modo quo ad tempus, cum sit illum hominem sic esse in vita dispositum, ut Deus eam non imputet ad damnationem, quod manet[1] per tempus nimis modicum in praescito. Et talem gratiam subjectivam[2] in anima dicitur Deus infundere, et sic de multis aliis locutionibus, ratione quarum necessitati sunt multi ignari[3] in errores multos incidere. Ista autem dispositio cum sit propinqua amicitiae, dicitur ad aliquid, et cum potest[4] rationabiliter dici qualitas ut virtutes, quamvis secundum *Aristotelem* dicantur[5] in homine relative. Dispositio enim talis gratiosa habet rationem aliquam qualitatis. Et patet, quod sicut praedestinatus non potest a caritate tali vel gratia excidere, sic praescitus non potest in illa caritate vel gratia perpetuo perdurare, quia si oppositum contigerit[6], non est illa. Et patet vanitas[7] nostrorum loquentium, qui ponunt, quod gratia talis datur homini non de necessitate absoluta, si ipse[8] salvabitur, sed datur de congruo, ut facilitet hominem ad merendum. Totum quidem hoc est falsum et stultius quam error *Pelagii*. Et conformiter despiciuntur casus impossibiles, quibus ponitur, quod gratia finalis perseverantiae servetur ex Dei omnipotentia in praescito vel damnato etiam usque ad diem judicii, vel quod maneat ac[9] in lapide informans ipsum, vel quod ejus informatio in homine disposito ad gratiam suspendatur. Et sic de infinitis aliis fictionibus frivolis, quibus error de eucharistia[10], profundatus in aliis materiis, nocet scholae. Nec memini aliquos de sanctis doctoribus ante tempus, quo diabolus est solutus, sic loqui de gratia; sed error de eucharistia[11] post solutionem Satanae plures in haereses alias captivavit. Ad tantum enim balbutiunt illi grossi Simoniaci, quod putant emi vel vendi gratiam, sicut bos vel asinus posset emi; et sic mercantur cum emptione veniae et

Doctrina de gratia data de congruo impugnatur.

[1] manet] maneat, D. [2] subjectivam] subjectatam, A.B.C. ed. pr. [3] ignari] ignorari, ed. pr. [4] cum potest] potest, A.B.C. [5] dicantur] om. D. [6] contigerit] contingerit, A.C. [7] vanitas] quod vanitas, ed. pr. [8] ipse] pene, ed. pr. [9] ac] ac si? conj.—om. A.B.C. ed. pr. [10] eucharistia] omnes codices manuscripti constanter habent: eukaristia. [11] error de eucharistia] error eucharistiae, ed. pr.

deletione peccati, cum diabolus utitur errore scholastico[1] ad haereses in moribus inducendas[2]. Et sic seducitur schola hodie circa casus, in quibus ponitur quod Deus inducat gratiam successive, et successive educat peccatum, sic quod gratia et peccatum pro instanti aliquo coaequentur. Gratia enim praedestinationis et[3] finalis reprobatio non possunt inesse homini, nisi plene infuerint pro instanti, cum non possunt habere partes hujusmodi, nec gratia[4] secundum praesentem justitiam, nec peccata secundum praesentem injustitiam[5] possunt inesse homini, nisi plene infuerint et subito pro instanti. Ideo cum circa possibilia debet esse doctrina, ad quid facit diabolus suos discipulos circa impossibilia evagari?

## CAP. VIII.

*Num mala necessario fiant.*

*Pseustis.* In omnibus istis considero, quod fingendo infundabiliter conceptum proprium extraneas a modernis et ad tantum dilaberis, quod ponis, nullum praescitum Deum posse salvare. Sed quae major haeresis?

*Phronesis.* In ista materia utor terminis sicut usi sunt doctores antiqui moti ex rationibus et scriptura. Moderni autem qui baptisant terminos secundum sua arbitria, vix fundantur in illo syllogismo topico, qui multos decipit, 'curia Romana vel doctores, quos approbat[6], sic loquuntur, ergo verum;' sed revera non magis sequitur quam, 'si diaconus est comptus, tunc est luxuriosus;' cum praedicti homines infundabiliter multa fingunt. Ideo oporteret attendere ad fundationis radicem, et inventa illa ut[7] necessario stabili fundamento, evidentias topicas, quales decipiunt nimis multos, relinquere et in fundamento necessario ac sequela indubitabili expectare. Sed quo ad lapsum meum de necessario, recolo me dixisse[8] in libro primo, quod omnia quae eveniunt[9], necessario absolute eveniunt[9]. Et sic Deus non potest

[1] scholastico] simoniaco, B. secundae manus. [2] inducendas] inducendos, ed. pr. [3] et] sicut, ed. pr. [4] nec gratia] nisi gratia, ed. pr.; gratiam, A.B.C.D. [5] injustitiam] justitiam, ed. pr. [6] approbat] approbaverat, ed. pr. [7] ut] om. ed. pr. [8] me dixisse] quod dixi, D. [9] eveniunt] evenient, A.B.C. ed. pr.

quidquam producere vel intelligere nisi quod de facto intelligit et producit. Sed quia quondam defendi constanter hujus oppositum, nec claret mihi adhuc demonstratio quae hoc probat, ideo utor communiter hac cautela, proposito mihi tanquam possibili uno, quod non[1] est de facto, suppono hoc tanquam possibile, si Deus voluerit; sed quia non scio[2], quod Deus determinavit oppositum, et scio quod multa sunt de facto, quorum dubia et sententias ignoramus, ideo ne evagemur superflue in incerto, vellem quod tractaremus de veritate possibili quae est de facto, cum multas tales culpabiliter ignoramus. Veritas enim magis fructuosa deberet primo cognosci, et specialiter dubito, utrum unum[3] fictum sit possibile, vel Deus determinavit oppositum; ideo expecto rationem in talibus, qua probaretur hoc esse possibile sive verum.

*Pseustis.* Considero, quod ad[4] tollendum difficultates communes, multa media subdola machinaris; sed tua propria sententia te damnabit, cum dicis ex habundanti cautela te supponere ita esse; nihil autem est supponendum nisi possibile, et illo[5] possibili posito et admisso, stat difficultas integra sicut primo.

*Phronesis.* Non laboro circa ablationem communium difficultatum atque utilium, sed vellem libenter abbreviare[6] vagationem infructuosam, et eligere difficultates plus utiles ad tractandum. Et hoc debemus facere, ut clare sequitur ex principiis per se notis. Nec dixi, quod[7] hoc debet supponi tanquam possibile et admitti, sed dixi quod hoc debet supponi esse possibile, si Deo placuerit, cujus probatione habita, volo illud admittere, et postmodum procedere in arte obligatoria, in qua gaudes. Sed aestimo, quod nescis probare hoc esse a Deo volibile et sic possibile. Et si fingis, quod sophista in arte obligatoria scit hoc defendere tanquam possibile, dicitur, quod omnes tales argutiae sunt frivolae, ac si sophista de evidentia desperaret. Sic enim posset capi, quod homo est asinus vel quodcunque per se notum impossibile, et assumi[8] posterius, quod in arte

[1] non] om. B. secundae manus, C. primae. [2] non scio] nescio, A.C. [3] unum] om. D. [4] ad] om. ed. pr. [5] illo] illi, ed. pr. [6] abbreviare] alienare, D. [7] quod] quod hoc dixi, quod, ed. pr. cum B. primae manus. [8] et assumi] cum assumis, A.B.C. primae manus.

obligatoria sophista posset hoc faciliter defendere contra rationes cujuscunque moderni[1] in oppositum faciendas, quia si non, sit unus contentiosus juvenis theologus sicut frater, et admittat possibilitatem incarnationis asini de Dei potentia, stante incarnatione hominis, et videamus quas evidentias ponderabit; et sic est de omni nominabili, etiam usque ad contradictionem, quam garrulus dicit se scire defendere. Et captato tempore superflue ad hoc improbandum evagabitur sophista in altercatione garrula, et tempus utrobique[2] inutiliter expendetur.

*Pseustis.* Probo tibi per deductionem ad inconveniens, quod fundamentum tuum sit impossibile, quia tunc sequeretur, quod in quodcunque potest Deus, potest etiam creatura, cum potentia Dei terminatur finito maximo in quod potest, et nedum nemo potest melius facere quam facit[3] de facto. Sed nec Deus potest salvare hominem vel juvare, nisi de facto sic erit. Sed quid stultius? Cum *Aristoteles*[4] dicat esse possibile, pannum lacerari vel caput hominis frangi, quamvis non necessario ita erit. Quia aliter posset vitiosus prorumpere faciendo quidquid voluerit, dicendo in fine, ut tu dogmatisas, quod non posset[5] se a tali opere continere. Et si tu dicis, quod hoc male fiebat, vitiosus se excusat dicendo, ut[6] capit ex tuo responso, quod Deus non possit esse, nisi hoc malum eveniat; et cessat omnis positio vel depositio in arte obligatoria usitata.

*Phronesis.* Scio, quod sophistae theologi isti sententiae contradicent, sed vellem videre evidentiam ad istud efficaciter improbandum. Nam quando tu primo assumis, quod sequitur ex isto, et Deum[7] et creaturam in potentia coaequari, patet quod falsum assumis, nisi forte sophisticando et aequivocando Christum Deum et hominem vocaveris creaturam. Nam Deus potest Verbum et Spiritum Sanctum ad intra producere. Sed quae pure creatura[8] potest in tantum? Deus etiam producit universitatem creatam, sed quid potest se ipsum producere? Deus etiam producit animas, gratias et tempora, sed quae pure[9] creatura

[1] moderni] om. D. [2] utrobique] utrolibet, D. [3] facit] fecit, A.B. secundae manus, C. [4] Aristoteles] primo Periher. Arist. ed. pr. [5] posset] possit, A.B.C. ed. pr. [6] ut] quod, D. ed. pr. [7] et Deum] Deum, D. ed. pr. [8] pure creatura] creatura pura, A.B.C. [9] pure] pura, A.B. secundae manus, C.

potest in ista? Ideo prima tua instantia satis faciliter tollitur a sophista, et sic potentia divina terminatur in maximo *infinito*, in quod potest. Potentia autem creata terminatur *finito* maximo, in quod potest. Et quantum ad *secundam* tuam *instantiam*, potest dici probabiliter, quod sicut Deus non potest mundum meliorem facere, sicut tu superflue evagaris, sic nemo posset melius facere quam facit, posset tamen si Deus voluerit. Nam si melius facit quam facit, tunc potentia sua extendit se ad contradictoria[1], in quae Deus non potest. Nec appretior tuas distinctiones fictas de sensu composito et diviso, et sic de salvatione hominis per Deum, scilicet, quod Deus non potest salvare hominem, nisi de facto salvabitur. Nec sequitur ex isto, quod Deus sit impotens, potius quam sequitur ex hoc, quod non potest se ipsum destruere. Nec sequitur ex isto[2], quod omnes orationes superfluunt, sed bene est verum et sequens, quod multae orationes privatae et speciales sunt superfluae et communiter stulte factae, quia tales orationes debent per conditionem exprimi vel saltem subintelligi, 'rogo Deum quod sic faciat, si sibi placuerit.' Unde in facetia[3] humana fratres quo ad suos socios miseros exprimunt ista verba. Ad *tertiam* tuam instantiam bene concipio, quod ex ista sententia mali possent occasionem accipere, ut ex inde perpetrent multa mala, et si[4] possunt de[5] facto faciunt. Sed qui sunt illi, est nobis ignotum[6], sicut est mihi incognitum, utrum aliquis franget necessario caput meum, et dicet in fine per excusationem suam crassam, cum necessarium fuit ipsum sic facere, non potuit resilire. Sed ego dicerem sibi, quod propter tale factum irrationabile necessario est culpandus. Et quantum ad cessationem positionis et depositionis in arte obligatoria, donato[7] mihi istam injuriam, cum ista in altercatione tempus communiter expenditur superflue et inaniter, ut patet[8]. Unde nisi fortiores rationes habueris, stabo tacite in mea sententia confirmatus.

[1] contradictoria] contradictionem, D. [2] ex isto] om. D. ed. pr. [3] facetia] libri manu scripti habent: facesia. [4] si] sic, A.B.C. [5] de] et, A.B. [6] ignotum] incognitum, A.B.C. ed. pr. [7] donato] donate, A.B.C. ed. pr. [8] patet] oportet, C. secundae manus, D., ed. pr.

## CAP IX.

*De septem peccatis capitalibus.*

*Alithia.* Rogo te, mi frater Phronesis, continere[1] te de cetero ab ista materia; et si volueris per ordinem ad tractandum de septem peccatis capitalibus procedamus, et ex qua radice in tanto numero et ordine sunt ponenda.

*Phronesis.* Tractatus istius articuli confundebat plurimos sapientes, et vivacitas rationis plus sciolos consternebat[2], ut dominus *Ardmachanus*[3] dicit, se pro solutione illius evidentiae viginti annis studuisse vicissim, si Christus prophetavit vel asseruit hoc esse venturum, hoc est vel fuit vel erit; sed antecedens est necessarium, ergo consequens. Non enim subjacet hominis potestati vel potestati creaturae, quin Christus talia multa asseruit; nec assertio, credulitas, vel electio actus animae Christi per accidens est hujusmodi; ideo sicut necessario Christus illud asseruit, ita necessario illud eveniet, evĕnit[4], vel evēnit. Nec scit iste doctor istam rationem in fine evadere nisi concedendo, quod Christus errasse potuit et ecclesiam decepisse; sed quis catholicus ista dicet? Item si Deus determinavit hoc fore vel non fore[5], ita erit, extendamus tempus, et sic patet consequentia. Sed quocunque futuro signato ante mundi constitutionem Deus determinavit hoc fore vel non fore[6], ergo hoc erit, quanta ergo est necessitas in antecedente, tanta erit[7] necessitas in veritate[8] consequente. Quis, rogo, potest[9] facere vel impedire, quin Deus determinavit hoc ante mundi constitutionem? Numquid creatura potest impedire Dei determinationem[10]? Et ut sophistae concedunt, veritatem aeternam procedentem ex Dei proposito facere quod non erit, ac si ab illis procederet[11] divinum propositum et veritas aeterna, quam Deus ipse per se solum

[1] continere] contine, A.B. primae manus, C. [2] consternebat] consternabat, D. [3] Ardmachanus] Armokanus, B. ed. pr. i.e. Richardus Fitz-Ralph, archiepiscopus provinciae Armacanae in Hibernia. [4] evĕnit] om. B. primae manus, ed. pr. [5] vel non fore] om. ed. pr. [6] vel non fore] om. D. ed. pr. [7] erit] est, D. ed. pr. [8] veritate] veritatis, B.C. ed. pr. [9] potest] poterit, ed. pr. [10] determinationem] terminationem, A. [11] procederet] penderet, C., B. primae manus, ed. pr.

complete causavit. Item misera creatura habet potestatem opus suum futurum proponere, et subductis impedimentis, consideratione erroris et variatione voluntatis et temporis, foret determinate verum, quia[1] illud eveniet. Ergo multo magis potest Deus ad eventum futurum[2] se determinare. Cum ergo ignorantia[3] Dei in variatione suae volitionis vel rei impedientis non potest obstaculum evenire, relinquitur quod propositum Dei oportet necessario adimpleri, et sic omne futurum necessario eveniet. Cum ergo[4] propositum *hominis* vel sua determinatio facit alialem firmitatem in futuritione sui operis, videtur quod determinatio *Dei* facit summam firmitatem in futuritione sui operis. Item repugnat Dei existentiae, quod non intelligat omnes homines intelligibiles, cum homo illos intelligit; et constat, quod longe plures et plura alia[5] quam homines Deus intelligit; signatis ergo illis hominibus, patet quod nullum hominem praeter aliquem illorum Deus potest producere, cum nullum hominem nisi quem Deus potest intelligere, potest ipse producere; sed nullum hominem nisi aliquem istorum Deus potest intelligere, cum Deus intelligit omnia quae potest intelligere, ergo nullum hominem praeter aliquem istorum Deus potest producere. Evasiones autem sophisticae, quae possunt fieri in ista materia, nec sunt sapidae nec dignae memoria; ideo animaret et quietaret viantem ad standum pro defensione justitiae, quod oportet mercedem suam necessario evenire, sicut oportet Deum punire[6] aemulos veritatis. Et sic non oportet evagari in imaginatione rerum quas ponimus possibiles, dummodo non est ita. Et tollere possumus quaestionem qua quaeritur, quare Deus non efficit hoc vel illud, dicendo, quod ideo, quia hoc non est effectibile et licet falsum fingamus, hoc non est intelligibile[7]; et claret ratio *Augustini* et locus a simili, quia sicut Deus, si non produceret Verbum ad intra, tunc impotens foret vel invidus[8], ita si non produceret effectum ad extra, ipse impotens foret et invidus[9]. Imaginatio autem nostra et error intellectus nostri

[1] quia] quod, D. [2] futurum] futuri, ed. pr. [3] ignorantia] in ignorantia, ed. pr. [4] cum ergo] si ergo, D. ed. pr. [5] plures et plura alia] plures et plura animalia, A.B.; plures res et plura animalia, D. ed. pr. [6] punire] punire necessario, A.B. secundae manus, C. [7] et licet—intelligibile] om. ed. pr. [8] invidus] invidens, A.B. [9] invidus] invidens, A.B.

circuit saepe credens se intelligere quod non intelligit, et multa se posse facere, quae de facto non concipit. Studeamus ergo veritates quae sunt, et falsitates procedentes de imaginatione impossibilium omittamus[1]. Ideo excusando vanitates contendentium[2] in ista materia saepe dixi, quod paratus sum illud quod tu ponis possibile admittere, docto, quod illud sit possibile. Non enim tantum confido de tua scientia, quod, si asseris hoc esse possibile ergo verum, cum concedis, licet false, quod multos homines intelligis, quos Deus non potest producere, ut hominem infinitum magnum, hominem infinitum meliorem Christo, et hominem sibi Dei potentiam coaequantem.

Numerus septenarius peccatorum capitalium et scriptura et experientia nititur.

Placet autem mihi, quod ad tractandum[3] *de septem peccatis capitalibus* procedamus. Et si iterum[4] occurrerit argumentum vivax contra istam sententiam, quod non credo, ipsum diligentius repetamus. Videtur autem[5] quod numerus septem peccatorum capitalium in fide scripturae fundari poterit et communi experientia quam habemus. Constat quidem quod *Johannes* dicit, concupiscentiam oculorum, concupiscentiam carnis et superbiam vitae esse originem cujus libet sequentis peccati[6]. Et *Jacobus* idem dicit ponendo quod sapientia hujus mundi est terrena, animalis et diabolica[7]. Superbia autem vitae, quae dicitur spirituale peccatum et diabolicum, gignit ex se duas filias[8], scilicet invidiam atque iram, cum superbus ratione singularitatis quam appetit, invidet inferiori, ne forte ad aequalitatem suam attingat, invidet aequali, quod Deus ipsum sibi aequiparat, et invidet superiori, quod sic ipsum exsuperat, et sic utrobique instar diaboli invidet ordinationi et operi Dei sui. Habito ergo isto maledicto ternario, ex luciferina superbia, resumendo peccatum irae, sequitur ex[9] concupiscentia oculorum secundus ternarius maledictus, scilicet ira dissolvens homines, accidia ac avaritia inde sequens. Nam iracundus, quem oportet frustrari a suo proposito, tam mente quam corpore hebetatur, et sic oportet ipsum incidere in quartum peccatum accidiae. Et cum desiderium mentis neces-

[1] omittamus] non admittamus, A.B. [2] contendentium] credentium, ed. pr. [3] tractandum] tractatum, D. [4] iterum] interim, ed. pr. [5] autem] mihi, A.B.C. ed. pr. [6] cf. 1. Joh. ii. 16. [7] Jac. iii. 15. [8] duas filias] duos filios, A. [9] ex] de, A.B.C. primae manus.

sario[1] circa aliquid occupatur[2], frustrante primo ternario diabolico hominem a sapida consideratione vel concupiscentia Dei sui, non superest nisi ut virtus concupiscibilis improvide circa temporalia evagetur. Et ex istis et concupiscentia carnis infertur tertius ternarius maledictus. Qui enim terrena sic ambit[3] desiderat[4] irrationabiliter illis uti, et sic incidit in gulam quo ad gustabilia; et cum[5] otiatur a consideratione divina, circa quam foret homo naturaliter occupatus, prorumpit[6] bestialiter in sensibilia sensus tactus, et completur tertius ternarius maledictus, scilicet avaritia, gula atque luxuria. Et sic peccatum posterius inducit sororem[7] sequentem, sicuti crimina sunt connexa; et sic in isto[8] septenario sunt tres communicantes[9] ternarii implicati.

## CAP. X.

### *Superbia.*

*Alithia.* Considero quod secundum rationem disparem licet hominibus tractare de isto septuplici ordine peccatorum. Incipiamus ergo a *superbia*, cum secundum Ecclesiasticum ipsa sit initium omnis peccati, et in coelestibus spiritibus ab alto traxit originem[10].

*Phronesis.* Dicam breviter in ista materia et consequenter de peccatis aliis, cum sermocinantes ex gratia Dei et usu loquendi possunt satis istam materiam dilatare. Verumtamen cum sit ordo naturalis quattuor quaestionum, et in quaestione, si est superbia, non oportet hominem immorari, videtur mihi expediens primo, dicere, quid descriptive sit superbia. Hoc enim facilitat ad cognoscendum proprietates superbiae, et propter quid tales proprietates sibi accidunt. Et loquor de superbia et peccatis ceteris non ut dicunt defectus vel peccata intellecta formaliter, sed ut dicunt habitus vitiosos. Ab illis enim habitibus proce-

[1] necessario] necessē, A. [2] occupatur] sit—occupatum, A.; esse occupativum, B.; occupativum, om. esse, ed. pr. [3] ambit] ambigit, D. [4] desiderat] et desiderat, C. secundae manus. [5] cum] tunc, D. [6] prorumpit] prorumpitur, C. ed. pr. [7] sororem] soporem, A. primae manus. [8] isto] om. ed. pr. [9] communicantes] communicationes, ed. pr. [10] Siracid. x. 15.

Superbia quid sit.

dunt actus hominem conturbantes. Dicitur autem superbia inordinatus amor propriae excellentiae. Deus enim amat propriam excellentiam, sicut et angeli suam; homines etiam, cum quibus est gratia, amant virtutis excellentiam, ut postmodum sint[1] beati. Ideo subdolus *pseustis* statim objiceret contra hominem superbiam taliter describentem, quod est amor propriae excellentiae, cum Deus foret sic summe superbus. Intelligo autem per amorem non solum actum amandi, sed habitum, quo superbus inclinatur ad zelandum pro suo statu indebito[2]. Et sic oportet supponere, quod Deus ordinat[3] omnia creata in ordine pulchro consistere. Creatura autem rationalis, ut homo et angelus, infringit hunc ordinem in se ipsa[4] et aliis, cum ratione suae excellentiae appetit inordinate, tam secundum intellectivam potentiam quam volitivam, in gradu incompetenti[5] consistere.

Varia superbiae genera.

Et distinguuntur *species superbiae*, secundum quod inordinatae potentiae appetunt malos fines; ut intellectiva potentia, quando appetit scientiam vel finem alium inordinate, tunc dicitur *superbia interior*. Unde diabolus primo mentiendo suggessit feminae: 'nequaquam (inquit) moriemini, scit enim Deus, quod quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii, scientes bonum et malum[6].' Ecce quod Deus dicit, 'morte moriemini,' mulier dubitat ne forte moriatur[7], et diabolus mendaciter contradicit, 'nequaquam (inquit) moriemini,' et super hoc fundat originem sui mendacii a Deo procedere. Et in ista superbia scholastica sunt multi clerici occupati, cum facit multos languere circa inutiles quaestiones et in errores intellectus incidere, ex quibus causatur error affectus et extrinsecorum operum satis late. Et ut dicit Metricus, *superbia intellectus* in quattuor erroribus est fundata[8]:

'Ex se pro meritis false plus omnibus inflat.'

Quidam enim putant se habere excellentiam ex se ipsis, quidam secundo putant se habere bona naturalia de condigno, quidam putant se habere bona aliqua quae non habent, et

[1] sint] sunt, ed. pr. [2] indebito] indubio, B., A. primae manus. [3] ordinat] ordinet, ed. pr. [4] ipsa] ipso, A.B. [5] incompetenti] competenti, D. [6] Gen. iii. [7] moriatur] moriamur, D. [8] fundata] fundata. Versus., ed. pr.; nota marginalis codici C. ascripta.

quidam quarto comparantes se aliis false putant se ipsos alios[1] excellere. Et tota radix cujuslibet speciei superbiae stat in isto, quod homo errat non credendo humiliter, quod quidquid habuerit est a Deo. Ideo dicit apostolus 1. ad. Corinth. iv: 'Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?' Et ita defectus fidei scripturae est causa superbiae. *Superbia* autem *affectus* consistit primo ad intra, et communiter mixtim ad extra progreditur, et consistit primo[2] in hypocrisi, quae est pessima species superbiae et religiosos nostros saepe consequitur, cum non praesumerent superaddere traditiones supra evangelium, quae communiter sunt contrariae rationi, nisi laborarent hypocrisi. Ideo false fingunt fratres et alii, quod habent regulam privatam, quae in bonitate excedit regulam Jesu Christi. Omne enim peccatum sapit errorem, qui impugnat primariam veritatem. *Superbia* autem consistens *in concupiscentia oculorum* inordinationem temporalium saepe respicit, ut multi superbi de affluentia temporalium inaniter gloriantur. Et *superbia circa bona carnis* respicit saepe inordinationem volitivae potentiae circa bona corporis naturalia, ut circa naturalem fortitudinem, circa corporis elegantiam et circa similia bona naturae corporeae. Originatur autem iste error superbiae, sicut et ceteri, ex errore intellectus et fidei, quo credi debet, quod omnia ista bona sunt a Deo, ut dotatus[3] istis ordinate prosit ecclesiae. Ideo docet[4] apostolus, quod sicut membra humani[5] corporis prosunt toti corpori ad implendum ejus operationes utiles quantum sufficiunt, sic quaelibet persona militantis ecclesiae debet sine praesumptione vel nimia replicatione actus reflexi supra se ipsum[6], quantum sufficit vel habet ex donis Dei, prodesse ecclesiae; tunc enim debite servit Deo et ex omnibus viribus amat ipsum, cui repugnat quod amet[7] propriam excellentiam, nisi de quanto sonuerit in honorem Dei et utilitatem ecclesiae. Et patet quomodo superbia extinguit bona gratiae, inficit bona naturae in anima, et omnino impedit profectum spiritualem, in quo viator cresceret[8], nam tam bona

[1] se ipsos alios] se ipsos, A.B.; alios, ed. pr. [2] ad intra—progreditur et consistit primo] om. ed. pr. [3] dotatus] de datis, D. ed. pr. [4] docet] dicit, ed. pr. [5] humani] humana, ed. pr. [6] se ipsum] se, A.B. secundae manus, C. [7] amet] amat, ed. pr. [8] cresceret] crescit. D.

spiritualia quam bona corporalia ordinantur proficere viatori, quando servando regulam naturae ponit illa bona modeste in opere, quia rebellando obstinate inflexibilis est ad bonum. Et patet ex fide scripturae exemplis naturalibus et rationibus vivacibus, quomodo est superbia reprobanda. Et videtur quod superbia et omnia alia vitia sunt connexa. Nam quicunque inordinate amat bonum proprium, invidet aliis et irascitur in effectu[1], et per idem est accidiosus, avarus, gulosus et luxuriosus, torpet enim in servitio Deo debito, et nimis inordinate appetit bonum proprium; et sic homo interior gulose et false gustat honorem indebitum. Et de spirituali luxuria patet, quod fornicatur a Deo[2] turpiter cum se ipso.

## CAP. XI.

### *Humilitas.*

*Alithia.* Placet quod sic leviter et breviter de superbia expedisti[3]. Sed cum illi contrariatur humilitas, rogo ut parum dicas de ipsa virtute, cum sit contra[4] superbiam medicina; antidotum enim contra vitium est virtus contraria.

*Phronesis.* Placet de virtutibus conformi via transcurrere. Sicut enim superbia est initium peccatis aliis, sic humilitas est aliis virtutibus fundamentum; et hinc fuit Christus, quia sapientia Dei patris, in humilitate beatae Mariae virginis incarnatus, ut patet Lucae i. Sicut enim Christus non potuit superbire, sic non potuit esse ipso humilior, cum sit ut centrum toti humano generi, quo centro non posset[5] esse inferius; nam cum res aliqua[6] sit eo inferior quo centro propinquior, patet quod nemo potest esse Christo humilior. Ideo errant qui ponunt, quod Deus potest ponere centrum mundi inferius quam est modo, cum sic mundus rarefieret in infinitum, cum inferioritas non attenditur a mundi circumferentia, centrum mundi non foret inferius quam est

[1] effectu] affectu, A.B.C. [2] a Deo] cf. Hosea, ix. 1. [3] expedisti] te expedivisti, B. primae manus, ed. pr. [4] cum sit contra] cum ipsa sit contraria et contra, A.B.C. [5] posset] possit, A.; potest, ed. pr. [6] aliqua] alta, A.B.C. ed. pr.

modo; et per idem si totus mundus condensaretur ad non quantum, per impossibile, versus centrum. Et eadem est ratio, posito quod mundus fluctuaret vel infinitum quoviscunque[1] moveretur in vacuo infinito. Sicut ergo nemo potest intelligere quidquam bassius quam est centrum, sic nemo potest intelligere quidquam humilius quam est Verbum. Ideo oportet quemlibet salvandum spirituale aedificium constituere in hoc centro, quia aliter non posset ejus altitudinem erigere usque ad coelum. Turrim enim tam altam oportet habere immobile fundamentum; sed secundum apostolum[2] 'fundamentum aliud nemo ponere potest praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus[3].' Describendo autem virtutem humilitatis conformiter ad praedicta potest dici, quod humilitas est virtus vel[4] amor ordinatus in gradu sibi debito persistendi, qui amor in Christo secundum ejus humanitatem immobiliter perseverat. Alii autem ut sunt[5] sibi in hoc conformiores, sunt ut sic humiliores et ad apicem virtutum facilius attingendum promptiores. Et patet *primo*, quomodo Christus directe contrariatur diabolo, cum ipse sit summe superbus sed Christus summe humilis. Ideo si vis placere Deo, despicias superbos cogitatu, animo[6] atque vita. Talis enim domus non patitur ruinam a contrariis impellentibus vel procellis[7]. Sicut enim oportet esse unam radicem vitiatam, a qua cuncta posteriora crimina sunt contracta, sic[8] oportet esse unam radicem salvantem cetera, quae sit plena virtute et gratia. Cum enim Christus sit Deus et homo, posito quod aliquis sit ipso humilior, tunc foret in voluntate[9] standi in gradu sibi debito[10] Christo constantior; sed quid impossibilius? Et patet *secundo*, quod humilitas non consistit in voluntate inferius persistendi, cum Christus summe humilis vult esse altissimus in bonitate humani generis, cum homo, ut humilior, est ad serviendum Deo[11] promptior, et ut sic clarius considerat se esse ministrum Dei. Sed et sic est Christus humillimus[12], quia ad serviendum Deo et ecclesiae promptis-

Virtus humilitatis describitur.

[1] quoviscunque] quorsumcunque, ed. pr. [2] apostolum] 1 Corinth. iii., A.B.C. ed. pr. [3] aliud—Jesus] om. ed. pr. [4] virtus vel] om. A.B.C. ed. pr. [5] sunt] om. B.C. secundae manus. [6] animo] animae, A.B.C. ed. pr. [7] cf. Matth. vii. 25, 27. [8] sic] sic etiam, A.B.C. [9] voluntate] humilitate, ed. pr.; B. primae manus. [10] gradu—debito] gratia—debita, ed. pr. [11] Deo] om. D. [12] humillimus] humilior, B. ed. pr.

simus. Et possunt probari octo proprietates, quas *Lincolniensis* declarat esse[1] vere humilem consequentes. Humilis enim secundum fidem evangelii[2] recumbere debet 'in novissimo loco[3],' hoc est in loco humillimo atque ad serviendum Deo promptissimo. Non enim intelligit Christus de loco corporeo, quia sic foret praeceptum suum superfluum, solum uni conveniens. Ideo certum est, quod Christus non loquitur de nuptiis vel de[4] prandio corporali, sed de nuptiis spiritualibus, quibus invitamur ad coenam novissimam, in quibus homo, cui non fit revelatio, debet se *reputare* esse abjectissimum salvandorum. Non autem[5] debet hoc *credere*, cum saepe sit falsum, sed[6] debet sperare se esse salvandum, et de nullo salvando putare, quod sit Deo[7] abjectior, quam est[8] ille; aliter enim sine evidentia recumberet in loco nimis alto. Et ex isto patet *tertio*, quod Deus neminem eligit[9] in praelatum, nisi sit subjectis suis humilior, quia Deus neminem eligit in talem, nisi sit virtute habilior et per consequens humilior. Quicunque enim est humilior, est Christo propinquior. Ideo humilitas et ceterae virtutes non solum quo ad speciem sed[10] quo ad gradus laudabiles se sequuntur. Et haec ratio, quare ante dotationem Caesaream servabatur regula apostoli, quod nemo sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron[11]. Non enim video quin aspirantes ad primatum in ecclesia, et quicunque de privatis ordinibus, ab humilitate deficiunt et per consequens a virtute, quia vel sunt stulti vel reputant se subditis digniores. Si enim propter excellentiam honoris ab homine vel propter lucrum temporale hoc appetunt, tunc indubie sunt culpandi, cum amor Dei, humilitas[12], et per consequens virtus postponitur et bonum temporale nimium ponderatur. Sed quae major stultitia in amore? Et ex istis patet, quod electiones hominum ut plurimum sunt injustae, quia si electus non sit humilior, injuste eligitur, et hoc in majori parte evenit, cum humilior hodie reputatur indignior. Et patet quod in[13] electionibus humanis et privatis religionibus, communiter contenditur

Doctrina de humilitate applicatur ad praepositos ecclesiae atque ad ordines monachorum.

[1] esse] om. A.B. secundae manus, C. [2] evangelii] Luc. xiv., A.B.C. ed. pr. [3] Luc. xiv. 10. [4] de] om. B. ed. pr. [5] autem] tamen, ed. pr. [6] sed] et, A.B.C. [7] Deo] eo, A. [8] est] sit, B. primae manus, ed. pr. [9] eligit] elegit, A. [10] sed] sed et, A.B.C. [11] Hebr. v. 4. verba 'sed qui—Aaron,' om. ed. pr. [12] humilitas] et humilitas, B. ed. pr. [13] quod in] ex, A.B.C.

contra Deum, quia quod Deus[1] discernit esse faciendum, tamquam indignum postponitur, et secundum judicium hominum quod Deus despicit, ponderatur. Et haec est una ratio, quare religiones privatae communiter sunt perplexae. Et si objicis, quod humilior est communiter ignorantior et ad regendum ineptior, sed cum austerus et prudens debet eligi, ut praesit humilibus, videtur quod regula non est generaliter observanda, scilicet quod humilior ad praeessendum est aptior. Iste autem objectus est diabolicus vel mundanus, cum supponit *illum* esse praeeligendum, quem mundus vel lucrum temporalium praeacceptat. Ex quo indubitanter convincitur, quod communitas hoc[2] sentiens plus appretiatur vitam mundanam[3] vel laute vivere, quam vivere virtuose. Et illa[4] est maledicta religio, cum bene esset illi, cum quo foret a tali ordine dispensatum. Et illud quod objicis, quod callidior, qui vocatur scientior, foret ad regendum dispositior, et bene personatus virilior foret pro acquirendis possessionibus mundo captabilior[5], revera accusas talem privatum ordinem, et doces acceptandum Christi ordinem praecellentem. Si autem scientia inflat, etiam in natura sua laudabilis, quanto[6] magis vulpina calliditas? Et si secundum reputationem mundanam grandior[7] atque austerior plus laudetur, ideo debet eligi in praelatum; ubi est fides scripturae et virtutis praeeminentia super ista? Ideo indubie tales incidunt in illud Vae propheticum Esaiae v[8]: 'Vae qui dicunt malum bonum et bonum malum!' Et patet, cum ratio et inclinatio mundi destruunt hos ordines, quod bonum esset ipsos cessare, et purum[9] ordinem Christi regnare[10]. Unde pro sententia istius religionis in humilitate fundatae, notandum est verbum Christi Matth. xviii. diffinientis et sedantis dissensionem inter discipulos[11], quis eorum videretur esse major, de qua contentione Lucae xxii., et respondentis ad quaestionem, quam discipuli quaesierunt: 'Quis, putas, major est in regno coelorum?' et advocans Jesus parvulum statuit eum in medio eorum et dixit: 'amen dico vobis, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut par-

[1] Deus] om. ed. pr. [2] hoc] haec, ed. pr. [3] mundanam] humanam, ed. pr. [4] illa] haec, ed. pr. [5] captabilior] coaptatior, B. primae manus, ed. pr.; capacior, D. [6] quanto] et quanto, B. primae manus, ed. pr. [7] grandior] gravidior, B.C. secundae manus, ed. pr. [8] Esaiae v.] Esaiae x. D. ed. pr. [9] purum] secundum purum, A.B.C. ed. pr. [10] regnare] regulari, A.B.C. ed. pr. [11] discipulos] discipulos ejus, A.B.C.

vuli, non intrabitis in regnum coelorum[1];' ubi patet luce clarius, quod Christus loquitur de parvulo vere humili in sua reputatione, et certum[2], quod talis humilior est in regno coelorum major, ut Christus dicit tam opere quam sermone. Ex quibus videtur, cum major in regno coelorum debet praeesse[3] secundum Dei arbitrium, quod praelatus et praepositus, qui communiter secundum homines praeferuntur, non sunt de regno coelorum, sed de regno regis superbiae.

## CAP. XII.

### *Invidia.*

*Alithia.* Videtur mihi, quod ista sententia, specialiter quia alludit fidei scripturae, debet esse fideli sapida. Sed rogo prosequere coeptum ordinem conservando, ex quibus videtur, quod debes tractare *de vitio invidiae*, et de sibi opposita caritate.

Quid proprie sit invidia.

*Phronesis.* Placet de isto ordine, et primo videtur quod invidia sit inordinatus appetitus volendi malum alteri[4], et intelligo de malo damni, non de malo poenae, cum Deus ordinatissime appetit hoc malum inesse[5] damnatis. Nec videtur ista descriptio invidiae esse laudabilis, quae imponitur *Augustino*, scilicet quod invidia sit dolor de alieno bono. Non autem oportet quod sit dolor de felicitate alterius, quia tam praescitus quam diabolus invidet sibi consimili, cui non inest felicitas, sed invidet, quod tam misericorditer est cum illo. Similiter non est ratio quare invidia foret descriptive dolor de felicitate aliena, quin per idem et evidentius foret gaudium de damno alterius, et sic invidia foret tam dolor quam gaudium; et cum illa sint contraria et non relative opposita, contraria forent de se reciproce praedicata, et sic idem homo posset esse simul beatus plene et damnatus miserrime. Quamvis enim Christus simul habuit dolorem et gaudium, hoc tamen fuit de disparibus objectis, et ut

[1] et advocans—regnum coelorum] sic Cod. A.C.; D. brevius, B. ed. pr.
[2] certum] iterum, ed. pr. [3] praeesse] ideo praeesse, ed. pr. [4] alteri] alterius, A.B.C. [5] inesse] esse, A.B.C. ed. pr.

placet multis, secundum diversas potentias intellectus. Similiter quam extensa est caritas, tam extensa est invidia sibi contraria; sed caritas se extendit ad diligendum Deum et proximum, ergo invidia se extendit ad appetendum malum Dei et proximi; et sic potest dici, quod ex inordinato amore propriae excellentiae pullulat inordinatus amor vel appetitus mali alterius. Quamvis autem Deo non potest inesse malitia, tamen invidus appetit implicite, quod Deo insit malum, cum appetit virtutem communicationis divinae deficere. Ideo invidia dicitur secundum quandam proprietatem peccatum esse in Spiritum Sanctum.

Sed arguitur communiter contra genus invidiae. Nam supponitur ut per se notum philosophis, quod nemo quidquam appetit nisi sub ratione boni vel apparentiae quod sit bonum; sed non potest apparere homini vel daemoni, quod sit sibi bonum malum alterius, ergo nemo potest secundum istam rationem appetere malum alteri, et per consequens non potest alteri invidere. Sed hic communiter dicitur, quod minor est falsa, cum tam diabolus quam invidus[1] ex innata malitia delectatur de malo alterius, et per consequens apparet sibi esse bonum delectabile et sic bonum. Est autem error in quocunque invido secundum intellectivam potentiam; et sic omnis talis malus est ignorans, cum tam bonum utile quam bonum delectabile deberet esse, quod alter careat[2] tali damno, cum[3] communicatio boni prosit dispositis. Unde hoc gaudium invidi est passio spiritualiter phrenetici atque diaboli, cum gaudet de hoc, unde rationabiliter est dolendum, cum[4] apostolus dicat[5] 1 Corinth. xii: 'gaudete cum gaudentibus et flete cum flentibus[6].' Diabolus autem desperans bonum alterius sibi proficere superaddit invidiam, volens inordinate tale bonum non esse, et superaddit malitiam appetens illud bonum destruere[7]. Et sic videtur mihi quod species invidiae capi possunt penes distinctionem objectorum, ad quae invidia terminatur; et hoc videtur consonantius dictis superius, quam distinguere invidiam in haec[8] duo genera, in gaudium inordinatum de alieno malo et dolorem inordinatum

De variis invidiae speciebus.

[1] invidus] invidens, A.B.C. [2] careat] caret, A.B.C. [3] cum] ut, ed. pr. [4] cum] quibus, A.B.C. [5] dicat] dicit, A.B.C. [6] et—flentibus] om. A.B.C. ed. pr. [7] destruere] deficere, A.B.C. [8] haec] om. D.

de alieno bono. Potest autem dici, quod species pessima invidiae est invidia, qua creatura invidet Deo suo; illa enim species habet modum pessimum, maxime ingratum et minime fundatum in apparentia rationis, et ideo vocatur specialiter peccatum diabolicum. Sicut enim 'invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum[1],' sic impossibile est quenquam invidere alteri, nisi primo omnium invideat Deo suo. Sed in isto gravatur difficultas praedicta; nam nec homini nec angelo potest apparere, quod Deo insit malum vel quod a bono privetur; quomodo ergo potest in cogitatione hujusmodi delectari? Cum nemo potest delectari nisi in illo quod potest intelligere; sed juxta dicta nec Deus nec creatura potest hoc intelligere; quomodo ergo potest in hoc irrationaliter[2] delectari vel hoc apparere sibi bonum delectabile? Hic supponendo praedicta de intellectione ut firma, videtur mihi quod tam apparentia quam invidia potest terminari ad aliquid indirecte, ut nemo vult nec potest velle ac intelligere directe, quod Deo insit malum culpae vel poenae vel damni vel quodcunque fingibile, saltem secundum deitatem, quia nec creatura nec Deus potest hoc intelligere. Creatura tamen potest ad tantum caecari quod intelligat sic, 'ego volo quod Deus non taliter honoretur vel quod sibi non insit justitia vel[3] notitia mali facti[4], quia si sic, non forem[5] pro quocunque delectabili cruciandus.' Sed quamvis homo vel diabolus possunt intelligere sic erronee, tamen[6] nec sua intellectio nec apparentia terminatur ad rem apparentem vel intellectam extra signum. Ideo sicut falsum est, quod intelligo meliorem Deum quam est Deus noster, quamvis intelligam ista signa: sic falsum est, quod intelligo, volo vel appeto, quod Deus ignoret peccata mea, quod non sit justus vel criminis punitivus, quamvis velim vel appetam sic sub istis signis. Et sic quilibet invidus vult implicite vel indirecte, et non potest sic extra signa intelligere. Unde[7] quicunque vult quodcunque peccatum culpabile et secundum ordinem culpa dignum, ipse invidet implicite Deo suo, quia appetit perverse finem aliquem, quo fine sine culpa completo inesset

[1] cf. Sap. Sal. ii. 24. [2] irrationaliter] rationaliter, A.; irrationabiliter, ed. pr. [3] justitia vel] universalis, A.B.C. [4] mali facti] maleficii, A.B.C. [5] forem] foret, A.B.C. ed. pr. [6] tamen] cum, ed. pr. [7] Unde] ut, C. secundae manus, D. ed. pr.

modus pessimus Deo suo; imo Deus de facto non foret justus vel Deus; et cum talis volitio sit injustissima, patet quod radix peccati invidiae multipliciter est perversa. Non enim video, quomodo quis potest peccare actualiter, nisi implicite peccet invidia. Et patet quod vaga cogitatio et impossibilis est periculosa viantibus, cum sub[1] tali cogitatione falsa posset homo faciliter figere appetitum, et sic se ipsum indisponere ad dicendam illam partem orationis Dominicae: 'fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra[2].' Et de talibus vanis interpretationibus[3] ex imaginatione indebita procedentibus, quamvis finis propter quem talia appeto sit laudabilis, timeo mihi multum[4]. Scio enim quod debeo intellectum et cogitationem meam ad Deum et suam veram fabricam terminare, et non in talibus imaginationibus impossibilibus evagari, et quo ad omnia futura quae desidero, ad volitionem et ordinationem divinam ipsa humiliter terminare; et sic per errorem in cognitiva potentia, seductor diabolus errores peccati in potentia volitiva callidissime introducit[5]. Et ideo necessarium est ab hujusmodi impossibilibus penitus abstinere[6].

## CAP. XIII.

### *Caritas.*

*Alithia.* Quamvis ista sint breviter dicta et quo ad sermocinationes[7] nimis subtiliter, verumtamen placent mihi, cum faciliter possum[8] applicare exempla naturalia et scripturas ad detestandum hoc vitium. Sed rogo dicas parum[9] de caritate, quam dicis huic peccato[10] opponi contrarie. Videtur tamen mihi mirabile, cum caritas et gratia convertuntur, quodcunque autem peccatum directe contrariatur gratiae et per consequens caritati, quomodo ergo invidia haberet specialiter caritatem sibi contrariam?

[1] sub] super, D. ed. pr. [2] sicut—terra] om. A.B.C. ed. pr. [3] interpretationibus] imprecationibus, A. [4] multum] in tantum, D. ed. pr. [5] introducit] seminat, A.B.C. [6] Et ideo—abstinere] Haec verba solus codex habet D. [7] sermocinationes] sermocionantes, ed. pr. [8] possum] possumus, B.; possim, D. [9] parum] parum amplius, A.D. [10] peccato] vitio, D.

*Phronesis.* Dictum est tibi, si recolis, quomodo volumus tractare de virtutibus et vitiis, et non formaliter de peccatis. Dictum est tibi etiam, quod peccatum non contrariatur alicui virtuti, cum sit defectus et non aliqua creatura, sed modo suo opponitur cuicunque virtuti[1], cum extinguit caritatem, virtutem et gratiam in communi. Et dictum est tibi tertio, quod duplex[2] est caritas sive gratia, scilicet *in creatore*, qua denominatur gratificare vel diligere creaturam; et illa caritas in Deitate est aeterna et in Christo perpetua, juxta illud Jeremiae xxxi: 'in caritate perpetua dilexi te, et attraxi[3] te miserans tui[4].' Sed[5] gratia vel caritas *in creatura* intellectiva vocatur denominatio, qua ipsa dicitur grata vel cara Deo[6], et est duplex scilicet praedestinationis vel finalis consumationis, qualiter solum praedestinati sunt Deo cari vel grati; et alia est gratia vel caritas secundum praesentem justitiam, qua creatura rationalis disponitur et est ad modicum tempus cara Deo, et illa est satis fluxibilis in viante. Et nota, quod propter assistentiam vel deficientiam talis gratiae Deus non magis vel minus afficitur creaturae, cum semper vult praedestinatos suos habere gloriam sempiternam. Unde[7] tantum dilexit Petrum, David et ceteros, quando graviter peccaverunt, sicut quando modo in patria sunt beati, quia tam firmiter ipsis voluit tantum bonum. Verumtamen sicut non voluit ipsos *tunc* habere tantum bonum, sicut[8] postmodum, ita odivit illam indispositionem, qua[9] taliter peccaverunt. Et sic in Deo tam amor quam odium sunt aeterna, et sic Deus infinitum plus odit praescitos, etiam existentes in gratia secundum praesentem justitiam, quam praedestinatos etiam[10] criminosos, quos disposuit[11] ad patriam. Et sic quamvis logicus dicat, quod Deus odiat[12] bonos in patria, quia propter indispositionem praeteritam, quam habuerant cum peccaverunt[13], non tamen odit eos secundum dispositionem quam nunc habent in patria. Et sic communiter intelligitur, quod Deus odit beatos[14] hoc est propter dispositionem qua beatificantur, quod est impossibile.

Caritas sive gratia creatoris;

gratia sive caritas in creatura.

[1] virtuti] virtutum, A.B.C. [2] duplex] triplex, A.B. [3] attraxi] om. A.B.C. [4] tui] om. ed. pr. [5] sed] si, ed. pr. [6] Deo] om. ed. pr. cum B. primae manus. [7] Unde] ut, D. ed. pr. [8] sicut] sed, A.B.C.; sic, ed. pr. [9] qua] quia, ed. pr. [10] etiam] et, B. primae manus, ed. pr. [11] disposuit] disponit, A.C. [12] odiat] odit, B. secundae manus, ed. pr. [13] peccaverunt] peccabant, A.B. secundae manus, C. [14] beatos] bonos, D.

Videtur tamen mihi, quod caritas potest intelligi communiter, qua[1] intellectualis creatura dicitur cara Deo[2], et sic non video quod talis caritas contrariatur invidiae specialiter et directe, sed potius vitio in communi. Secundo modo intelligi potest caritas appropriate et specialiter, secundum quod denominat creaturam rationalem carum habere quidquid Deus ordinat in aliqua creatura; et sic potest dici, quod caritas et invidia sunt directe contraria[3]. De caritate autem dictum est tibi superius, ubi tres virtutes theologicae sunt descriptae. Apostolus etiam I Cor. xiii. ponit breviter et[4] pulchre conditiones sedecim caritatis. Sed ut habeam verba brevia et hortatoria, studeamus quod totam vitam nostram ducamus, et omnia opera nostra ad honorem Dei faciamus, et tunc indubie facimus in caritate omnia facta nostra, et plenitudo legis est talis dilectio. Et ut dicam particularius, quomodo debemus facere ad honorem Dei quidquid fecerimus, videamus legem Dei et specialiter decalogum ac evangelium; et observemus illam in vita tam opere, quam sermone, defendamus illam contra antechristi discipulos hortatione suavi, oratione humili et operatione laudabili usque ad mortem. Nec video, quomodo majorem caritatem poterit quis habere. Nec video quin quilibet Christianus tenetur ad istum gradum caritatis, saltem implicite ad sensum aliquem, se parare[5]. Sed ut dicit evangelium, refrigescet caritas multorum, quod in diebus novissimis satis claret, cum multi sunt legem Dei[6] impugnantes, et pauci ipsam debite defendentes, sed scripta papalia ac religiones privatas longe amplius ponderantes. Et cum in eadem damnatione sint omnes qui illis aliquo sex modorum consentiunt[7], patet quod pauci sunt in statu aliquo viatoris[8], quin propter carentiam istius caritatis, nisi resipiscant, finaliter sunt damnandi. Cum autem caritas sit patiens et benigna secundum apostolum[9], disponamus nos ad patientiam usque ad mortem, et servemus continue benignitatem caritatis, si forte Deus vult peccatoribus[10]

[1] qua] quia, ed. pr. [2] Deo] Dei, ed. pr. [3] contraria] opposita contraria, A.B.C. ed. pr. [4] et] om. ed. pr. [5] se parare] separare, ed. pr. [6] legem Dei] leges Domini, ed. pr.; cum B. primae manus.
[7] Sex consentiendi modos scholastici his versibus exprimere solebant:
Consentit operans, defendens, consilium dans,
Ac auctorisans, non juvans, nec reprehendens.
[8] viatoris] viatorum, ed. pr. [9] apostolum] apostolum I Cor. xiii. A.B.C. ed. pr. [10] peccatoribus] peccatori, ed. pr.

misereri et convertere eos ab insania qua nunc turgent; et semper recolamus, quomodo prophetae in lege veteri et quomodo Christus in lege gratiae, et cariores ejus discipuli in causa ista specialiter sunt occisi; et nunquid nos meliores sumus praedictis patribus? aut numquid totum Dei praemium est exhaustum? Fides nostra docet oppositum. Et breviter non considero, quomodo quis delectabilius aut jocundius posset mori. Cum ergo sumus certi de morte et de[1] poena vecordiae, observemus fidem, spem, et caritatem, et operemur bonum dum tempus habemus[2], cum fides scripturae doceat Ezechi. xxxiii., quod speculator est quicunque cui Deus dat notitiam legis suae, et a quocunque tali vult acute requirere[3] rationem et computum, quomodo usum talenti talis ad utilitatem ecclesiae expenderit[4]. Et desidia ac negligentia in isto articulo facit multos praelatos ecclesiae et scholasticos condemnari. Ideo rogemus Deum obnixius, quod ista sententia stabiliter conservetur[5]. Scimus quidem, quod nimis multi praelati Caesarii peccant in ignorantia legis Dei, nimis multi scholastici peccant in vecordia, non ex caritate debita perseveranter isti malitiae resistendo; et nimis multi peccant invidia[6] ob defectum benigni et suavis modi et ordinis caritatis.

## CAP. XIV.

### *Ira.*

*Alithia.* Video et considero, quod ista sententia sit devotius et humilius prosecuta; sed observa ordinem consimilem de ira et ejus opposito, quem in vitiis et virtutibus superius[7] observasti. Sed miror in primis, quomodo ira quaedam dicitur esse licita, cum rogamus: 'Domine, ne in furore tuo arguas me[8] neque in ira tua corripias me[9].' Et ita videtur[10] quandoque capi in bonum, sed de invidia hoc non lego.

[1] de] om. A.B.C. [2] cf. Gal. vi. 10. [3] requirere] acquirere, ed. pr. [4] expenderit] expendebat, C.D. ed. pr. [5] conservetur] observetur, C., B. primae manus, ed. pr. [6] invidia] in invidia, B. primae manus, ed. pr. [7] superius] superioribus, C.D. ed. pr. [8] Domine—arguas me] om. A.B.C. ed. pr. [9] cf. Ps. vi. 2. [10] videtur] scil. ira; libri manu scripti habent *videtur superbia;* id quod perversum est: ed. pr. recte omittit vocabulum 'superbia.'

Qua ratione ira Deo tribui possit.

*Phronesis.* Observabo libenter sententiam quam injungis, sed quo ad objectum tuum literalem considero secundum logicos, cum[1] nomen sit vox significativa ad placitum, quod non oportet sollicitari[2], quare nomina superbiae, invidiae, et irae significant tam dispariter sensus suos; licet enim imponenti terminos uti ipsis[3] ad actus licitos atque illicitos designandum[4]. Cave tamen[5] de grammaticorum figura, quam ipsi vocant 'antropospatos[6],' quando humana passio vel proprietas Deo tribuitur, quod in omnibus illis utamur regula *Augustini* colando[7] illud quod simpliciter perfectionem signat, et Deo nostro perfectionem hujusmodi reservemus, illud autem quod notat imperfectionem appropriatam creaturae[8], loquendo de Deo penitus subducamus. Ideo cum[9] in furore et[10] ira sunt aliquae motiones iratorum impetum designantes, et aliae[11] proprietates analogicae quae Deo possunt competere, subducamus primas et reservemus[12] alias ad hunc sensum, quod propheta rogat Deum suum, ne in furore suo in die novissimo, quando arguet acute ad regulam, austere damnet vel puniat suam miseram creaturam, neque in via antecedenter ad furorem illum corripiat fratrem suum[13]; et illum finem cum suis mediis debet viator quilibet imprecari. Potest autem dici, quod descriptive vitium irae est inordinatus appetitus animi ad vindictam de creatura Domini[14] exequendum; per hoc autem, quod est inordinatus appetitus, patet quod Deo non potest competere; ideo furor quo in die judicii magis saeviet, nec ira Dei, qua gratiose et modeste capit vindictam de hostibus, non possunt descriptioni hujus vitii subjacere; sicut nec ira Moysi pro idolatria populi, aut alterius sancti Dei, dum servat se irascendo in limitibus rationis, ad quod multum valet[15] causa vindicandi Dei injurias[16], et modestia prosequendi vindictam ad regulam[17] secundum quod expedit ecclesiae illam capi, ad quod

[1] cum] quod, A.B.C. secundae manus, [2] sollicitari] multum sollicitari, B. ed. pr. [3] ipsis] ipsos, ed. pr. [4] designandum] B.D. addit: et nunc licet limitare eos ad solum actus illicitos designandum. [5] tamen] tantum, ed. pr. [6] antropospatos] i.e. anthropopathos. [7] colando] i.e. purgando; tollendo, A.B.C. ed. pr. [8] creaturae] creatura, ed. pr. [9] cum] tum, ed. pr. [10] et] tum in, ed. pr. [11] aliae] quaedam, ed. pr. [12] reservemus] servemus, ed. pr. [13] suum] cf. Psalm. vi. 2. [14] Domini] Deum, ed. pr. [15] valet] valent, B. primae manus, ed. pr. [16] injurias] injuriam, B. primae manus, D. ed. pr. [17] ad regulam] regulatam, A.C.B. secundae manus.

Ira hominum unde nascatur et quibus modis manifestetur.

requiritur speciale consilium Dei nostri. Unde ira sic ebullit de peccatis prioribus: cum peccator superbierit modo dicto, non solum dedignatur de proximo, sed invidet, quod appropinquat[1] bono suo, et ultra machinatur, quomodo de bonitate proximi poterit vindicari. Et in illa ebullitione virtutis irascibilis cor et membra corporis communiter agitantur. Et illius irae nominat Christus tres species Matth. v.: 'Omnis (inquit) qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio; qui autem dixerit 'fatue,' reus erit gehennae ignis[2].' Ille autem ad sensum evangelii '*irascitur*' fratri suo, qui contra illum irrationabiliter in animo est commotus; et sive fuerit brevis haec commotio sive diuturna, sive cum signis extrinsecis sive fuerit irrationabilis commotio animi sine[3] illis, dicitur[4] ira subjecta Dei judicio ad vindictam. Unde legitur Matth. xii. de Christo, qui non potuit sic[5] irasci: 'arundinem quassatam non confringet et linum[6] fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium.' Per *arundinem* intelligunt quidam robustos de se ipsis inaniter gloriantes, tales enim sunt vacui a gratia, ut baculus arundineus plenus poris; ille autem confringit istam arundinem, qui[7] dat sibi occasionem ad irrationabiliter irascendum. Per *linum*[8] *fumigans* intelligunt quidam debiles virtute, qui secundum aliquem gradum caritatis sapiunt et diligunt legem Dei. Talem autem arundinem sive linum non confregit[9] Christus nec extinxit[10], sed potius in virtutibus vigoravit. Et propter istas rationes convincet[11] Christus, et specialiter in die judicii, singulos[12] inimicos. Ille autem in *secundo gradu* dicit fratri suo '*Racha*,' qui cum ira prorumpit in verba derisoria. *Racha* enim interjectio est deridentis; et de tali consulunt boni angeli, si erit propter vehementiam iracundiae condemnatus. Sed in *tertio gradu* ille dicit fratri suo[13] '*fatue*,' qui cum ira animae prorumpit in verba contumeliosa, scandalosa proximi vel blasphema; et talis est reus gehennae ignis ex foliis

[1] appropinquat] approximat, A.B.C. ed. pr. [2] verba: reus—ignis'] om. B. primae manus, ed. pr. [3] sine] sive, ed. pr. [4] dicitur] dicitur autem, A.B. [5] sic] ita, B. primae manus, ed. pr. [6] linum] lumen, B. [7] qui] quae, ed. pr. [8] linum] lumen, A.B.D. [9] confregit] confringit, A.B. [10] extinxit] extinguit, B. [11] convincet] convincit, ed. pr. [12] singulos] per singulos, B. primae manus, ed. pr. [13] suo] om. ed. pr. D.

verborum cum actu animae, etsi in verbera[1] non prorumpit; multo magis qui ex ira gignit odium perseverans, et jacet ut lupus rapidus[2], quomodo inopinate nocebit proximo, tanquam antiquus iratus diabolus in[3] insidiis de innata[4] malitia se occultans.

Et patet, quod vitium irae potest dividi in suas species secundum causas quibus quis irrationabiliter irascitur fratri suo; ut unus irascitur propter detentionem rationalem terrenorum, quod est irrationabile, cum medium aliud subsit per quod temporalia sunt debite acquirenda. Ille etiam qui propter rapinam vel detentionem indebitam temporalium irascitur fratri suo, est rationabiliter culpandus, cum alia rationabilis via subsit; et multo magis est ille iracundus culpandus, qui propter bonum gratiae vel naturae irascitur, quia talis irascitur et invidet Deo suo. Et ex vitio irae fructificant bellum, odium, homicidium, rapinae[5] et ceterae injuriae infinitae, quia cum[6] fortificata fuerit[7] mater superbia, et accensa invidia atque ira, abutitur viribus naturalibus hominis, quousque fiat natura debilis, et in ratione animae excaecata[8]. Possunt autem rationes multiplices hoc vitium disuadere[9], specialiter cum omnes debemus esse fratres in Domino et in via ad patriam proficere nobis ipsis, sed iracundia nobis quo ad communicationem istam fraternam magis obest, cum ira extinguit caritatem, dissuadet rationem et omnino impedit itinerationem ad patriam; et hinc Genes. xlv. dicit Joseph fratribus suis: 'ne irascamini[10] in via.' Et[11] Joseph noster, qui est Christus, in evangelio prohibet istam iram. Cum ergo talis ira indisponit animum, impedit opus proficuum et omnino habilitat divinum judicium ad damnandum, et per consequens spoliat divinum habitaculum et praeparat ad hospitandum maximum inimicum, patet, quod ratio convinceret, quod a tali iracundia sit cessandum. Sunt autem rationes aliae et exempla tam naturalia quam etiam ex scriptura, ex quibus fortificari potest ista sententia. Quid enim plus conturbat juvamen naturae et

Irae species.

Quas ob causas iracundia vitanda sit.

[1] verbera] verba, ed. pr. [2] rapidus] rabidus, B. ed. pr. [3] in] om. ed. pr. [4] innata] irata, ed. pr. [5] rapinae] rapinam, ed. pr. [6] cum] tunc, ed. pr. [7] fuerit] fuit, ed. pr. [8] excaecata] excaecatus, ed. pr. [9] disuadere] desuadere, ed. pr. [10] irascamini] irascimini, ed. pr. [11] et] et sic, B.D. ed. pr.

gratiae, quam quod viator, qui debet pro opere et mercede magis necessariis laborare, sic[1] a fratre suo, qui ipsum debet in eodem jugo juvare, diabolice impeditur[2]?

## CAP. XV.

*Animi lenitas.*

Quae virtus irae contraria sit.

*Alithia.* Cum virtus sit vitio sibi opposito antidotum speciale, rogo ut dicas parum[3] de patientia vel etiam mititate; multi namque[4] videntur[5] contendere, quae virtus sit irae contraria. Et videtur quod mititas; quia irati[6] est in[7] passionibus animi perturbari et in verba inordinata prorumpere, sed mititas sedat utrumque, ideo videtur esse vitio irae directe contraria. Unde Matth. v., ubi Veritas dederat suam legem, dicitur: 'beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.' Nam circa temporalia vel bona fortunae irascuntur mundani communius, cum tanquam pueri vel stulti appretientur plus bona minima quam bona maxima, ut gratiam et virtutes, ideo[8] pro illis pugnant communiter et contendunt. Ad denotandum autem quod[9] mititas et non ira disponit ad illa, dicit evangelium, non quod iracundi sed mites possidebunt terram. Licet autem feroces bellantes videantur quandoque habere seculare dominium, cum videntur[10] habere secundum stultorum judicium, et non habent. Unde Matth. xii. de Christo legitur, quod 'non contendet[11], nec clamabit[12] neque aliquis audiet[13] in plateis vocem ejus,' hoc est vocem iracundiae, cum legem Domini saepius praedicabat. Nec didici, ubi in evangelio sit[14] contentio ut lis legis humanae auctorisata, nisi ut loquar ironice, quod Christus, qui dedit exemplar omnium factibilium, non contendit. Docuit enim tam constantem miti-

[1] sic] sit, ed. pr. [2] impeditur] impediri, A.; impeditus, ed. pr. [3] parum] om. ed. pr. [4] namque] quidem, ed. pr. [5] videntur] dicuntur, A.B. secundae manus, C. [6] irati] irasci, A.B.C. [7] in] om. B. ed. pr. [8] ideo] et ideo, A.B.C. [9] quod] quin, C. secundae manus, ed. pr. [10] videntur] videantur, A.B. [11] contendet] contendit, A.B.C. [12] clamabit] clamavit, A.B.C. [13] audiet] audivit, A.B.C. [14] sit] fuit, ed. pr.

tatem, quod consuluit[1], ut 'qui velit[2] tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, praebe[3] ei et pallium,' ut testatur Matthaei evangelium[4].

*Phronesis.* In prosequendo ordinem, quem incepi, non videtur mihi utile tractare solicite, quae virtus cui istorum vitiorum directe et plene opponitur, cum tam virtutes quam vitia sunt connexa, et unum vitium secundum unam rationem virtuti opponitur, aliud autem secundum aliam; ideo potest dici, quod utraque istarum virtutum opponitur vitio irae secundum disparem rationem. Hoc tamen tenendum est ut fides, quod Christus secundum omne genus virtutum fuit summe ut fons[5] plenitudinis virtuosus, et per consequens non fuit secundum aliquem gradum peccato iracundiae irretitus. Unde de illo testatur Petrus 1 Petr. ii., quod 'Christus passus est pro nobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore ejus, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste, quia ipse peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus, cujus livore sanati estis[6].' Majorem mititatem nemo posset ostendere quam quod persona omnipotens, quae levi cogitatione posset omnes hostes suos, si vellet, prosternere, eorum injurias tam verbo quam opere ita humiliter sufferebat. Nec dubium quin causa quare sic fecit, fuit ut daret exemplum posterioribus membris suis, ut taliter patiantur. Quae patientia plus florebat[7] in suis apostolis et carioribus ejus[8] discipulis: nunc autem quasi omnino alienata est haec Christi imitatio, quia lex ejus et suum consilium quasi totaliter exulavit. Unde ipse prophetans istud exilium narrat suis filiis, quomodo praelia et opiniones praeliorum[9] sunt multipliciter audituri. Et tamen non obstantibus istis, religiosi privati qui videntur esse aliquid[10], dicunt tacite[11] quod observant legem evangelii et docent illam efficaciter etiam[12]

Christus patientiae exemplum perfectissimum exhibuit.

[1] consuluit] consuluit Matth. v., ed. pr. [2] velit] vult, B. primae manus, ed. pr. [3] praebe] da, D. [4] ut testatur Matthaei evangelium] om. D. ed. pr. [5] summe ut fons] ut fons summae, A.C. [6] relinquens exemplum—sanati estis] verba loci 1 Petri ii. 21—24, om. ed. pr. [7] florebat] floruit, ed. pr. [8] ejus] om. ed. pr. [9] praeliorum] bellorum, C.; cf. Matth. xxiv. 6. [10] cf. Gal. ii. 6. [11] tacite] cante, D. [12] etiam] om. A.B.C.

diligentius et subtilius quam fecerunt apostoli; sed factum istorum hypocritarum docet manifeste suum mendacium. Quaecunque ergo virtus quae temperat hominem ad mitigandum passiones iracundiae, potest dici sibi opposita, sive fuerit patientia sive mititas vel alia virtus nominanda. Unde patientia vocatur virtus cum tranquillitate animae injurias tolerandi; et mititas vocatur virtus a vindicatione illicita propriae injuriae abstinendi; et utraque opponitur iracundiae. Et potest divisio harum virtutum capi penes causam et poenam injuriae patiendi, ut aliter passus est martir immediate pro Christo, et aliter injuriatus a proximo, omnes tamen qui patiuntur virtuose ab aliquo, patiuntur pro amore Christi et defensione passiva suae justitiae. Latrones autem secundum *Augustinum* et alii malefici durius puniuntur[1], quibus tamen[2] causa non valuit, ideo non ex hoc solummodo sunt laudandi, sed assistente contritione operis perpetrati et durante usque ad finem vitae, videtur mihi quod laudabiliter finierunt[3] vitam suam. Sed raro hominibus in scelere induratis hic finis evenit. Et moveret multum ad detestationem peccati iracundiae et conservationem patientiae, quod videtur iratum in Dei dominium blasphemare. Deo quidem est proprium de injuriis commissis in eum[4] vindicare, ideo quicunque vitiose prorumpit in iram, praesumit vindictam quae Deo est propria, et per consequens sic blasphemat. Ideo ait fides scripturae: 'mihi vindicta et ego retribuam[5].' Fides etiam de Dei omnipotentia moveret[6] suos filios ad hoc idem, cum ex fide credimus quod ex Dei omnipotentia subterfugi non potest quaecunque injuria, quin a Deo ad regulam vindicetur. Fides etiam docet Dei filios, quod humiliter reservando Deo vindictam, potest inimici crudelitas mitigari. Et quomodocunque sit de hoc, certi sumus ex fide, quod patiens non potest a praemio largo deficere: ideo tam ratio quam fides evangelii condemnant taliter iracundos. Et hinc Christus docet suos apostolos Luc. xxi. 'in patientia (inquit) possidebitis animas vestras[7].' Nemo enim sedet securius in vita beata, quod sonat verbum possidendi, quam illi qui pro Christo mortem

Patientia et mititas distinguuntur.

Quae rationes patientiam suadeant.

[1] puniuntur] patiuntur, C., B. primae manus, ed. pr. [2] tamen] cum ed. pr. [3] finierunt] finiunt, B. primae manus, ed. pr. [4] eum] taliter, ins. ed. pr. [5] cf. Deuteron. xxxii. 35; vindictam, A.B.C. [6] moveret] moneret, ed. pr. [7] possidebitis animas vestras] vestra, om. A.B.C.

humiliter patiuntur. Illi autem qui contendunt[1], qui pugnant vel subterfugiunt hanc patientiam, vecorditer fini ambiguo se exponunt. Et sic exemplum, ratio et autoritas animarent fidelem ad se exponendum martirio; sed diabolus tantum excaecat homines amore carnis et seculi, quod vix unum invenies quin praevaricetur in primum mandatum decalogi. Sciunt enim pro levi bono fortunae vel seculari dominio suam injuriam vindicare, sed pro vindicanda Dei injuria sunt vecordes, cum nimis[2] pauci audent Dei injuriam, secundum legem scripturae[3], antichristi discipulis reserare. Quomodo ergo tales vindictam caperent pro Dei injuria vel pro defensione justitiae paterentur? Ideo cum omnes viantes debent esse Christi milites, patet, quam multos eorum vecordia condemnabit[4], cum timor amissionis temporalium, amicitiae mundanae, et timor fragilis boni corporis nimis multos faciunt infideles, vel detegendo[5] causam Dei vel stando pro ista viriliter, vel mortem, si oporteat, patiendo. Unde luciferina est excusatio, qua hypocritae moderni dicunt, quod non oportet hodie, sicut in primitiva ecclesia, pati martirium, quia nunc omnes vel major pars conviventium sunt fideles, ideo non superest tyrannus, qui prosequatur contra Christum usque ad mortem membra ejus; et haec ratio, quare hodie non sunt martires sicut olim. Sed certum est, quod a diabolo adinvenitur haec excusatio in peccato, cum fidelis[6] stando pro lege Christi, sicut ejus miles[7], omnia a satrapis pateretur[8], ut dicat homo papae et cardinalibus, episcopis et praelatis aliis constanter, quomodo ex fide evangelii injuste ministrant Deo in suis officiis, et faciunt periculosam injuriam suis subjectis; et statim de interemtione[9] sua vel uno modo vel alio providebunt. Et conformis est ratio de dominis temporalibus et aliis, sed non tanta, quia 'abhominatio desolationis[10]' incipit a clero perverso, sicut a clero converso consolatio fuit orta. Et sic non oportet nos Christianos visitare paganos pro ipsis convertendis vel[11] martirio subeundo,

Martyrium nostra etiam aetate piis subeundum esse.

[1] contendunt] concedunt, ed. pr. [2] nimis] minus, ed. pr. [3] secundum legem scripturae] secundum fidem, alias legem scripturae, ed. pr. [4] condemnabit] condemnavit, ed. pr. [5] vel detegendo] ut protegendo, A.; ut tegendo, B.C. [6] fidelis] fideles, ed. pr. [7] miles] milites, A.B.C. [8] pateretur] paterentur, A. [9] interemtione] proprie 'interemptione;' internitione, ed. pr. [10] cf. Matth. xxiv. 15. [11] ipsis convertendis vel] ipsis convertendo vel, A.; istis convertendis cum, ed. pr.

sed praedicemus constanter legem Christi, etiam praelatis Caesariis, et statim aderit florens martirium, si in fide et patientia perduremus.

## CAP. XVI.

*Accidia sive desidia.*

Quomodo desidia medium teneat inter peccata mortalia.

*Alithia.* Video, quod mundus[1] est in maligno positus per peccatum, sed super unum mussito, cum tractares jam proximo de accidia, desidia[2] vel torpore. Videtur mihi mirabile, quomodo hoc peccatum tenet medium inter haec septem mortalia, specialiter cum peccatum omissionis sit primum omnium, tam quo ad consequentiam quam quo ad tempus; cum sequitur, si quis[3] peccat, omissione peccat, cum non potest esse quod creatura peccet nisi omittat positivum[4] servitium debitum Deo suo, cum debet servire Deo suo[5] in gratia, quam extinguit.

*Phronesis.* Considero parvum fructum jacere in istis. Sed quia adversarius noster Pseustis de mutitate nostra gauderet, aliquid est dicendum. Considero in primis, quod erras in isto, reputans accidiam peccatum omissionis, cum sit peccatum commissionis, licet ad illud sicut ad quodcunque factum culpabile omissio consequatur, cum accidia sive pigritia sit quiescentia culpabilis in aliquo citra Deum. Tenet autem vitium istud sic medium; cum superbia, ut dictum est, sit praesumptuosa exaltatio creaturae peccabilis de se ipsa, ad ipsam consequenter sequitur invidia atque ira, et necesse est quod ad haec tria torpor in Dei servitio consequatur, cum nihil magis enervat spiritualem potentiam quam peccatum, nec ad sapiendum coelestia magis hebetat appetitum, ideo necesse est, quod haec tria peccata sequatur accidia; et cum sequitur ad tria peccata[6] sequentia, certum est, quod istud peccatum est medium inter duos ternarios maledictos, sicut olfactus est medium inter duos binarios sensus

[1] mundus] totus mundus, ed. pr.; cf. 1 Joh. v. 19. [2] desidia] om. ed. pr. [3] si quis] cum quis, A. [4] positivum] positum, A.B.C.; potissimum, ed. pr. [5] cum debet servire Deo suo] om. B. primae manus, ed. pr. [6] sequitur ad tria] sequuntur alia tria, A.B.C.

extrinseci, quodammodo conveniens cum utroque. Et per haec patet responsio ad tuam argutiam, concedendo[1] quod peccatum omissionis est primum omnium peccatorum, tam tempore quam natura. Verumtamen ad istud peccatum convertibiliter sequitur accidia et multa alia peccata, sed decet quod species peccatorum peccatum omissionis habeant tanquam causam. Nec sollicitor, si peccatum accidiae sit causa superbiae et cujuscunque peccati alterius, cum dicitur communiter, quod haec septem crimina sese causant. Enumerantur autem[2] communiter sedecim, quae accidiam tanquam species vel convertibilia[3] consequuntur, quae sunt tepiditas, mollities, somnolentia, otiositas, dilatio, tarditas, negligentia, imperfectio vel imperseverantia, remissio, dissolutio, incuria, ignavia, indevotio, tristitia, taedium vitae, desperatio. Est autem *tepiditas* parvus amor boni, amore Dei postposito. Et est prima radix accidiae vel convertibilis cum eadem. Ex ista autem nascuntur species aliae consequentes, sic quod, correspondenter ut creatura peccabilis inordinate afficitur creaturae, sic sunt species accidiae capiendae, cum accidus quiescit[4] in amore indebito creaturae. Unde talis cupiditas, cum sit propinqua hypocrisi, vomitum provocat spiritualem. Sicut enim sunt[5] exhalationes calidae commixtae cum frigido aqueo in aqua tepida, quae provocant ad vomitum, sic sunt in hypocrisi[6] quaedam operationes bonae de genere commixtae cum peccato hypocrisis. Et ideo Apocal. iii. dicitur: 'quia neque calidus es neque frigidus sed tepidus, incipiam te evomere de ore meo.' Nihil enim tam[7] provocat Deum, qui est Veritas, ad abhominationem peccantis, sicut hypocrisis, quae est simulatio sanctitatis. Omnis ergo accidus, sicut omnis peccator, peccat in hypocrisi, cum false simulat sanctitatem; et ista tepiditate inficitur totus mundus. Ex hoc enim causatur quaecunque pigritia vel delectatio creaturae rationalis indebita, quia, si haberet amorem in Deo satis intensum, torporem illum excuteret, et perfecte amando Deum sibi debite deserviret. Et cum peccatum quodcunque causatur in tepiditate dilectionis, patet

De tepiditate cum desidia conjuncta.

[1] concedendo] concedo, B. ed. pr. [2] autem] om. B. ed. pr. [3] vel convertibilia] om. A., C. primae manus. [4] quiescit] quiescat, ed. pr. [5] sunt] om. A. [6] hypocrisi] ypocrita, D. [7] tam] tantum, D.

quod incuria, hoc est parvipensio vel non curatio legis Dei, et peccatum quodcunque actuale ad illam consequitur. Ubi quaeso est major ingratitudo, quam amorem terminare finaliter in creatura abjecta, et Deum, quem maxime debemus omnes diligere, non solum non diligere sed odire? Qui enim sic blasphemat in Deum, tradendo creaturae dilectionem quae Deo propria est, nimis ingratus est et blasphemus idolatra, et sic facit qui subtrahit[1] Dei servitium, serviendo indebite creaturae. Nam fides scripturae et vivax ratio dictat[2] nobis, quod subducto otio debemus continue servire Deo. Nam sicut avis nascitur ad volatum, sic homo ad laborem, et hinc positus est in paradiso, ut operaretur illud, sicut dicitur Genesis ii. Si ergo beati angeli damnarentur, nisi servirent continue et debite Deo suo, quod privilegium excusaret nos miseros, si subtrahamus servitium Dei nostri, cum terrenus dominus ad[3] instar Dei punit acute pro subtractione sui servitii? Ideo otiositas in Dei servitio est vorago subtilius devorans otiantem. Nam sicut plus continue incurrit magis debitum, sic continue est profundatus in crimine, et impotentior ad satisfaciendum. Unde diabolus non habet medium in homine magis aptum, quam quod videat[4] ipsum in Dei servitio otiosum. Et hinc diabolus Evam solam et quodammodo otiantem aggreditur ad tentandum. Et sunt quo ad istam sententiam multae concordantiae in scriptura, et multa consilia[5], ut: 'quodcunque potest manus tua, instantius opereris[6].' Unde etiam dicitur Ezech. xvi. quod haec fuit iniquitas Sodomae, saturitas panis abundantia vini et otium[7]. Et hinc Christus tam crebro monet suos discipulos vigilare. Cum enim natura naturaliter operativa naturaliter appetit operari, dum deest operatio debita, potest de facili ad operationem indebitam inclinari, et si sapiat quidquam indebitum, transit ex usu consuetudinis in delectabile. Ideo dicunt philosophi, quod usus est altera natura, unde[8] prudentia applicationis ad opus debitum est maxime attendenda, et specialiter ut dictum est, ut in omnibus operibus

Otiositas in causa Dei culpanda.

[1] subtrahit] subtrahit sibi, ed. pr. [2] dictat] dictant, C., B. primae manus, ed. pr. [3] ad instar] instar, ed. pr. [4] videat] viderat, ed. pr. [5] consilia] similia, B.; consimilia, ed. pr. [6] instantius opereris] instanter operare, A.B.C.; cf. Ecclesiastes ix. 10. [7] saturitas—otium] om. ed. pr. [8] unde] unde de, ed. pr.

nostris honorificetur Deus, et sic ut intentio, oculus[1] animae, maneat semper simplex. Necessarium quidem est nobis, ut habeamus spiritum consilii atque scientiae, quid et qualiter est agendum, cum multi turbantur in animo propter defectum ordinis operandi non solum opus corporis sed praecipue opus mentis. Et hinc est quod in religionibus privatis praelati qui saepe Spiritui sancto resistunt, ex sua dominativa prudentia subditos saepe confundunt, et hinc domus tales privatae sunt communiter nidus diaboli, quia ut dicitur Matth. xii. 'immundus spiritus cum exierit ab homine' sic religioso acute in Dei servitio vigilante[2], 'ambulat per loca arida' secularium, et non occurrente tentatione ad votum[3], 'dicit ad se ipsum, revertar ad domum meam unde exivi,' et inveniens eam 'vacantem et scopis mundatam,' facit eam generationem pessimam, et hoc propter otium sive accidiam cultus Dei ex[4] sapientia limitati. Quae rogo est prudentia hominis, ut praesumat regulariter subvertere istum cultum?

## CAP. XVII.

*Virtus accidiae opposita.*

*Alithia.* Dic quaeso de virtute peccato isti contraria. Videtur enim, quod propter amplitudinem peccati non est aliqua[5] specialis virtus sibi opposita, cum contingit hominem esse accidum in quocunque genere operandi, et a modestia debita deviare, ut operatio[6] non potest isti peccato in toto suo ambitu[7] esse contraria, cum multi torpent in opere et quolibet genere quo servirent.

Quae virtus desidiae proprie opposita sit.

*Phronesis.* Non expedit tractare de virtute adaequati ambitus cum hoc peccato, sed satis est, quod[8] aliqua virtus imo omnis virtus est sibi contraria. Audivi tamen virtutem quandam theo-

[1] oculus] ut oculus, B. primae, C. secundae manus, ed. pr.; vel oculus, D.
[2] vigilante] vigilanti, B. ed. pr. [3] votum] mutum, A. [4] ex] om. B. primae manus, ed. pr. [5] aliqua] om. A.B.C. [6] operatio] oratio, A. secundae manus, C. ed. pr.; omnino, B. [7] ambitu] habitu, D.
[8] quod] cum A.B. secundae manus, C.

Virtutem theosebiae i. e. pietatis, qua Deo strenue serviatur, in ecclesia desiderari; in primis in pontifice Romano;

sebiam nominatam, quam quidam dicunt esse[1] directe et adaequate peccato isti contrariam, cum sit virtus Deo debite serviendi, et hoc vitium est peccatum, quo a servitio Dei inordinate subtrahimur[2]. Et sicut hoc vitium, sic haec virtus est in ecclesia satis ampla, cum[3] a sacerdote summo usque ad laicum infimum omnes subtrahuntur[4] a servitio debito Deo suo, ut omnis sinistra perversio ordinis serviendi Domino cadere potest in hoc vitium. Et ut incipiam a minera, probabiliter ponitur quod Romanus pontifex sit praecipuus antichristus; ipse enim false fingit, quod sit immediatissimus et simillimus in vita vicarius Christi, et per consequens quod sit[5] viator humillimus, homo pauperrimus, et a mundo ac[6] negotiis secularibus maxime distinctus[7]. Sed quid falsius[8] blasphemat in primam veritatem, cum sit communiter in summo gradu peccati oppositi? Et sic intelligunt quidam dictum Christi Matth. xxiv.: 'et cum videritis abhominationem desolationis stantem[9] in loco sancto etc., quae dicta est a Daniele propheta; qui legit intelligat[10].' Cum autem mos sit scripturae saepe abstractum pro concreto intelligere, et Veritas magis abhominatur hujusmodi antichristum, consonum videtur, quod ipse[11] vocetur[12] abhominatio in abstracto, cum ipse pertinaciter vendicat[13], quod in quantum statum illum occupaverit, taliter conversetur. Vendicat enim ex dotatione Caesarea esse[14] maxime dominativus et ditissimus homo mundi. Sed quid Christo pauperrimo magis contrarium? cum ipse testatur Matth. viii., quod non habet humanitus in proprio seculariter tantum de possessione civili, ubi caput proprium reclinaret. Ideo apostolus docet 2 Cor. viii., quod Christus factus fuit[15] pro nobis egenus et inops, et cum Christi egentia perfectionem sonuerat, manifestum est, quod nemo taliter poterat esse plus egenus. Quomodo ergo talis antichristus dicitur simillimus vicarius Jesu Christi? Et ex hoc patet, quod non sit humillimus, sed vicarius regis

[1] esse] om. A. [2] subtrahimur] subtrahuntur, C.; subtrahitur, D. ed. pr. [3] cum] tum, ed. pr. [4] subtrahuntur] subtrahunt, ed. pr. [5] quod sit] sic, ed. pr.; sit, A.B.C. [6] ac] ac a, ed. pr. [7] distinctus] distractus, ed. pr. [8] falsius] falsus, ed. pr. [9] stantem] sedere, A.B.C. [10] desolationis—intelligat] om. ed. pr. [11] ipse] ipsa, C. [12] vocetur] sit, A.B.C. primae manus. [13] vendicat] sibi vendicat, ed. pr. [14] esse] om. ed. pr. [15] factus fuit] fuit, A.B.C. ed. pr.

superbiae summe elatus. Et quo ad negotia secularia, patet[1], quod in manu sua est fons plenissimus hujus fori. Christus tamen negavit Lucae xii., se esse judicem aut[2] divisorem super duos fratres, ubi negotium fuit minus ac satis modicum mundiale, quia dividere in clero nostro secundum legem jam currentem dignitates Caesareas est[3] officium plene diabolicum. Et ex istis nimirum infertur, quod ecclesia militans sit per istum hypocritam nimium desolata; nam consolatio, quae debet esse ad vivendum modo Christi, et secundum vitam contemplativam appetere bona coelestia, est extincta. Et cum istud periculum sit tam nocivum ecclesiae, Christus nimirum praecipit, ut qui legit intelligat, et indubie postquam intellexerit, caritative usque ad mortem detegat, quia aliter Deus daret sibi de hoc *superflue* intellectum, et ipse damnabiliter absconderet talentum dominicum.

Et post istum magnum antichristum succedunt antichristi minores, ut praelati Caesarei, qui satis deserunt officium quod Christus eis instituit, et in alio officio secundum aliam legem exsudant[4], quia secundum *Augustinum* illud psalmi[5]: 'Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant, quoniam homines sunt,' de antichristo intelligitur. Et sic ubi Christus ter sub obtentu suae dilectionis Petro et suis successoribus instituit, ut *pascerent* oves suas, talis antichristus in lege sua limitat, ut *depascant* contrarie oves Christi. Quod si volueris experiri, nota vitam Christi et apostolorum officium, et vide quam contrarie nostri praepositi hos sequuntur. Nam praedicationis officium est proscriptum, et officium spoliandi subditos est inductum. Sed pseudofratres non minus false atque sophistice dicuntur pro episcopis supplere istud[6] officium, et sic ecclesia undique est decepta. Et breviter attendat homo ad praxim, regulam[7] et leges antichristi, et videbit quod undique sint contrariae officio et legibus Jesu Christi. Nec dubium, quin in aliis duabus partibus ecclesiae, scilicet militari brachio atque popularibus, rectum Christi officium est perversum, cum pene omnes damnabiliter consentiunt antichristo; haec ergo haeresis inficit matrem nos-

deinde in praelatis Caesareis.

[1] patet] magis patet, ed. pr. [2] aut] ac, D. [3] est] et, ed. pr. [4] exsudant] exudant, B.D.; exundant, ed. pr. [5] Ps. viii. A.B. Ps. ix. B. ed. pr.; est versus 21 Psalmi noni. [6] istud] illud, A.C. [7] regulam] modernam regulam, C. secundae manus; modernam, omissa voce regulam, D. ed. pr.

tram. Virtus tamen peccato isti contraria servatur ad regulam in triumphante ecclesia, cum omnes ibi diligunt se caritative reciproce, et specialiter prosunt in spiritualibus ecclesiae militanti. Et cum Moyses debet facere omnia secundum quod in monte hoc sibi monstratum est, ut dicitur Exod. xxv., patet quod praelati nostri in spiritualibus prodessent praecipue subditis suis, sicut angeli ecclesiae triumphantis. Sed *Jordanis* conversus est retrorsum, cum labor et sollicitudo circa gravia et vana[1] temporalia sunt dejecti, et per consequens plena et periculosa haeresis pullulat in ecclesia militante, cum debemus ex fide omnem sollicitudinem in Christum projicere retrorsum, projicimus e contra totam sollicitudinem nostram in terrena. Et cum *factum* nostrum imponit realius sensum[2] scripturae, quam *vox* nostra transitoria, patet, quam[3] plures praelati sunt manifesti haeretici ex defensione reali pertinaci, qua contrariantur isti[4] scripturae fidei sancti Petri: 'omnem sollicitudinem vestram[5] in ipsum[6] projicientes.' Et patet, quod plures sunt reales haeretici quam verbales. Et patet in parte, quomodo infideliter a servitio Dei distrahuntur[7], per versutias antichristi, cum totus mundus et specialiter clerici laborant per energuminos energia[8] carnis et seculi, labore[9] circa coelestia praetermisso. Sed hic objicit adversarius noster Pseustis: videtur (inquit) quod omnes creaturae serviant[10] Deo suo, et supponit secundum *Augustinum*, quod oportet omnem hominem servire Deo, vel faciendo[11] quod debet, vel patiendo quod debet. Si (inquit) aliqua creatura servit Deo indebite, hoc foret potissime in damnatis, sed illi sine accidia serviunt potissime Deo suo, ergo omnis creatura alia; quante enim patiuntur tante serviunt, sed justissime, acutissime et instantissime[12] patiuntur, ergo serviunt sic Deo suo[13]. Et cum impossibile sit viantem peccare, nisi ex poena inflicta a Deo scitissime[14] puniatur[15], videtur quod idem sit judicium de

[1] et vana] et bassa, alias vana, ed. pr.; *bassa*, D. primae, *vana*, D. secundae manus; ceteri libri manu scripti habent *vana*. [2] sensum] censum, B. [3] quam] quod, C. [4] isti] rectae, ed. pr. [5] vestram] om. ed. pr. [6] ipsum] eum, ed. pr.; cf. 1 Petr. v. 7. [7] distrahuntur] distrahitur, B.C. ed. pr. [8] energia] inergia, Codd. MSS. [9] labore] laborare, ed. pr. [10] serviant] serviant debite, ed. pr [11] faciendo] faciendo Deo, ed. pr. [12] instantissime] institutissime, ed. pr. [13] Deo suo] om. B.D. ed. pr. [14] scitissime] statissime, A. secundae manus, B.C.D. ed. pr. [15] puniatur] patiatur vel puniatur, D.

quolibet peccatore[1]. Sed tolerare possumus, quod hic Pseustis sic serviat Deo suo; sed ad elidendum suam superbiam sciat, quod tam criminosi in via quam damnati poena perpetua nimis injuste atque indebite serviunt Deo suo; nam punitio sive damnatio est ex parte *sua* injusta, et quantum ad institutionem generalem humani generis satis indebita, sed quantum ad Dei justitiam et reatum innaturalem peccantis dicitur esse justa et satis debita, nec est[2] inconveniens sed verum, quod idem sit[3] justum et injustum secundum disparem rationem.

## CAP. XVIII.

### *Avaritia.*

*Alithia.* Prosequere de peccato avaritiae, et dormiat Pseustis noster, quia certa sum ex fide, quod potentes et specialiter praelati Caesarei, vicarii antichristi potenter tormenta patientur, et sic servitus sua erit potens, parata et justa modo quo superius declarasti. Sed mussito, quomodo apostolus dicat I Tim. vi.: 'quod radix omnium malorum est cupiditas,' cum initium omnis peccati sit superbia. Et juxta tua dicta superius, peccatum omissionis est primum omnium[4].

**Qua ratione avaritia sive cupiditas malorum omnium radix esse dicatur.**

*Phronesis.* Quantum ad dictum apostoli, videtur mihi, quod intelligit[5] mala militantis ecclesiae, cujusmodi malum fuit in pseudapostolis pro suo tempore, et futurum in malis praelatis ac falsis fratribus quos etiam prophetavit; et posset dici, quod extendit cupiditatem ad cupiditatem illicitam tam temporalium quam honoris, quasi diceret: 'radix omnium malorum in ista praesenti et futura ecclesia est dicta infamis cupiditas;' ipsa[6] enim convertitur cum[7] superbia, cum nemo superbit nisi qui cupit inaniter nomen suum. Et omnino ante quam subrepsit

[1] peccatore] peccatorum, ed. pr. [2] nec est] et nec est, B. primae manus, ed. pr. [3] sit] est, A.B.C. ed. pr. [4] omnium] omnium peccatorum, A.B.C. [5] intelligit] intelligat, ed. pr. [6] ipsa] in ipsa, ed. pr. [7] cum] cum sua, ed. pr.

haec radix mala intra ecclesiam, fuit talis cupiditas in diabolo et primo homine, et sic impugnabiliter etiam a Pseuste dicit apostolus, quod radix omnium malorum in ista ecclesia est infamis cupiditas. Nec movet duplex objectus, quem[1] objicis, cum talis cupiditas vel convertitur cum superbia vel ipsam includit ut genus. Nec obest peccatum signatum in nostra ecclesia habere radicem duplicem, propinquiorem sicut superbiam, et distantiorem sicut omissionem in genere.

Avaritiae natura

Sed quantum ad avaritiam, potest dici quod ipsa descriptive ad nostram intentionem est inordinatus amor temporalium; et intelligo temporalia, ut sunt vulgariter intellecta, scilicet pro omni terrena substantia, quae potest esse de possessione hominis. Intelligo etiam per temporalia habitudines respectivas in rebus terrenis fundatas, quas homo irrationabiliter appetit[2], sicut dominia et honores mundanos, quae[3] ex possessione talium oriuntur. Et tunc patet ratio descriptionis et detestatio hujus criminis cum declaratione in suis partibus subjectivis. Inter omnia namque peccata avaritia habet plus irrationabilitatis et elongationis[4] a Deo, et hinc cum succensa fuerit, ardet diutius ex proprio fomento. Terra quidem et terrena sunt corpora maxime opaca, a[5] coelo situaliter magis distantia, et magis extranea ut satient hominis appetitum. Et sic discipuli Christi vendentes sua temporalia posuerunt eorum pretia ante pedes apostolorum, ut legitur[6] Act. iv., ac si in facto dicerent, affectio temporalium debet pedibus animi h.e. appetitibus conculcari. Et hinc legitur apostolos sparsisse pulverem suorum pedum, quando perceperunt taliter[7] obstinatos. Multi quidem reliquerunt legem Domini propter affectionem indebitam, quam habent in temporalibus prosperari. Ideo ad denotandum, quod apostoli non cupierunt temporalia sui auditorii sed[8] se ipsos, in sua separatione ab eis, pedum pulverem resperserunt[9]. Et utinam pseudofratres sic facerent hodie in effectu! Cum ergo temporalia a Deo maxime elongantur, et in eo solum est naturalissimum mentem finaliter quietari, patet

summopere detestanda.

[1] quem] quomodo, C.; quando, B. ed. pr. [2] appetit] respicit, B. secundae manus. [3] quae] quia, D. [4] irrationabilitatis et elongationis] irrationabiliter relongationis, ed. pr. [5] a] et, ed. pr. [6] legitur] loquitur sanctus Lucas, A.B.C. [7] taliter] causaliter, B. primae manus, ed. pr. [8] auditorii, sed] auditione habet, ed. pr. [9] resperserunt] disperserunt, A.

quod innaturale est, quod mens hominis temporalia sic indebite concupiscat. Et haec ratio ponitur communiter, quare appetitus avari est insatiabilis tanquam hydropici[1], cum non potest in possessione vanorum temporalium satiari, sed quantumcunque de illis habuerit, appetit bonum infinitum superius[2], Deum suum. Ideo dicit *Augustinus*: 'creasti me, Domine, ad te, et inquietum est cor meum donec requiescat in te[3].' Nec est possibile ante hoc animam satiari, ideo in psalmo dicitur: 'satiabor cum apparuerit gloria tua[4].' Cum, inquiunt doctores, anima humana sit sublimior et purior coelo empyreo[5], exaltari debet magis a terrestribus in affectione, quam exaltantur[6] coeli a terra in locatione. Non ergo faciat avarus per suam cupidinem istud monstrum, ut faciat hoc coelum ad similitudinem Dei factum tam innaturaliter terrestribus adhaerere; nam quantum in ipso est, cum Deus habitare[7] debeat in munda anima, ut speciali habitaculo, culpabiliter dislocat Deum suum, et naturae regulas conatur subvertere. Unde dicit *Bernhardus*, cum anima sit spirituale coelum, respectu cujus coelum materiale dicitur desertum, Lucae xv.[8], pro quo coelo spirituali redimendo Dominus dignatus est mori, quanta ergo perversitas naturae foret implere hoc coelum terrae phantasmate, et supercumulare terrena phantasmata superflue super ipsum. Ad illud[9] valent multa vae, quae scriptura imprecatur avaris, et multa mala quae ex peccato isto proveniunt. Certum quidem est, quod Scarioth propter avaritiam vendidit Salvatorem; sic[10] mercantes simoniace, raptores, perjuri, homicidae, usurarii, et omni genere vitii irretiti. Omnes enim tales pro affectione indebita temporalium sunt seducti, et major pars falsorum viantium ex affectione indebita temporalium trahit[11] originem plus vel minus, ut patet de false mercantibus in foro communi, de falsis simoniacis et[12] multis aliis generibus peccatorum. Unde sicut Simon magus[13], sic Scarioth sunt duces notabiles, ducentes secum magnum exercitum hominum

[1] hydropici] ydropici, Codd. MSS. [2] superius] supernis, ed. pr. [3] te] terris, ed. pr.; cf. Confession. I. c. 1. [4] cf. Ps. xvii. (xvi.) 15. [5] empyreo] Codd. MSS. habent empireo. [6] exaltantur] exaltentur, A.B.C. [7] habitare] inhabitare, A.B.C. ed. pr. [8] Luc. xv.] Luc. xii., A.B. [9] illud] id, ed. pr. [10] sic] sicut, D. ed. pr. [11] trahit] traxit, A.B. [12] et] etiam, A.B. [13] Simon magus] simoniacus, A.C. primae manus.

avaritia seductorum, sicut patet malitias hominum particulariter deducenti. Ideo non oportet pro detestatione hujus criminis ulterius laborare.

## CAP. XIX.

*Virtus avaritiae opposita.*

Utrum liberalitas an misericordia an congruus Dei amor avaritiae opposita sit.

*Alithia.* Dic nobis de virtute huic vitio opposita; et quia videtur aliquibus, quod illa virtus sit liberalitas, aliis autem, quod[1] sit corporalis misericordia, et aliis quod sit congruus amor Dei, ideo dic nobis rogo, quae istarum sententiarum tibi videtur probabilior in hac parte.

*Phronesis.* Dixi tibi saepius, quod volo tractatum istorum tam inutilem vobis relinquere. Scio quidem quod quaelibet istarum[2] trium[3] virtutum, imo quaelibet virtus habeat[4] aliquam rationem, avaritiae hominum[5] et vitio cuilibet resistendi. Unde pro contrarietate hic signanda et in suis similibus potest dici, quod sicut avaritia est inordinatus amor temporalia possidendi, sic virtus sibi opposita est ordinatus amor temporalibus usitandi, qui consistit in hac regula, quod quicunque secundum illam mensuram optet temporalia, secundum quam mensuram sibi proficiunt ad aeterna[6], et caveat ne sua affectio sit nimis in temporalibus profundata, sed conetur acquirere beatitudinem cum parco usu temporalium, cum taliter fecit Christus cum suis apostolis indubie virtuose. Quia licet temporalium affluentia laudabiliter posset haberi, ut patet de patribus legis veteris et multis in lege gratiae, laudabilius tamen et securius est servare Christi regulam, cum magister optimus illam dedit. Ideo signanter dicit apostolus 1 Tim. vi.: 'Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium nec aliquid inde auferre possumus; habentes igitur alimenta et quibus tegamur, his contenti simus[7].' Nec video quin omnes clerici sint ad istam religiosam et benedictam regulam

[1] quod] om. ed. pr. [2] istarum] harum, ed. pr. [3] trium] om. ed. pr. [4] habeat] habet, ed. pr. [5] hominum] homini, ed. pr. [6] aeterna] terrena, B.C.D. [7] in hunc mundum—contenti simus] om. ed. pr.

strictius obligati, quia quod amplius est, nedum a malo est, sed sapit avaritiam et exponit cupidum periculo spirituali. Nam quid valet illud quod superest, cum non prodest corpori mortuo in sepulchro nec animae, nisi de quanto sibi proderit ad meritum sive virtutem?

*Pseustis.* Video quod allegas scripturam antiquam corruptam[1] atque falsissimam et dotationi approbatae contrariam; quis enim dubitat quin falsum sit, quod nihil intulimus in hunc mundum, cum certum sit, quod omnes potentias animae nostrae non organicas, et per consequens virtutes naturales intulimus in hunc mundum? Quam falsum ergo est quod nihil intulimus! Et evidentius falsa est *secunda* particula textus apostoli quam allegas, scilicet, quod non dubium nihil inde[2] auferre possumus[3], tum quia potentias naturales animae auferre possumus de hoc mundo, in quibus secundum tuum arbitrium praemiabimur[4], vel si nostrum demeritum exiget, puniemur[5], tum etiam quia secundum fidem nostram 'opera illorum sequuntur illos[6],' et sic merita sive demerita auferre possumus de hoc mundo. Et quo ad *tertiam* particulam textus apostoli, quod habentes alimenta et tegumenta[7] de illis debemus ad maximum contentari, quis dubitat quin verbum illud sit insipidum et incultum, *primo* quia de naturalibus potentiis animae et de habitibus eis insitis debemus amplius contentari? Quis dubitat quin verbum illud *secundo* sit falsum, quia de meritis nostris, quae non sunt alimenta vel tegumenta, debemus contentari[8]? *Tertio* quia, cum alimenta ista et tegumenta non sint nobis finale praemium, non debemus ante executionem illius praemii *finaliter* contentari. Et *ultimo*, cum nemo sit prudens qui nihil habet prae manibus quod ipsum non tegat vel nutriat, non debemus adaequate de illis alimentis et tegumentis in hoc seculo contentari. Quid rogo[9] valet illa corrupta sententia textus apostoli quam allegas?

Argutiae proferuntur;

*Phronesis.* Video quod captiose latitas ad impugnandum textum fidei scripturae quem non intelligis. Ideo primum discas

eaedem redarguuntur.

[1] corruptam] scripturam corruptam, C. secundae manus, ed. pr. [2] inde] om. A.B.C. [3] possumus] possumus de hoc mundo, A.B.C. [4] praemiabimur] praemiabuntur, ed. pr. [5] puniemur] punientur, ed. pr. [6] cf. Apoc. xiv. 13. [7] et tegumenta] om. A.B.C. ed. pr. [8] contentari] plurius contentari, ed. pr. [9] rogo] ergo, D.

sensum textus apostoli, et postmodum objicias quantum velis. Loquitur enim apostolus, sicut[1] pertinet suo proposito, de temporalibus adjacentibus homini in suo introitu[2] vel exitu de hoc mundo, sed dic, si nosti, quid de talibus temporalibus intuleris in hunc mundum? Numquid fuisti dives haereticus antequam fuisti natus de matris utero? Aut numquid congregabis tecum divitias in sepulchro? Intelligas igitur, idiota, de adjacentia temporalium, de quibus nihil intulimus in hunc mundum, sicut[3] nec cum spiritu nostro quidquam eorum auferre possumus de hoc mundo; et sic[4] pro tempore medio debemus pro alimentis et tegumentis adjacentibus contentari. Et quantum ad tuam triplicem argutiam debes verecundari quod non sit digna memoria. Sed in tertia replicatione quadruplici est tibi[5] color maximus, ideo ad illam per ordinationem respondebo. Sed ad ruborem tuum dicam in principio, quod uteris multis pictatiis[6] in textu apostoli, quando tibi deficiunt argumenta. Non enim dicit apostolus, quod debemus praecise *finaliter* vel *ad maximum* de istis bonis corporis contentari, sed specificat[7] per alimenta et tegumenta, quod de bonis fortunae nobis adjacentibus, quae sunt *bona minima*, debemus cum moderamine contentari, non negans, quin debemus contentari de *bonis mediis*, quae sunt bona naturalia, nec negans sed implicans, quod debemus etiam contentari et gaudere de *bonis maximis*, quae sunt bona gratiae et virtutis, et finaliter de Deo debemus maxime gratulari; sed quid hoc ad propositum sententiae assignatae? Et quantum ad *secundam* tuam argutiam, patet, quod currit sub eadem instantia frivola; sed non nocet. Et conformiter dicitur ad *tertiam* tuam pictatiam. Sed quo ad *ultimam*, quae habet colorem maximum, intelligo, quod prudens apostolus intelligit per alimenta cibum et potum, quae ad perficiendum opus meritorium sufficiunt viatori; ideo non dicit, quod debemus habere lauticias, vinum vel[8] edulium sumptuosum, sed alimentum quod nobis sufficiat ad merendum, non negans, quin in casu quo sit lautius et ad merendum expeditius, cum gratiarum actione debita debet sumi. Et sic, ut videtur

[1] sicut] illud, ed. pr. [2] introitu] interitu, ed. pr. [3] sicut] sic, A.C. [4] sic] om. A.B.C. ed. pr. [5] tibi] om. A., B. secundae, C. primae manus. [6] multis pictatiis] incultis picatiis, ed. pr. [7] specificat] specivocat, ed. pr. [8] vel] et, ed. pr.

mihi, intelligit subtilis apostolus per tegumenta necessaria pannorum genera et domorum, de quo binario debent omnes viantes[1] in suis gradibus contentari, ut viri perfecti apostolici, non habentes superfluitatem in cibariis sumptuosis vel etiam nimis multis. Et quo ad tegumenta in pannis, quod omnino non utantur[2] superfluis vel nimis sumptuosis, sicut apostoli qui fuerunt pro tempore[3] Christi de una tunica contentati, vocando tunicam pannum illum qui eminentius tegit corpus; nec habebant in domiciliis proprietatem domorum, et omnino carebant altis domibus, et ad onus proximi sumptuosis. In omnibus autem istis[4] excessibus laborant fratres, et specialiter quo ad excessivum numerum, quo ad sumptuositatem istorum, et[5] omnino quia fratres nec de labore corporis nec de aedificatione spirituali faciunt debitam reconpensam. Et conformiter dico tibi[6] quo ad dotationem ecclesiae, non enim video quin peccatum sapiat[7] cum ejus haereditatione propter multa mala quae exinde proveniunt. Non tamen video quin licet habere provisionem moderatam ultra necessitatem alimenti et tegumenti, dum tamen pure[8] per media licita sint[9] quaesita; hoc tamen raro vel nunquam evenit. Ideo Christus et ejus apostoli servaverunt summum gradum perfectionis. Ideo nota, quod apostolus non dicit quod *pure*[10] de alimentis et tegumentis sint singuli contentati, sed dicit quod de alimentis et tegumentis contenti simus[11], intelligentes non solum illa quae *de facto* alunt vel tegunt, sed illa, quae *de potentia* alunt vel tegunt, scilicet illa[12], quae debent in modico tempore de congruo sic[13] tegere vel nutrire, sic quod omnino caveatur acquisitio vel servatio culpabilis de eisdem.

[1] viantes] om. A.B.C. [2] utantur] utamur, A.B.C. [3] pro tempore] pro simul, D. ed. pr. [4] istis] om. B. [5] et] etiam, B. primae manus, ed. pr. [6] tibi] om. A. [7] sapiat] sapit, A., C. primae manus. [8] pure] praescise, *lege* praecise, ed. pr. [9] sint] sunt, ed. pr. [10] pure] praescise (praecise), ed. pr. [11] contenti simus] sint singuli contentati, A.B.C. [12] quae de potentia—scilicet illa] om. B.D. ed. pr. [13] de congruo sic] om. A.B.

## CAP. XX.

### *Gula.*

*Alithia.* Rogo nunc, frater Phronesis, ut de *gula* et ejus contrario procedas, servando eundem ordinem quem servasti. Miror tamen ex dictis tuis, cum coloras implicite, quod ecclesia ex hoc[1] peccavit quod dotationem accepit[2] et regulam Christi deseruit, cum habendo quodcunque dominium potest homo satis devote vivere et uti temporalibus satis parce.

Dotatio ecclesiae breviter perstringitur.

*Phronesis.* Placet servare hunc ordinem quem signasti. Sed in primis videtur mihi, quod nimis laxe et leviter capis sententiam quam praedixi. Non enim video vel suppono, quod *Silvester* vel quicunque alius accepit dotationem Caesaris perpetuam non peccando, quia licet illa persona peccavit leviter, dedit tamen stulte occasionem infirmis posterioribus plus peccandi, cum ante dotationem, quando viri apostolici fuerunt plus habiles[3] ad merendum, tenebantur, quantum tunc suffecerunt[4], ecclesiae promereri, et modo ratione dotationis sunt plus obligati et minus habiles[5], sequitur, quod stulte supra vires se ad proficiendum ecclesiae obligarunt. Sed stultitia insolubiliter stat in isto, quod ex hoc ad promerendum vel prodessendum ecclesiae se inhabilitant, et mandatum sive Christi consilium propter amorem temporalium vel eorum dominium reliquerunt; sed quae excusatio est in isto? Supponi autem potest, quod *Silvester* et sancti ceteri ante mortem de tali stultitia sunt contriti. Sed absit hoc credere, quod in conversando Christo vel suis apostolis erant pares, cum nemo debet sequelam eorum accipere, nisi de quanto choraulam[6] impeccabilem Christum ducem exercitus sequebantur.

Et quantum ad intentum[7] tuum de *gula*, videtur mihi in primis, quod taliter describi poterit, quod gula est inordinatus

[1] hoc] hoc non, A.B.C. [2] accepit] acceperit, A. [3] habiles] humiles, ed. pr. [4] suffecerunt] sufficerent, D. [5] habiles] humiles, ed. pr. [6] choraulam] libri MSS. habent *coraulam.* [7] intentum] injunctum, D. ed. pr.

appetitus sumendi cibaria. Et patet, quod homo potest esse quantumcunque famelicus vel nunquam vesci datis cibariis cum hoc quod ad illa cibaria sit gulosus. Gula enim per se consistit in appetitu vel[1] voluntate indebita, non in facto. Ad detestandum autem gulam militant rationes multiplices: *primo* naturale exemplum, quod homo exsuperat bestias in irrationabili appetitu, et sic videtur esse magis irrationalis bestiis appetitu; nam bestiae, quantumcunque de nascentibus terrae affuerit, moderate comedunt et tunc cessant, de aqua etiam bibunt temperate quantum eis profuerit, homo autem plus bestialiter in gastrimargia[2] est dilapsus, hoc est mergens in ventre putrido, tanquam castro, vescibile datum a Deo ad[3] profectum ecclesiae. Et sic homo evertit signa naturae, quia homo in comparatione ad alia animalia suae magnitudinis habet os minus secundum philosophos, ad docendum hominem, quod utatur vescibilibus amplius bestiis moderate; modo autem facit e contra. *Secunda evidentia* est, quia gulosus ut sic multipliciter committit injurias: contrariatur in primis *corpori proprio*, indisponens ad naturalem fortitudinem, qua serviret Deo[4] et suae ecclesiae, in tantum, quod ut homicida ingratissimus pluries occidit semet ipsum, juxta illud commune[5] proverbium, 'plures occidit gula quam gladius.' Injuriatur etiam multipliciter *proximo*, primo faciendo ventrem et os cloacam, inficit aerem, et sic in parte generat pestilentias; secundo in hoc, quod vires tam corporis quam animae, quibus prodesset proximo, hebetat vel confundit; et tertio in hoc, quod vescibilia quae de lege naturae debent esse communia, injuste destruit, non solum injuriando pauperibus, sed etiam toti ecclesiae, et ejus[6] sponso. Finis autem profectus ex tali gula consequens stat in isto, quod praeparat escam vermibus et injuriatur tam Deo, quam proximo. Ideo philosophi considerantes ordines causarum finalium sic concludunt: 'multi manducant ut vivant, et multi vivunt ut manducent.' Ii autem qui statuunt pro causa finali, ut temperate[7] vescantur cibariis ad

Quae causae ad fugiendum gulae vitium moveant.

[1] vel] vel in, A.B.C. [2] gastrimargia] libri MSS. habent *castrimargia*, quod ad etymologicam sententiam de *castro* refertur. [3] ad] non ad, ed. pr. [4] Deo] Deo suo, A.C. [5] commune] Constantini commune, ed. pr.; sequens sine dubio notam margini Codicis C. adscriptam: 'Constantini medici' (sua aetate, sc. seculo XI., celeberrimi). [6] ejus] toto, ed. pr. [7] temperate] tempore aptato, ed. pr.

vitae suae conservationem et effectum[1] promerendi, illi manducant ut vivant, cum de tanto sunt cibaria assumenda. Sed illi[2] qui aptant suam vitam finaliter, ut voluptuose vescantur cibariis inordinate, vivunt ut comedant. Et patet, in quo moderamine et gratia cujus finis cibaria[3] debent sumi. Sed *tertium* serviens[4] ad detestationem gulae, est testimonium scripturarum. Christus enim qui mensuram in vescibilibus non posset excedere, quadraginta dies jejunavit, non manducans neque bibens, ut dicitur Matth. iv. et Marci i., ad exemplificandum indubie suis fratribus, quod debent cum prudentia jejunare. Cum autem[5] primus homo peccavit in gula, necesse est ut sua posteritas ipsam[6] meminens[7] jejunet, ad statum naturalem beatitudinis reducendum, cum non sit peccatum modicum, tam salubre exemplum Christi spernere et se ipsum in tot inconvenientiis volutare. Unde exemplum scripturae docet, quod moderate jejunans est dispositus tam ad prophetiam[8] quam ad[9] scientiam ad coelestem influentiam capiendam, ut patet de Moyse, Helia et Daniele et ceteris, qui per jejunium se ipsos tam mente quam corpore exaltarunt. Non tamen video quin contingit hominem, licet raro, per jejunium stulte se ipsum consumere. Ideo necesse est viantes se ipsos cum prudentia regulare, non solum quo ad quantitatem cibarii sed etiam qualitatem. Unde metricus considerans gulae species, ponit, quod quinque modis contingit gulosum abuti cibariis: primo praeveniendo tempus debitum, ut ii, qui nimis sero et nimis mane assumunt cibaria; secundo in assumptione cibarii, etiam hora debita[10], indebite properando; tertio nimis lauta et sumptuosa cibaria praeparando; quarto nimis excessive quantitatem cibarii assumendo; unde videtur mihi, quod melius et Deo acceptius est pro servando jejunio multiplicare vices, quam quantitatem; quinto ille qui studet indebite circa[11] ordinem se cibandi[12], incidit in speciem gulae damnabiliter[13].

'Praepropere, laute, nimis, ardenter studiose.'

[1] effectum] officium, ed. pr. [2] illi] alii, D. [3] cibaria] om. D. [4] serviens] faciens, D.; sumens, ed. pr. [5] autem] Adam, A.B.C. ed. pr. [6] ipsam meminens] i.e. gulam cavens. [7] meminens] inveniens, B., A. primae manus. [8] prophetiam] philosophiam, D. [9] ad] om. D.C. secundae manus, ed. pr. [10] debita] indebita, B. primae manus, ed. pr. [11] circa] se circa, ed. pr. [12] se cibandi] cibarii, ed. pr. [13] damnabiliter] damnabilis, ed. pr.

Et inter omnia peccata hujus peccati sensibilitas, amor boni proprii et exemplatio mandati Dominici facerent ad hoc vitium detestandum.

## CAP. XXI.

### *Abstinentia.*

*Alithia.* Dic de virtute contraria huic gulae, quam quidam dicunt abstinentiam, quidam[1] moderantiam, et quidam voluntatem ordinatam vescendi cibariis. Non enim videtur quod abstinentia contrarietur huic vitio, propter multa: primo quia abstinentia dicit privative et analogice rei carentiam in facultatem hominis assumendam; non ergo est speciale contrarium huic gulae, sicut[2] quandocunque quis abstinet, utitur abstinentia, sed hoc potest tam bene quam male fieri privative; cum ergo contraria sint[3] circa idem, videtur quod sic abstinendo, non utitur virtute contraria huic gulae. Similiter secundum veritatem philosophorum et theologorum, omnis virtus hominis subjectatur in intellectu, vel ad minimum in potentia sensitiva; sed abstinentia non, nam in illa parte hominis, qua[4] abstinet a vescendo, est abstinentia subjectata, et sic abstinentia est in manu vel in[5] ore, quod est nimis extraneum a virtute. Dimitto objectus Pseustis, quibus arguit quod abstinentia vescibilium non est nisi vescibilia illa affuerint[6], et per consequens oportet per[7] abstinentiam hominem vesci illis. Sed iste objectus est gulosi et stulti, ac si intenderet, quod nemo abstineret a vescibilibus, nisi ipsa vescibilia indebite devoraret. Constat quidem philosophis, quod caecitas est visus carentia, dum ille visus defuerit; quare ergo non est cibarii abstinentia, dum illud defuerit? quandoque tamen habet rationem majoris poenalitatis, quod homo a cibario delectabili abstinet dum est praesens, quia libera praesentia talium fortius movet appetitum. Quantumcunque ergo quis

Abstinentia.

[1] quidam] et quidam, B. primae manus, ed. pr. [2] sicut] similiter, C.D. ed. pr. [3] sint] sunt, ed. pr. [4] qua] quae, A.B.C. [5] in] om. B. primae manus, D. ed. pr. [6] vescibilia illa affuerint] dum illa fuerint, ed. pr. [7] per] ad, C. secundae manus, D. ed. pr.

gulosus fuerit, quandoque se abstinet, cum non poterit perpetuo manducare. Etiam contingit, quod post esum improvidum statim se abstineat virtuose; non ergo talis abstinentia quae subito potest advenire atque recedere, erit virtus. Et ex isto patet, cum homo potest inopinate uti cibariis, quod abusus eorum non est vitium gulae, sed indebitus appetitus. *Esau* enim commisit gulam, decoctionem ruffam[1] Jacob fratris sui indebite appetendo, de quo Gen. xxv. Ideo, ut dictum est, gula non per se stat in vescentia culpabili, licet actus talis vescentiae quandoque augeat quandoque diminuat[2] ipsam gulam.

Moderantia.

Quo ad secundam speciem, quae dicitur *moderantia*, videtur quod solum consistit in actu, cum tamen virtuti sit proprium consistere quandoque in habitu. Sed de isto objectu considero, quod solummodo est verbalis, cum contingit hominem esse moderatum pro tempore, quo non est in vescendo cibariis. Sed de tertia nominatione virtutis gulae oppositae maxime placet mihi.

*Phronesis.* Satis acute arguisti contra primam speciem ac si Pseustis habitum induisses. Sed considero quod in secunda specie virtutis particulariter[3] contentaris, et in tertia satis plene, et satis est mihi, quia, ut dixi saepius, nolo in ista contentione indebita immorari.

*Pseustis.* Video quod excusas te frivole, quando times acutiem argumenti. Quis enim dubitat quin gula consistit in actuali abusu vescibilium? Et per consequens virtus sibi opposita[4] consistit in usu vescibilium moderato[5]. Et cum continue sit usus alius, videtur quod virtus gulae contraria in successione consistat[6], et homo abstinens vel dormiens non foret[7] taliter virtuosus, cum tunc[8] non habet usum debitum[9] cibarii assumendi; quia non ad tantum infatuaris[10], ut dicas hominem uti cibo et vino, quae in cellariis tibi absconditis atque seratis contra tuum placitum includuntur. Sicut ergo gula consistit in actu successivo, sic et virtus sibi opposita. Similiter videtur quod blasphemas in Deum tuum justum et bonum, quia

[1] ruffam] offae, ed. pr.; ruffus = rubicundus. [2] diminuat] diminuet, ed. pr.; et—diminuit, A.B.C. [3] particulariter] partialiter, ed. pr. [4] sibi] om. A.B.C. [5] moderato] moderate, C. ed. pr. [6] consistat] consistit, A.B.C. [7] foret] esset, A.B.C. [8] tunc] nunc, ed. pr. [9] debitum] om. ed. pr. [10] infatuaris] infatuas, ed. pr.

dicis ex virtute moderantiae quandoque hominem debere ad magnam poenam corporis per tempus notabile abstinere, sicut patet de Moyse, Helia et Christo, qui quadraginta diebus et noctibus[1] jejunaverunt. Quis autem[2] dubitat, quin tale jejunium posset faciliter[3] hominem ethicum[4] vel tisicum[5] facere[6]? Et sic cum virtus reguletur prudentia, et Deo movente finaliter, videtur quod Deus mandaret indebite hominem ad mortem propriam jejunare. Nam sicut in excessu cibarii sic in ejus abstinentia mors communiter praeparatur. Deus ergo bonus non sic praecipit jejunare, sed satis est pro jejunio hominem uti regulis medicinae, scilicet quod pascatur tante et taliter, qualiter sibi proderit ad salutem. Quis ergo stultus diceret quod homo se ipsum occideret virtuose, cum decalogus praecipit: 'Non occides?' Et certum est, quod homo potest valde distanter in tempore se ipsum occidere, quia accelerare stulte mortem propriam, quod est culpabile. Sed quis scit, si ex tali abstinentia istud eveniat[7]? Utamur ergo prudenter vescibilibus, et est satis. Similiter regula servandi jejunium est communiter generalis, et per consequens a fidelibus debet generaliter fieri; sed cum homines sunt[8] diversimode complexionati, patet quod illud jejunium quod foret uni homini ad salutem, alteri foret ad mortem. Sed quis sapiens talem regulam ordinaret?

*Phronesis.* Delector in tuis objectibus, quia per objectus tuos frivolos seduci possent[9] incauti; et ideo respondendum est illis, ut cautius caveantur. Et quo ad objectus tuos alios plus vivaces, saltem movent dubia diffusius declaranda, et sic utrobique, sicut et peccata proficiunt. Quantum ad *primum*, patet, quod virtutes quo ad suas essentias consistunt in habitu, et quo ad fructus suos et hominis profectum consistunt in actu, ut beatus Jacobus declarat de fide[10]. Unde in praedicatione secundum habitudinem actus tales et habitus de se reciproce praedicantur[11], et vulgariter virtus gulae opposita, sicut et gulae vitium acc'piuntur in praedicatione secundum habitudinem pro actu vel opere, fructu eorum. Nullus tamen philosophus ad tantum in-

[1] diebus et noctibus] dies et noctes, ed. pr. [2] autem] enim, A.B.C. ed. pr. [3] faciliter] facere, ed. pr. [4] ethicum, i.e. hecticum. [5] tisicum, i.e. phtisicum. [6] facere] om. ed. pr. [7] eveniat] eveniet, A., B.C. secundae manus. [8] sunt] sint, ed. pr. [9] possent] possunt, ed. pr. [10] cf. Jac. ii. 14 ff. [11] praedicantur] praedicandum, ed. pr.

fatuatur, quin satis noscit, quod actus vel opus tale non sit essentialiter virtus aut vitium, sed potius habitudinaliter[1] fructus ejus. Ideo oportet fideles pro intellectu scripturae aequivocationes istas cognoscere. Et sic vere concludis, quod actus gulae et virtutis sibi oppositae consistit in successione, sed est dare longe alterius naturae habitum dormientem, et sic nimis aequivocas. Ad *secundam* tuam instantiam, quae est subtilior, primo intellige, quod nunquam actus jejunii praecipitur a prudente nisi propter habitum et fructum alium magis bonum, ut quandoque pro crimine praecavendo et quandoque pro commisso crimine abstergendo, ut multi spumarent in libidinem atque luxuriam, nisi ceteris paribus jejunarent, ad abstergendum multa scelera perpetrata, expedit multis ut doleant jejunando; et sic jejunium, quod est abstinentia a peccato, est commendabile tanquam finis. Unde Esaiae lviii. scribitur: 'Numquid hoc est jejunium quod elegi[2], dicit Dominus, per diem hominem affligere animam suam[3]?' sed potius in abstinentia a peccato, et completione operis virtuosi, et[4] narrat multa opera, quae in suo populo defecerunt[5]. Et ut Pharisaeos nostros alloquar, oculi religionis nostrae privatae supercilio isto Pharisaico nimium sunt caecati; plus enim appretiantur corporale jejunium vel ejus ruptionem, quae patent ad oculum, quam jejunium spirituale, ideo 'libera nos Domine a stultitiis istorum ordinum[6].' Et sic concedi debet quod homo in multis casibus debet esse[7] causa per accidens quare corporaliter occidatur, ut patet de jejunantibus atque martiribus. Nec exinde incurrit homo praevaricationem secundi mandati secundae tabulae: 'Non occides!' cum debet intelligi, quod nemo debet injuste occidere. Aliter enim Deus dicens[8] Deuteronom. xxxii.[9]: 'Ego occidam, et ego vivere faciam[10]' foret communissimus homicida. Ideo videamus quod non injuste vel imprudenter abbreviemus in hoc seculo tempus nostrum, sed debemus audacter hoc facere, cum scimus

Quodnam jejunium sincerum sit atque Deo probetur.

1 habitudinaliter] habitualiter, ed. pr. 2 elegi] eligi, ed. pr. 3 Iesa. lviii. 5. 4 et] ut, D. 5 Iesa. lviii. 6—14. 6 libera ordinum] votum ad formam litaniae expressum. 7 debet esse] dicitur, A.B.C. 8 dicens] quod Deus dicit, C.; Deus qui dicit, D. ed. pr. 9 Deuteron. xxxii.] Deuter. xxxiii., A.B.; Deut. xxii., ed. pr. Locus est Deut. xxxii. 39. 10 faciam] D. ed. pr. addit verba contextui nostro minus apta: 'percutiam et ego sanabo.'

quod in alio seculo beatis prodest ad praemium. Et sic Deus debite praecipit hominem multa facere quae inducunt mortem propriam corporalem, cum bonum virtutis ex hinc acquiribile sit longe melius quam vita hominis temporalis[1], et sic supra medicorum artem oportet nos in statu beatitudinis figere fidem nostram, et ultra quam medicina praecipit, praecavendo mortis secundae periculo prudenter in multis casibus jejunare. Ad *tertiam* tuam instantiam dico quod verum in majori parte concludis, scilicet quod jejunium hominum communiter est imprudens, et sic 'generatio adultera signa sensibilia[2] quaerens[3]' et fructum eorum omittens decipit plurimos cum se ipsa. Unde multi, quibus non convenit istud jejunium, sunt ab illo per regulas hominum excusati, ut juvenes et praegnatae[4], senes et infirmi et corporaliter laborantes. In istis tamen posset[5] esse sophisticatio ex hoc, quod homines non debite abstinent a peccato; ad tantum enim et non amplius lego de Christo, quod tale jejunium corporale ponderavit, unde sui[6] discipuli sine suo improperio[7] spicas fructuum manibus confricarunt et edebant, quos non vituperat sed contra Pharisaeos excusat, ut patet Matth. xii. Et sic ratio tua ac difficultas, quam moves, sunt superficialiter solutae.

## CAP. XXII.

### *Luxuria.*

*Alithia.* Superest tibi de luxuria et ejus contrario pertractare, cum, sicut dixisti, corpus quod nimis laute[8] pascitur, communiter spumat in libidinem. Ideo corporalis abstinentia saltem a provocantibus ad luxuriam, devota meditatio, quam vilis erit caro mortua, et consideratio de praemio capiendo[9] et

[1] vita hominis temporalis] vita corporalis hominis, A.B.C. [2] sensibilia] om. A.B. secundae, C. tertiae manus. [3] cf. Matt. xvi. 4. [4] praegnatae] i.e. mulieres praegnantes. Praegnatae mulieres, A., C. primae, B. secundae manus; praegnantes, ed. pr. [5] posset] potest, B. primae manus, D. ed. pr. [6] sui] ejus, B. primae manus, ed. pr. [7] improperio] i.e. opprobrio. [8] laute] om. B. primae manus, ed. pr. [9] capiendo] obtinendo, D. ed. pr.

de supplicio praecavendo moveret viantes ad hoc peccatum luxuriae detestandum.

Luxuria quid sit, exponitur.

*Phronesis.* Placet de sententia quam injungis, et primo videtur mihi expediens, quod luxuria describatur. Potest autem sic describi, quod est illicita voluntas[1] membris genitalibus abutendi, et consistit communiter circa sensibilia sensus tactus istorum membrorum, sicut gula consistit communiter circa inordinationem sensibilium objectorum sensus[2] gustus. Et sic quamvis inordinatus actus istius peccati consistit communiter circa abusum membrorum generandi et seminis effluxi, tamen peccatum radicaliter est in *anima*, cum Christus dicit Matth. v.: 'Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo[3].' Opera tamen istius voluntatis[4] indebitae consistunt communiter circa virtutem generativam et ejus subjectum, et per consequens circa tactum membrorum generativorum taliter nervosorum.

*Alithia.* Pseustis hic objicit, et circa istud in parte mussito: cum per se finis hujus actus naturaliter intenditur a natura, videtur quod natura et sic Deus ordinavit[5] media et sic operationes naturaliter ad eundem. Sicut ergo Deus ordinavit[6], quod homo generaret hominem secundum sexus discretionem[7], et ordinavit[8] membra ac[9] virtutes ad taliter procreandum, sic videtur esse licitum et Deo placitum quod homo sic procreet, quia ab eo, qui non potest in ordinatione deficere, sic est aeternaliter ordinatum. Quomodo ergo non mereretur[10] homo in completione ordinationis divinae, cum membra, materia et virtus[11] ac vehemens appetitus taliter procreandi naturaliter sint[12] homini insita, sicut et omnia ad completionem illius operis requisita. Et tota ista materia tractatur diffuse per anatomicos[13] naturales.

*Phronesis.* Hic dico tibi et cuilibet stolido adversanti, quod procreatio et prolis generatio sicut et sua media est homini

[1] voluntas] voluptas, B. [2] sensus] sensuum, D. ed. pr. [3] mulierem—corde suo] om. ed. pr. [4] voluntatis] voluptatis, B. [5] ordinavit] ordinat, A.B.C. [6] ordinavit] ordinat, A.B. [7] discretionem] distinctionem, D. [8] ordinavit] ordinat, A.B [9] membra ac] om. ed. pr. [10] mereretur] meretur, A.B. [11] virtus] virtutes, C.D. ed. pr. [12] sint] sunt, D. ed. pr. [13] anatomicos] A.B.C.; anathomicos.

naturalis, sicut actus superbiae, actus irae et actus gulae, imo, ut placet sapientibus, actus quilibet positivus, cum sit creatura placenter[1] producta a Domino. Ideo non dubium, quin tales actus possunt esse meritorii et virtuose laudabiles, cum occurrerint circumstantiae ad denominationem virtutis debite requisitae, ut procreans secundum 'fornicationem simplicem' natum ex femina potest[2] in eodem tempore secundum ligamenta matrimonii ex eadem[3] eundem puerum procreare, et tunc foret actus ex matrimonio satis licitus et in casu meritorius, ubi jam est vitium reprobandum. Ideo dicunt metaphisici, quod vitium dicit cum habitu vel actu hujusmodi circumstantiae bonae carentiam vel defectum, et per hoc dicunt quod virtus non potest esse vitium vel[4] e contra. Nec vitium est solus[5] actus vel habitus, sed aggregatum ex illis et circumstantia vitiosa, licet virtus et vitium dicant communiter talem habitum tanquam partem ejus principaliorem[6]. Et in ista aequivocatione contendunt multi inaniter, et sic positivum in talibus a Deo intenditur et creatur, et non intenditur nec fit[7] a Deo, quod sit habitus vitiosus[8]. Et sic notanda est tibi distinctio pro dissensione sedanda, quomodo nomina talium vitiorum quandoque significant concretive respectu talis peccati simpliciter pro toto aggregato, et quandoque personaliter pro hujusmodi creatura, ut actu vel habitu in quo defectus hujusmodi est fundatus. Sicut enim diabolus[9] non potest esse sine Deo, sic peccatum non potest esse nisi fundatum fuerit[10] in creatura bona. Videtur tamen mihi quod multi habitus vitiosi sunt inseparabiliter mali, licet inseparabilitas peccati non per se insit creaturae Dei. Deus ergo facit fundamentum peccati, et creatura mala facit defectum, de quo Deus gratiose facit bonum. Et sic est nimis turpis deceptio, si luxuriosus ut instrumentum Dei facit bonum positivum, tunc non in hoc est culpabilis, cum faciat[11] bonum male nec attingit ad causationem[12] spiritus humani, ideo non potius facit hominem quam diabolus facit beatitudinem.

[1] placenter] placerent, ed. pr. [2] potest] patet, ed. pr. [3] eadem] eodem, ed. pr. [4] vel] nec, ed. pr. [5] solus] solum, D. ed. pr. [6] principaliorem] principalem, A.B.C. [7] nec fit] ut sit, A.B.C. [8] vitiosus] et vitiosus, C., B. primae manus. [9] diabolus] dicimus dives, B. secundae; nobis dives, D. [10] nisi fundatum fuerit] sine fundamento, A.B.C. ed. pr. [11] faciat] facit, A.B.C. [12] causationem] creationem, A.

Luxuriae genera.

Ponuntur autem communiter quinque *species luxuriae* corporalis: prima[1] est simplex fornicatio, quae est inter solutum et solutam; secunda est stuprum, quae est illicita defloratio virginum; tertia est adulterium, quod est alterius thori violatio, quod potest fieri tribus modis; quarta est incestus, qui est consanguinearum vel affinium abusus, sub qua specie religiosorum et monialium[2] luxuriae sunt contentae; quintum est peccatum contra naturam, quod habet multas species maledictas, communiter autem fit, quando semen indebite emittitur seu effunditur[3] extra locum naturalem, quod potest fieri multis modis, cum[4] potest homo abuti vase debito ex natura. Et vitium istud Sodomicum more apostoli generaliter est tangendum, ne ex verbis improvidis detur occasio ad illud turpiter committendum. Videtur tamen[5] mihi, quod pro loco et tempore non omnino debet sub silentio praeteriri, cum diabolus scit docere juvenes extra mulierum consortium hoc peccatum turpissimum, et specialiter assistente copia juvenum masculorum separatorum a feminis, voluptuose viventium et a laboribus otiantium. Unde Ezech. xvi. 'haec fuit iniquitas Sodomae, sororis tuae, superbia, saturitas panis, habundantia vini et otium[6].' Ideo cavendum est privatis ordinibus, ne incidant in hanc culpam, cum multi sint superbi juvenes[7] ibi laute et[8] voluptuose conviventes[9], a laboribus hominum otiantes, et communiter ex sua hypocrisi a feminis separati. Istud autem peccatum habet inter luxurias[10] excusationem minimam, cum[11] ex parte feminae sit minor excitatio ad peccandum, plus peccatur contra naturam, et communiter libido abundantius est accensa. Unde istud peccatum inter quattuor dicitur 'clamare ad Deum,' ac si materia seminea cum virtute informativa, quae foret causa producendi hominem in dispositione propinqua, ut sic[12] homo clamaret ad Deum pro vindicta, ex quo sic innaturaliter extinguitur; et hinc tam a Deo quam homine pro isto peccato vindicta acuta accipitur. Ex hinc enim

[1] prima] primo, ed. pr. [2] monialium] sanctimonialium, C.D., B. primae manus, ed. pr. [3] effunditur] indebite effunditur, om. emittitur seu, B. primae manus, D. ed. pr. [4] cum] sicut multis modis, B. primae manus, D. ed. pr. [5] videtur tamen] unde videtur, ed. pr. [6] saturitas—otium] om. B. ed. pr. [7] juvenes] homines, ed. pr. [8] et] quia, A.B.C. [9] conviventes] convivantes, C. [10] luxurias] luxurias corporales, D. ed. pr. [11] cum] tunc, ed. pr. [12] sic] sit, A.B.

Sodoma et Gomorra cum suo populo sunt subversa[1] ut patet Genesis xix. Ex hinc etiam Deus[2] subito percutit homines usque ad mortem, ut patet Genesis xxxviii.[3]; et ex hinc[4] secundum leges hominum tales Sodomitici singulariter sunt occidendi[5].

## CAP. XXIII.

### *Castimonia.*

*Alithia.* Rogo dicas de castitate generaliter vitio isti opposita, quia de peccato isto specialiter est abhominabile mihi loqui; sed de necessitate videtur peccatum istud procedere, ut superius asserebas, nam quodcunque opus naturae habet antecedens ad ipsum necessitans[6], sed hoc est opus naturae, ergo etc. Et ista communiter est ratio ad necessitatem in productis singulis inducendum[7]. Sicut enim in productione secundae personae divinae est causa necessitans, ita videtur quod in productione ad extra cujuslibet creaturae; quia[8] capta volitione divina cum dispositione et causa quacunque creata sufficienti ad producendum A.[9] effectum, quaero si sequitur, 'ista causantia ponuntur, ergo hoc causabile consequitur.' Si sic, completae causae istorum ad ista necessitant, et sic ascendendo, quousque ad causam primam et ultimam sit deventum. Si autem causae assignatae non necessitant ad producendum A.[10] effectum, tunc cum requiruntur aliae, non omnes causae A. fuerunt prius[11] assignatae. Et ut suppono, Deus distinctissime intelligit omnes causas cujuscunque causabilis, licet nobis fuerint infinitae. Et ista ratio movet me cum aliis factis superius[12] ad credendum, quod omnia futura de necessitate evenient[13]. Castimonia.

[1] sunt subversa] submersa sunt, B. primae manus, ed. pr.; subversa, A. [2] Deus] patet quod Deus, B. primae manus, ed. pr. [3] Gen. xxxviii. 8—10. [4] et ex hinc] ex hinc, A.B.C. [5] occidendi] occisi, ed. pr. [6] necessitans] necessitas, ed. pr. [7] inducendum] inducendis, C. [8] quia] nam, ed. pr.; om. D. [9] A.] om. Cod. A.B., D. secundae manus, ed. pr. [10] A.] om. Cod. A.B. [11] causae A. fuerunt prius] causae fuerunt plenius, B. primae manus, ed. pr.; affuerunt, Cod. A.C. [12] superius] superius cap. ix., ed. pr. [13] evenient] eveniant, ed. pr.

*Phronesis*. Moveris[1] probabiliter, licet ego cum meis similibus recalcitravi saepius contra istam sententiam tanquam summe haereticam et libertatem Dei penitus extinguentem; ideo bonum est ad tempus conclusionem istam cum moderatione[2] subticere. Verumtamen illa concessa sequens est, quod omnia peccata mundi de necessitate eveniunt[3], et per consequens quod omnes peccatores secundum formam, quam[4] Deus decreverat, punientur, et totum hoc facit ad pulchritudinem universi. Sed dimittendo istam materiam, notanda est *distinctio castitatis*[5]. Aliqua enim est castitas virginalis quae vocatur virginitas, alia est castitas conjugalis, alia vidualis et alia generaliter est castitas qua quis virtuose se continet a peccato luxuriae, quomodocunque in circumstantiis fuerit variatus. Haec autem virtus castitatis dicitur caelibatus, quia beati in coelo non tentantur peccato sibi opposito, sed dicuntur 'virgines' quomodocunque hic[6] luxuria fuerint maculati; omnes enim isti, ut dicitur Apocal. xiv., 'sequentes agnum sunt virgines, dum cum mulieribus non fuerunt usque ad mortem coinquinati,' sed a damnatione perpetua per Christum et matrem suam virgines praeservati. Sicut enim mater Christi est virgo fecunda, sic triumphans ecclesia sponsa sua. Nec dubium quin vir quicunque cui placuerit a Deo[7] suffragari, habet sufficientem potentiam et media satis disponentia ad luxuriam praecavendum. Fugiat autem omnino consortium personae vel suppositi, quo posset in isto abuti, et omnino abstineat a cibario, ne corpus suum ad commissionem hujus criminis sit spumosum[8]. Ideo caveat damnandus pro hoc crimine de mediis ad ipsum necessitantibus. Quod si dicit quod necesse est media illa poni, Deus ipsum puniens non facit sibi injuriam, sed dat sibi esse naturalium et damnationem tam corporis quam animae gratiosam, cum Deus non potest punire creaturam suam, nisi ipsam punierit gratiose. Ideo inexcusabiliter[9] omnis homo debet intendere castitati, quod si non facit culpabiliter pro poena, et Dei justitia ex integro erit salva. Et

Castitatis genera.

[1] moveris] moneris, ed. pr. [2] moderatione] moderamine, C., B. primae manus, ed. pr. [3] eveniunt] evenient, ed. pr. [4] quam] qua, ed. pr. [5] castitatis] charitatis et castitatis, ed. pr. [6] hic] hac, A.B.C. ed. pr. [7] a Deo] Deo adeo, C., B. primae manus; Deo a Deo, ed. pr. [8] sit spumosum] spumet, A.B.C. ed. pr. [9] inexcusabiliter] inexpugnabiliter, ed. pr.

correspondenter sicut est spiritualis virginitas et corporalis, sic est spiritualis luxuria, spiritualis castitas et spiritualis procreatio, quae est principalius attendenda. Christus enim est spiritualis sponsus ecclesiae, et sicut omnis alius homo debet esse membrum ecclesiae, sic debet esse spiritualiter sponsa Christi; quod si adulteratur cum diabolo, carne vel[1] mundo, vivendo in hoc seculo criminose, tunc dissolvit spirituale matrimonium et spiritualiter fornicatur. Nec ponderatur corporalis[2] luxuria nisi propter luxuriam spiritualem; et sic loquitur Ieremias et sancti ceteri de luxuria spirituali, et sic spiritualis castitas quo ad sponsum ecclesiae, cum in patria debet esse virginitas, est praeponderantius observanda. Et ita ad spiritualem procreationem debent fideles, et specialiter praelati, magis attendere, modo quo loquitur apostolus prima ad Corinthios iv., 'in Christo Jesu ego vos genui,' et modo quo dicitur[3] frater junior fratris prioris mortui suscitare semen secundum legem veterem, ut patet Genesis xxxviii[4]. Christus autem frater noster senior, ut dicitur ad Hebraeos secundo[5], cum sit primogenitus mortuorum, qui mortuus est in causa ecclesiae, et post resurrectionem ascendit in coelum. Ideo cum papa, episcopi et praelati alii debent esse fratres Christi primogeniti minores[6], debent semen fratris sui Christi de militante ecclesia suscitare. Sed heu[7] in isto peccato gravissimo plus delinquunt, cum semen quod debet esse verbum Dei, deserunt, et scoriam[8] metallicam, frigidam et generationi ineptam in se servant et avare injiciunt[9] in animos subditorum. Alii autem ut fratres et[10] reliqui lucrum temporalium sapientes, contemnunt hoc semen vivum verbi[11] Dei, et semen vulpinum monstrum procreans, injiciunt in animos subditorum[12]; de talibus conqueritur apostolus 2 Cor. ii. quod sunt adulterantes verbum Dei, cum jocosa mendacia atque ludicra in plebe seminant, cum[13] quibus lucrum temporalium subdole procuratur[14]. Alii autem praelati Caesarii sunt nimis steriles et non spiritualiter

De procreatione spirituali.

[1] vel] et, A.C.B. secundae manus. [2] corporalis] corporis, A.C.B. secundae manus. [3] dicitur] debet, ed. pr. [4] Gen. xxxviii.] Gen. xxviii., A.B.C. [5] Hebr. ii. 9, 10, 12, 14, 17. [6] minores] juniores, ed. pr. [7] heu] heu nulli, ed. pr. [8] scoriam] i.e. sordes. [9] injiciunt] mittunt, A.B. primae manus. [10] et] om. A.C. primae manus. [11] verbi] verbum, A.B.C. ed. pr. [12] animos subditorum] subjectos, D. [13] cum] in, A.B. secundae manus, C. [14] procuratur] procreatur, ed. pr.

prolifici, nisi forte procreando membra diaboli; et propter istos defectus est ecclesia nimium perturbata. Tales enim sunt perpetuo virgines antichristi et filii diaboli, prolem sibi expeditius procreantes. Ideo 'nisi Dominus reliquisset nobis semen evangelii sui, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorra essemus[1].' Vitium autem Sodomicum corporale est parvum[2] in comparatione ad hoc peccatum; ideo significanter Christus dicit Matth. x.[3], quod tolerabilius erit in die judicii Sodomae et Gomorrae quam illi populo vel personae, quae frustrat hoc semen spirituale, ne fructificet in mentibus subditorum, cujusmodi erant Pharisaei et sacerdotes legis veteris. Quod si nostri praelati et pharisaei sint in casu consimili, non dubium quin luent in die judicii sicut[4] illi.—Et tanta hic sint dicta de septem peccatis mortalibus et virtutibus eis oppositis, quibus adjunctis decem sermonibus decalogi, quos diffuse alias explanavi, potest praedicari populo semen vivificum verbi Dei.

## CAP. XXIV.

### *De primo peccato.*

Quo modo factum sit ut homines ad malum inclinarentur.

*Alithia.* Rogo dic, frater Phronesis, quo modo tanta peccandi pronitas inolevit, cum homines debent naturaliter inclinari ad bonum virtutis, et naturaliter a malo vitii declinare.

*Phronesis*[5]. Certum debet esse fidelibus, quod ista peccandi pronitas infuit homini ex culpa propria, cum Deus creavit hominem mundum[6], et dedit sibi sufficienter naturales potentias, et quodammodo originalem justitiam et completam complexionem, locum et dispositiones alias, cum quibus posset cum paribus a vitiis declinare. Sed invidia diaboli, ut dictum est de primo peccato, infuit homini tentatio, et succubuit ex sua stultitia, modo quo dicit fides scripturae Gen. iii.[7] Ex hoc enim peccato

[1] et quasi Gomorra essemus] om. ed. pr.; cf. Iesa. i. 9. [2] parvum] modicum, D. [3] Matth. x. 15] Cod. D. habet Matth. xviii. [4] sicut] sicut et. ed. pr. [5] Phronesis] om. ed. pr. [6] mundum] i.e. purum, peccati expertem. [7] Gen. iii.] Gen. xxx., ed. pr.

homo indisponitur ad tentationibus resistendum, et fit pronior ad peccatis suggestis vel propositis innuendum[1]. Fuit enim homo in paradiso positus habens[2] dispositionem corporis naturalem, secundum quam posset perpetuo sine intercidente morte durare, et viando in paradiso per tempus notabile foret sine morte vel poena ad coelestia quodammodo exaltatus, perpetuo et plene beatificandus in patria. Et cum status hominis in paradiso positi sit, quo ad substantiam suam, status in quo homo mori poterit, et habito bono regimine corporis ex influentia animae, semper posset non mori, necesse fuit quod anima sua recedente[3] a Deo per peccatum, et per consequens deficiente Dei influentia[4] quo ad animam, deficiat ejus influentia quo ad corpus. Et cum homo positus fuit in paradiso in minimo gradu proportionis in quo[5] vitae perpetuitas posset stare, necesse fuit statim proportionem illam deficere et hominem necessitari ad mortem et poenas corporis subeundum. Et homo ut fuit propinquior suae perfectioni primaevae, fuit longaevior in corpore, et[6] fortior, pulchrior, et decentior; et in processu temporis multiplicantur aerumnae, quas necessitatus est homo modo subire, ut contestatur fides scripturae. Pulchrum quidem est, ut fides historiae scripturae[7] conveniat undique[8] rationi, et homine luente culpam propriam, ordinatio Dei remaneat omnimodo inculpata. Et patet causa necessitationis hominis ad mortem, et quomodo causa illius mortis et defectus corporis humani ex peccato exoritur, non ex Deo. Et sic fides scripturae quadruplex[9] manet plene inculpabilis, et omnis poena exoritur[10] ex peccato primario et ex aliis peccatis posterioribus poenae aliae consequentes. Deus autem nunquam infligit poenam vel posset infligere, nisi peccata antecedentia sint in causa.

Status hominis in paradiso positi.

*Pseustis.* Miror quomodo non erubescis tantam scripturae sacrae evidentiam colorare; non enim est causa prior signabilis de veritate historica[11] quae evenit, ut quis potest de bello Tro-

Argutiae proferuntur de peccati origine et necessitate.

[1] innuendum] immanendum, B.; annuendum, ed. pr. [2] habens] habent, ed. pr. [3] recedente] recedens, ed. pr. [4] influentia] plena influentia, A.B.C. ed. pr. [5] in quo] in qua, C. ed. pr. [6] et] om. ed. pr. [7] fides historiae scripturae conveniat] fides conveniat historiae scripturae, A.B.C. ed. pr. [8] undique] verumque, A.B.C. primae manus. [9] quadruplex] quadrupliciter, C. ed. pr. [10] exoritur] oritur, A. [11] historica] libri manu scripti, *hystoriaca*, *historiaca*.

jano causam antecedentem probabilem assignare. Item cum Deus sit omnipotens et volitione summe liber ut asseris, quare non posset ex infinitate libertatis suae atque potentiae hominem servare incolumem, et postmodum peccatum remittendo ad statum primaevum[1] reducere? hoc enim foret undique congruentius[2] et plus honorificum Deo magnifico. Similiter sicut omnes theologi profitentur, Deus ex omnipotentia sua posset gratanter et libere homini culpam totalem dimittere, et plene in statu innocentiae ponere sicut primo. Quare ergo ab illo gradu misericordiae[3] deficit[4] et a statu magnificentiae qui[5] competeret Deo[6] tanto?

*Phronesis.* Video ex subtilitate rationum tuarum, quod ex commendatione veridica confortaris et hinc in rationes vivaciores et efficaciores prorumpis; ideo ea intentione volo libenter amplius laudabiles veritates detegere, sub ista tamen conditione quod in probabilitate rationum et subductione sermonum tuorum extraordinariorum[7] de cetero taceas, et loquaris efficaciter verba quae condecent talem virum; et sub ea conditione respondeo ad tuum triplex factum superius argumentum. Ad *primum* patet, quod desipis in assumpto, quia, ut patet ex ratione priori, si quis clare cognosceret causas quorumcunque eventuum, posset clare illos eventus ex causis prioribus demonstrare, ut bellum Trojanum indubie habuit causas completas priores, ex quibus certissime sequebatur. Demonstrationes tamen veritatis historicae propter certitudinem nobis incognitam subticemus. Sed numquid propter nostram ignorantiam simpliciter sunt[8] ignotae? cum *Aristoteles* vere [9] dicat, quamvis quadratura circuli sit cognoscibilis, verumtamem nondum scitur quin posset corrigi[10], quia non ab illo et nobis obscure viantibus, licet a primo lumine[11] clare noscatur nihil penitus ignorante[12]. Ad *secundum* argumentum tuum respondeo concedendo, quod Deus

Argutiae expositae redarguuntur.

[1] primaevum] primum, A.B.C. [2] congruentius et plus honorificum] honorificum et plus congruentius, B. primae manus, ed. pr. [3] gradu misericordiae] gravamine, ed. pr. [4] deficit] defecit, D. [5] qui] quae, C. ed. pr. [6] Deo] de, ed. pr. [7] extra ordinariorum] extra ordinariam, ed. pr. [8] sunt] sint, ed. pr. [9] Aristoteles] Aristoteles vester, ed. pr. [10] corrigi] corrigi, quod non, B. primae, C. secundae manus, ed. pr. [11] lumine] numero, ed. pr.; 'primum lumen' pro Deo omniscio. [12] ignorante] ignorare, ed. pr.

posset hoc facere si vellet, et longe plura; sed non expecto rationem tuam, qua inferes[1] quod Deus potest sic velle, quia certus sum quod nec hoc scis nec potes scire[2]. Non enim est Deus mobilis ut homines in agendo, sed si quidquam fecerit, rationes priores aeternae necessitant ut sic fiat. In rationibus autem aeternis videtur mihi esse rationabile, quod peccato primi angeli et primi hominis praesupposito, creaturae aliae habeant inclinationem naturalem in suo opere sicut primo, et sic deficiente proportione ac virtute regitiva hominis quo ad corpus, deficiat actio et conservatio hominis prius facta; et sic agentia corporea ad corrumpendum hominem ex defectu resistentiae satis agant. Et sic dico tibi, quod Deus posset servare hominem in statu prioris innocentiae, si hoc vellet; sed debes ostendere, si potes, quod sit rationale ut sic vellet. Rationale[3] quidem est, ut non obstante peccato hominis sive diaboli, irrationabilia agentia habeant[4] cursus suos. Quid enim demeruit naturalis[5] potentia, quod sine suo demerito propter peccatum hominis suae actionis naturalitas sit suspensa? Ideo sicut nihil pertinet[6] ad infinitatem divinae potentiae, quod sic posset facere, vel peccatum sine causa dimittere, sic nihil pertinet ad infinitatem[7] suae magnificentiae, in injuriam suae legis[8] sic facere. Ideo improbabiliter petis quod hoc foret[9] ad Dei magnificentiam, et sic plus sibi honorificum; non enim decet Deum, qui personas non accipit, legem agentis naturalis propter peccatum hominis suspendere vel mutare. Ad *tertium* argumentum tuum patet ex dictis solutio. Non enim dicunt aliqui sani theologi, quod Deus posset sine satisfactione culpam dimittere, quia hoc repugnaret[10] regulis aeternis divinae justitiae. Sed quid demeruerunt illae regulae, ut propter culpam hominis sint[11] destructae? Deus tamen posset si vellet hoc facere, et mirabilius ampliora, sed non expecto rationem qua probares omnipotentem Deum ista velle.

*Alithia.* Placet, mi[12] frater[13] Phronesis, de tua satis subtili

[1] inferes] inferres, A.; inferas, C. ed. pr. [2] scire] om. C. ed. pr [3] ut sic vellet. Rationale] om. ed. pr. [4] habeant] habent, ed. pr. [5] naturalis] rationalis, B. primae manus, ed. pr. [6] pertinet] potest, ed. pr.; om. D. [7] infinitatem] finitatem, B. ed. pr. [8] in injuriam suae legis] injuriam suae legi, A. [9] foret] fiat, ed. pr. [10] repugnaret] repugnat, D. [11] sint] sunt, ed. pr. [12] mi] mihi, D. ed. pr. [13] frater] om. B.

sententia. Sed super uno mussito: videtur mihi, quod innuis[1], melius fuisse[2] homini et toti mundo, quod ipse sic peccasset, quam quod omnino perpetuo in statu innocentiae permansisset.

*Phronesis.* Concedo tibi soror, quod ex infinitate divinae misericordiae peccatum hoc profuit, et sic ex ordinatione divina melius fuit quod homo fuisset sic lapsus a statu innocentiae, quam quod in statu innocentiae perpetuo[3] generaliter permansisset, nam plures homines occasione peccati primi hominis fuerunt producti plus virtuosi et in patria plus beati. Ideo benedictus sit Deus, qui peccatum tam grave scit tam gratiose ad profectum generis humani convertere! Nam de genere humano tot erunt homines salvati, quot fuissent stante plene statu innocentiae, et etiam plus beati; et propter[4] hoc totus numerus damnatorum cedet mundo ad profectum et gloriam beatorum.

## CAP. XXV.

### *De necessitate incarnationis Christi.*

*Alithia.* Video, frater[5], quod super haec multa dubia alia sunt connexa, ut puta, si necesse fuit Christum incarnari propter satisfactionem peccati humani generis, et postmodum ipsum mori? Secundo, quare peccatum diaboli sicut peccatum hominis non deletur. Et tertio Pseustis objicit, quod illis hominibus qui damnabuntur foret melius, quod protoplastum[6] hominis non peccasset, et quid prodest beatis in patria, quod damnati sui generis taliter sint[7] puniti.

*Phronesis.* Placet, soror, quod haec tria dubia tam efficaciter sunt inducta. Pro *primo* notanda sunt multa, et primo omnium notata historia peccati hominis supponitur, quod ipse peccavit[8]

[1] innuis] nimis, ed. pr. [2] fuisse] fuisset, B. ed. pr. [3] perpetuo] perpetuo et, B. primae manus, ed. pr. [4] propter] praeter, A.C.B. primae manus, ed. pr. [5] frater] frater Phronesis, ed. pr. [6] protoplastum] libri manu scripti, *prothoplastum* (abstractum pro concreto). [7] sint] sunt, ed. pr. [8] peccavit] peccat, ed. pr.

ex ignorantia, cum mulier sit seducta, et vir ex peccati gravedine est deceptus. *Secundo* supponitur, quod vir iste et femina sentientes tantam poenae gravedinem innovatam, ante mortem poenituerunt fructuose. Et *tertio* supponitur ut saepe prius, quod non obstante peccato primi hominis, servanda[1] sit[2] ex integro justitia inconcussa.

Ut genus humanum peccati obnoxium salvaretur, Christus Dei Verbum incarnari oportuit.

Istis suppositis dicitur, quod necesse fuit Verbum divinum[3] incarnari, quia necesse fuit genus humanum salvari in suo principio, juxta suppositionem[4] secundam; et salvari non poterat, nisi Christus fuisset incarnatus; ideo sequitur intentum. Salvari quidem oportuit illum hominem, cum tam fructuose poenituit, et Deus non potest negare suam misericordiam taliter poenitenti. Et cum juxta suppositionem tertiam oportet quod fiat satisfactio pro peccato, ideo oportet, quod illud idem genus hominis tantum satisfaciat quantum in protoplasto deliquerat, quod nullus homo facere poterat, nisi simul foret[5] Deus et homo. Omnis enim alius homo non suffecit ex se ad satisfactionem pro proprio peccato attingere, quomodo ergo satisfaceret pro toto suo genere? Quis rogo potuit ad tantum humiliari, sicut Adam superbivit? Cum enim ille superbivit implicite, implicans se ad aequalitatem Dei attingere, quia innuebat[6] se non debere mandato Dei[7] obedire, patet quod oportuit personam satisfacientem a tanto gradu exaltationis humilitate descendere; sed ubi foret illa paritas, nisi, sicut homo non Deus aequalitatem Domini praesumebat, sic homo Deus ab aequalitate Dei ad humilitatem hominis descendisset? Ideo dicit apostolus ad Phil. ii.[8], quod Christus 'semetipsum exinanivit formam servi accipiens[9].' Notandum tamen tibi est, quod praesumptio primi hominis more criminis fuit falsa, sed assumptio et minoratio Christi[10] secundi hominis fuit realis et vera. Notandum est tibi secundo, quod iste secundus homo non cadebat, sicut non potuit, a forma deitatis, cum non potest esse accidens alicui, sed illa servata humanitatem assumpsit, quae licet fuerit[11] in se

[1] servanda] servando, B. [2] sit] fuit, ed. pr. [3] divinum] Domini, ed. pr. [4] suppositionem] positionem, C., B. secundae manus. [5] foret] fuerit, D.; fuerat, ed. pr. [6] innuebat] annuebat, A.B.C. [7] Dei] Domini, B. primae manus, ed. pr. [8] ad Phil. ii.] om. D. [9] formam servi accipiens] om. ed. pr. [10] Christi] om. ed. pr. [11] fuerit] fuit, ed. pr.

substantia, tamen fuit a deitate extranea. Et si mussitas, quare[1] potius secunda vel media persona plus quam prima vel tertia, debuit incarnari, dictum est tibi, quoniam[2] hoc peccatum ex ignorantia est commissum, ideo oportet quod ex personali sapientia sit deletum, quae est solummodo Dei Verbum. Cum ergo oportet quod aliqua[3] persona Dei mittat personam aliam, quae satisfaciat pro peccato, et Pater non potest mitti cum sit persona prima[4] originaliter Trinitatis, patet quod necesse est, ut mittat personam aliam incarnandam[5], quae propter rationem multiplicem fuit[6] convenientissime Verbum Dei; ideo cum minimum inconveniens[7] foret in Deo impossibile[8], patet quod oportet salvationem[9] hominis taliter se habere. Et patet cum oportuit[10] peccatum primi hominis deleri satisfactione debita mediante, quod oportuit Christum taliter incarnari; et necesse fuit mortem postea[11] sequi, cum[12] oportuit Christum proportionabiliter pati sicut Adam improportionabiliter praesumebat, aliter enim non foret satisfactio pro commisso. Ideo sicut Adam superbivit usque ad mortem gratiose inflictam, sic oportet quod secundus Adam humilietur usque ad mortem corporis[13] gratiose acceptam et passam. Et ideo dicit apostolus, quod Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem[14]. Et fuit necessarium ipsam acceptam fuisse in ligno, ut sicut ex fructu ligni vetito periit homo, sic ex fructu ligni passo salvetur homo; et sunt aliae multae congruentiae utrobique.

Quare peccatum diaboli non similiter ac peccata hominum deleatur.

Et ex istis patet responsio ad difficultatem tuam *secundam*, scilicet quare peccatum angeli[15] non deletur. Sicut enim oportet ad actiones naturales esse agentia et dispositiones in passis, sic oportet ad deletionem[16] peccati esse virtutem activam agentis, et dispositionem contritionis[17] aliquam in peccante; sed hoc deest diabolis, et sic peccati eorum deletio. Nec dubium quin illis fructuose contritis Deus non posset deletionem peccati sui non

[1] quare] qualiter, ed. pr. [2] quoniam] quod, C.D.B. primae manus, ed. pr. [3] aliqua] alia, A.B.C. ed. pr. [4] prima] om. A.B.C. [5] incarnandam] pro peccato incarnandam, B. primae manus, ed. pr. [6] fuit] sit, B. primae manus, ed. pr. [7] inconveniens] conveniens, ed. pr. [8] impossibile] per impossibile, ed. pr. [9] salvationem] salvatorem, ed. pr. [10] oportuit] oportet, A.B.C. [11] postea] om. C. [12] cum] ut, A.B. [13] inflictam—mortem corporis] om. D. [14] Phil. ii. 8. [15] angeli] diaboli, ed. pr. [16] deletionem] delectationem, B. [17] contritionis] contractionis, C.

concedere, sic quod Deo[1] existente inculpabili omnino tota culpa jaceat[2] in ipso diabolo; peccavit enim contra[3] Spiritum Sanctum, quod vocatur peccatum finalis impoeniteniae. Ideo sicut Adam peccavit contra sapientiam Dei patris, quam oportuit propterea incarnari, sic propter salvationem diaboli oportuisset tertiam personam incarnari; quod cum esse non potuit, patet quod nec deletio peccati ipsius diaboli. Verumtamen tam gratiose punitur, quod stante sua praesumptione superba, minus movet poena ut conteratur quam dolor sensus sui[4], qui sic non fuit in natura diaboli[5], sicut fuit in natura hominis corporali. Ideo cum nec ex proportione aequalitatis nec ex proportione minoris inaequalitatis fit actio, patet, quod poena diaboli non potest suam obstinatam superbiam expurgare; oportet ergo quod maneat perpetuo induratus. Et cum nihil est ad salvationem suam quod Jesus Christus taliter satisfecit, eo quod est alieni generis, patet, quod non antequam Spiritus Sanctus incarnatus fuerit, quod esse non potest, daemon salvabitur. Ideo dicunt quidam subtiliter, quod sicut diabolus peccavit in clara scientia et ex pura malitia, sic nemo damnabitur vel peccabit proprie in Spiritum Sanctum, nisi habuerit claram scientiam paululum ante mortem, et desperet in illa scientia ex sua pura[6] malitia, et sic quodammodo fiat diabolus[7].

Num iis qui damnabuntur melius foret, protoplastos non peccavisse.

Quantum ad *tertiam* difficultatem tuam, quam ponis[8], Pseusti, patet quod quicunque sic asserit, somniat sicut stultus; ideo post somnum, quem sibi imposueras, innuis quod somnium sit secutum. Constat quidem, quod occasione[9] peccati[10] primi hominis longe plures homines creabuntur, quam stante ex integro statu innocentiae fuissent creati, propter[11] tot homines quot ex peccato finalis impoenitentiae damnabuntur; non enim decet, quod posita tanta satisfactione pro peccato hominis diminuantur de[12] salvandorum numero, qui servato statu innocentiae ex integro salvarentur. Et sic Pseustis non hucusque ascendit[13]

[1] Deo] de, ed. pr. [2] jaceat] jacet, A.B.C.; jaciat, ed. pr. [3] peccavit enim contra] Peccatum autem diaboli est peccatum in, A.B.C. [4] sui] om. A.B. [5] qui sic—diaboli] om. B. primae manus, D. ed. pr. [6] pura] propria, A.B., C. primae manus. [7] diabolus] diabolus induratus, A.C.B. secundae manus, ed. pr. [8] ponis] imponis, B.C. ed. pr. [9] occasione] occasiones, B. [10] peccati] om. B. ed. pr. [11] propter] per, ed. pr. [12] de] a, A.B. [13] ascendit] ostendit, ed. pr., D.B. primae manus, ed. pr.

quin illi homines, qui tunc fuissent creati, solummodo salvabuntur, et alii homines qui ex gratia Dei superabundanti occasione illius peccati creati sunt, misericorditer damnabuntur. Et sic videtur quod sicut bonum esse habent lapides et naturaliter appetunt esse suum, sic melius esse habent damnati, et appetunt naturaliter esse suum, specialiter cum[1] *Augustinus* docet, quod nulla creatura potest appetere se non esse. Et patet, quod leviter et frivole vel[2] frontose assumitur, quod damnatis hominibus melius fuisset quod principium humani generis non peccasset; nam si sic, non fuisset eis tunc neque melius neque pejus, sed ratione sui esse boni quod habent, de hoc rationabiliter congauderent. Et quantum ad bonos[3] in patria, clarum est quod charitas urgeret[4] eos de damnatione talium congaudere, tum quia vident rationabilitatem et sententiam summi judicis in hoc fieri (quis ergo non gauderet rationabiliter de judicio ita pulchro?), tum etiam, quia vident quod Deus ex sua gratia servavit eos a damnatione hujusmodi, et aliter potuissent faciliter condemnari.

## CAP. XXVI.

### *De peccato originali.*

*Alithia.* Video, mi frater Phronesis[5], quod probabiliter respondisti objectis, sed unum didici, quod in monendo te de caetero Pseustis habitum non assumam. Sed adhuc mihi supersunt multa dubia, quae vellem habere humiliter plenius declarata.

Quo modo factum sit ut anima, quae a Deo munda creata est,

Et primum est *de peccato originali*, quomodo anima a Deo creata tam munda peccat pro instanti primo sui esse, cum Deus non sit auctor peccati, et Deus per prophetam dicit, quod filius non portabit iniquitatem patris nec e contra[6], sed unusquisque onus suum, sicut dicit apostolus[7].

*Phronesis.* Illa quae dixi, quae in Pseustis persona leviter

[1] cum] tamen, D. ed. pr. [2] frivole vel] om. D. ed. pr. [3] bonos] beatos, A.B.C. ed. pr. [4] urgeret] urget, A.B.C. [5] Phronesis] om. D. [6] nec e contra] om. A.B.C.; cf. Ierem. xxxi. 29, sq. [7] Gal. vi. 5.

objecisti, dixi tanquam probabilia diffusius pertractanda. Sed placet quod materiam de originali peccato cum scripturae testimonio introducis, quia in ista materia *Pelagius* et multi alii haeretici deviarunt. Et videtur primo, quod diffinitio originalis peccati in principio debet dici. Et videtur *Anshelmum* sententiare[1], quod descriptive peccatum originale sit carentia originalis justitiae debitae[2] inesse, quod videtur difficile propter multa: primo quia justum est et de ordinatione divina, quod infans descendens de parente praevaricante careat originali justitia, quousque fuerit baptisatus; quomodo ergo est tam justa sententia peccatum originale? Similiter homo rite baptisatus et reincidens in mortale peccatum[3] habet carentiam originalis justitiae, et sic peccatum originale rediens, et per consequens oporteret quemcunque peccantem mortaliter iterum baptisari, cum baptismus valet praecipue ad peccatum originale[4] delendum; sed quid magis haereticum? Et confirmatur ex hoc, quod quicunque natus est habere[5] originalem justitiam et simpliciter est injustus, caret originali justitia; similiter omnis damnatus caret originali justitia, sicut primi parentes, quando peccaverunt; et tamen[6] non habent omnes originale peccatum perpetuo, ergo descriptio minus bona. Ideo recolo me alias dixisse, quod peccatum originale est originalis defectus hominis a primo parente descendentis quo ad justitiam quam ex lege Dei debet habere in principio sui esse; et sic non est peccatum originale, nisi in sua origine sit contractum. Et per hoc tolluntur objectus, nam lex Dei necessitat, quod sicut homo debet gaudere esse naturali et justitia originali occasionata a suis parentibus, sic debet ipsis peccantibus participare defectu[7], cum radix vitiata necessario inficit residuum stipitis, cum nihil dat[8] quod non habet; et sic peccatum originale licet juste infligitur, ipsum tamen simpliciter est injustum; poena enim est justa, ubi peccatum ipsam[9] causans non potest taliter esse justum. Et ad tantum[10] illud

primo statim initio peccaverit.

Quid proprie sit peccatum originis.

[1] Anshelmum sententiare] Anshelmi sententia est, B. [2] debitae] debite, ed. pr. [3] peccatum] om. B. primae, C. secundae manus, ed. pr. [4] originale] verba 'rediens—peccatum originale' in Codice A. desiderantur. [5] natus est habere] i. e. ad justitiam originalem natus est. [6] tamen] cum, ed. pr. [7] defectu] defectus, A.B.C.; de fructu, ed. pr. [8] nihil dat] non divinat, ed. pr.; non dirimat, D. [9] ipsam] ipsum, ed. pr. [10] tantum] dictum, A.B.C. ed. pr.

propheticum dicitur quod justitia Dei exigit, quod filius non puniatur[1] pro patre ad sui damnum ex traduce[2], nisi culpa sibi[3] propria maculetur. Unde quilibet ex traduce[4] descendens a primo homine, in principio suae[5] originis habet proprium peccatum originale, et saepe ex infectione seminis et demerito sui parentis peccatum proprium actuale; quare ergo non pro peccato proprio puniretur[6]? Et sic[7] a quantumcunque infecto parente homo descenderit, nisi proprium peccatum habuerit, peccatum alterius non portabit. Et ita si per verum aut falsum Christus descenderet a valde infectis parentibus, quia tamen non potuit deficere ab originali justitia quam necessario ex se habuit supra primum hominem, peccato originali non potuit maculari; fuit tamen baptisatus a Johanne sicut fuit circumcisus die octavo, ad implendum utramque legem et dandum exemplum suis fratribus taliter faciendi[8]. Angeli autem mali, cum non a suis parentibus linealiter procreantur, non possunt sic originaliter peccare. Et supponi debet de Christo quantum ad sui materiam, cum miraculose fuit[9] capta de virgine, et non immediate descendit a viro in feminam ipsis peccantibus procreando, quod caruit omnino indispositione ad subjectandam animam, sicut in statu innocentiae caruisset. Unde sic[10] procreati immediate ex parentibus secundum talem indispositionem[11] dicuntur singulariter ex traduce procreari, qualiter Christus procreari non potuit. Sed dubium est *Petri Lombardi*[12], quomodo Deus creavit animam mundam in principio sui esse, et tamen pro eodem instanti eadem anima fit immunda. Deus enim non creat aliqualem[13] substantiam, nisi ipsa pro aliquo tempore fuerit talis, sed anima infantis mortui antequam baptisetur nunquam est munda, ergo Deus nunquam creat eam mundam. Si enim pro instanti quo Deus copulat ipsam corpori, Deus creat ipsam mundam, tunc pro illo instanti est[14] munda, et

[1] puniatur] punitur, A.B.C.; punietur, ed. pr. [2] ex traduce] ex traduce descendens, ed. pr.; ad sui damnum ex traduce, om. D. [3] sibi] sua, ed. pr. [4] ex traduce] om. B. ed. pr. [5] suae] sui, ed. pr. [6] puniretur] punietur, ed. pr. [7] sic] om. ed. pr. [8] faciendi] faciendum, A.B.C. ed. pr. [9] fuit] sint, ed. pr. [10] sic] sicut, A.B.C. ed. pr. [11] indispositionem] dispositionem, ed. pr. [12] Lombardi] Lumbardi, libri manu scripti; ed. pr. addit 'in iii. distinct. 3.' [13] aliqualem] aliquam, A.C. [14] est] ipsa est, B. primae, C. secundae manus, ed. pr.

pro eodem instanti ipsa est[1] immunda, cum tunc[2] peccat originaliter[3].

Et hic communiter dubitatur, in quo peccatum originale hominis subjectatur; et propter istam rationem a multis stultis dicitur, quod subjectatur in semine. Sed quid stultius? cum oportet omne subjectum peccati peccare proportionaliter ad peccatum; sed cum semen non sit homo nec natura[4] peccabilis vel meribilis, quid ipsum demeruit apud Deum? Et patet error ponentium, quod a primo parente in omnibus patribus per quos Christus descenderat, fuit quaedam massa seminis servata munda a crimine, ut ex illa Christus humanitus procreetur; nam semen pro tempore intermedio, antequam anima conjungatur eidem, mereri non potuit aut peccare. Ideo, sicut bene probat *Pelagius*, peccatum originale non in illo semine subjectatur, quamvis illud semen sit signum vel occasio sic peccandi; et cum tota personalitas hominis servatur in illo primo creato spiritu, patet quod pro primo instanti esse hominis originaliter peccantis peccatum illud in *spiritu*[5] subjectatur. Et sic limitando munditiam ad justitiam hominis, quam habere debeat quo ad Deum, et immunditiam ad sensum oppositum, et supponendo quod anima non habet existentiam antequam corpori copuletur, videtur mihi probabile, quod Deus nec creat eam mundam nec immundam; non enim creat eam mundam, quia tunc foret talis pro instanti creationis; nec creat eam immundam, cum non facit eam deficere ab originali justitia, et omne creare est facere. Sicut ergo Deus non ordinat quod spiritus ille sic deficiat, sic nec creat, sed bene creat ipsam animam, quae pro instanti suae creationis est immunda. Et si quaeras, unde contrahitur illa immunditia, dicitur quod a linea peccati a primo homine usque ad illum hominem descendente. Verumtamen si spiritus ille remaneret incopulatus corpori, remaneret mundus, et occasione istius trahitur sermo, quod anima contrahat[6] suam immunditiam a semine sic infecto. Verumtamen placentius est mihi, quod hoc peccatum originale contrahitur a primo homine et a linea omnium

[1] est] om. ed. pr. [2] tunc] autem, C.; talis, ed. pr. [3] originaliter] originaliter; ergo simul est munda et immunda, A.B.C. ed. pr. [4] natura] creatura, ed. pr. [5] spiritu] ipso spiritu, D. [6] contrahat] contrahit, ed. pr.; cum B. primae manus.

hominum secundum quam postgeniti descendebant[1]. Sed scio quam[2] multi in materia ista mussitant, et specialiter cum animae multorum sanctorum sunt omnino mundae a crimine pro tempore quo procreant prolem suam; a quo ergo contraheretur peccatum originale in prole? numquid ab illo homine qui actualiter non existit, aut ab illo spiritu separato, quem supponitur esse beatum et sic omnino mundum? Imo videtur quod, sicut Deus perfecte sanat hominem a peccato, ita perfecte sanet[3] ipsum ne[4] contaminet prolem suam. Hic tamen considero quod oportet loquentem in ista materia esse bene fundatum in materia de quidditate originalis peccati, noscendo quomodo est originalis defectus[5] et non quod est creatura aliqua quae transmitti[6] posset per semen, vel aliter per se esse; sed est quidam primarius defectus in producto homine, quem habet[7] ex defectu suorum parentum[8], ex quo defectu impeditur ne observet quod aliunde sibi stante statu suae innocentiae foret justum. Sciat ergo fidelis locutiones breves in sensus tales resolvere, et cavebit erroris periculum. Quamvis autem Deus peccata hominis deleat quo ad personam propriam, non tamen delet hic[9] simpliciter omnem poenam, cum astrictus sit mori et pati angustias, et sic redundat quodammodo in poenam suam, quod prolem procreet sic peccantem. Oportet ergo quod pro defectu tali, qui caeteris paribus non debet parentibus imputari, fiat satisfactio, ut baptisatio in virtute mortis Christi vel medicina alia in baptisatione sequente duplici[10], quam medicinam Deus ex sua gratia acceptat pro defectu prolis taliter deficientis, sic quod non assistente hujusmodi medicina necesse est prolem a beatificatione deficere. Et quantum ad objectus, experimento didici, quod nemo solvit clare et impugnabiliter objectus[11] istius materiae, nisi tempus extenderit et noscat regulas divinae justitiae, et omnino quod peccatum originale non sit in semine macula positiva, qua[12] anima pro instanti suae conjunctionis polluatur[13].

Peccatum originis non est natura aliqua sed *defectus* originalis.

[1] post geniti descendebant] post genitus descendebat, ed. pr.; geniti desc., A.B.C. [2] quam] quod, D.B. primae, C. secundae manus, ed. pr. [3] perfecte sanet] faciat, ed. pr. [4] ne] neque, ed. pr. [5] defectus] defectus justitiae, D. ed. pr. [6] transmitti] transfundi, C.D.B. primae manus, ed. pr. [7] habet] homo, A.B. [8] parentum] parentum contrahit, A.B. [9] hic] homini, A.B.C. [10] duplici] scil. baptismo flaminis vel sanguinis. [11] objectus] defectus, B. secundae manus. [12] qua] quia, B. primae manus, ed. pr. [13] polluatur] polluitur, D. ed. pr.

## CAP. XXVII.

*Deum potuisse incarnari.*

*Alithia.* Verba tua in parte intelligo, et licet circumstent dubia infinita, videtur tamen mihi difficile, quomodo Deus poterit incarnari, et quomodo ad objectus incarnatione supposita est dicendum. Videtur enim, quod sicut identificatio[1] est impossibilis, ut suppono ex alibi declaratis, sic et incarnatio, cum sit quaedam identificatio naturarum magis differentium[2] quam eorum quorum[3] identificatio est neganda. Si enim Deus partes quantitativas continui identificare non poterit, quomodo identificare potest[4] personalitatem Verbi cum natura humana, sic quod utrumque eorum sit eadem persona? Similiter incarnatione supposita, non videtur ratio quin Verbum potest[5] multas naturas humanas simul[6] assumere, et multae personae divinae eandem simul. Et idem est judicium de qualibet natura creata, ut videtur quosdam[7] doctores asserere, et periret omnino ratio arguendi, cum sicut nemo scit utrum ipse sit Deus[8] per assumptionem absconditam, sic nescit de qualibet creatura, utrum scilicet Deus suus sit quodcunque animal rationale[9] vel accidens per assumptionem hypostaticam se latentem.

Quo modo fieri potuerit, ut Deus naturam humanam assumeret.

*Phronesis.* Oportet fidem ut fundamentum juvare in ista materia, et certum est quod illa supposita facile est per rationem tollere omnes argutias in oppositum faciendas. Sicut enim ex trinitate animae a posteriori cognoscitur Trinitas increata, sic ex unione animae cum corpore incarnatio Dei potest nosci: spiritus enim creatus unitur[10] corpori animato et fit una persona hominis, quae servatur in illo spiritu, quomodocunque natura corporea fuerit variata; et sic credendum est in parte de persona

Respiciendam esse unionem animae cum corpore.

[1] identificatio] ydemptificatio, libri manu scripti. [2] differentium] distantium, D. ed. pr. [3] eorum quorum] earum quarum, D. ed. pr. [4] potest] poterit, C. secundae manus. [5] potest] om. B. primae manus, ed. pr. [6] simul] simul posset, B. primae manus, D. ed. pr. [7] videtur quosdam] videntur quidam, B. primae manus, ed. pr. [8] sit Deus] est Deus, A.; est dignus, B. secundae manus. [9] rationale] irrationale, ed. pr. [10] unitur] unitus est, A.B.C.

Verbi, quod assumpsit in unitatem personae humanitatem integram, faciendo se esse illam personam hominis, quae aeternaliter prius fuit, quia secundum naturam Verbi aeternaliter prius fuit; et non est intelligendum, quod spiritus ille creatus habet ullam intellectionem quam non communicat personae compositae, sed quidquid spiritus hominis intellexerit, intelligit illa persona composita et e contra. Sic intelligendum est de persona Verbi et homine illo assumpto, quod[1] quidquid persona Verbi intelligit, intelligit persona divina composita, et quidquid patitur humanitas assumpta, patitur illa persona composita. Nec est intelligendum, quod persona Verbi vel Deitas sit pars illius hominis, sicut nec pars integralis hominis est ille spiritus, sed realiter totus homo. Unde sicut in materia de Trinitate[2] tres personae sunt eadem natura divina, sic in materia de incarnatione tres naturae, scilicet corpus et anima et natura divina sunt singulae eadem persona Verbi. Et sicut non sequitur, Pater est natura divina, et Verbum est eadem[3] natura, ergo Pater est Filius; ita non sequitur, singula harum trium naturarum est eadem persona Verbi, ergo aliqua earum est reliqua earundem; ut docet *Anshelmus* de incarnatione, cap. vii. Et per hoc tolluntur argutiae quae volitant[4] in ista materia. Diversitas tamen est in incarnatione et unione animae, quia basis incarnationis, quae est natura Verbi, est aeterna a parte ante, quia realiter Deus ipse; sed basis unionis alterius spiritus creati cum corpore est perpetua a parte post, licet incepit esse. Et sic est in incarnatione quodammodo duplex unio, scilicet unio Verbi cum creato spiritu et consequenter cum corpore ac natura composita, et unio illius spiritus creati cum corpore, quae in sancto triduo[5] est soluta; et sic tam ille spiritus quam corpus est in triduo pro tempore separationis realiter Verbum Dei, sic quod verum sit et inexpugnabile a sophistis, quod Deus pro illo triduo jacet[6] mortuus in sepulchro, et ille idem Deus pro eodem triduo secundum eundem creatum spiritum descendit ad inferos; mors tamen vera[7] intercidit, per

[1] quod] et, B. secundae manus, ed. pr. [2] de Trinitate] Trinitatis, A.B.C. ed. pr. [3] eadem natura] natura divina eadem, A.B.C. ed. pr. [4] volitant] volutant, B. primae manus, ed. pr. [5] sancto triduo] scil. inter mortem et resurrectionem Christi. [6] jacet] jaceat, D. [7] vera] vere, A.C.

separationem animae a corpore, ut diffuse dictum est in materia de incarnatione ex testimonio *Augustini*. Nec sequitur, si Verbum assumpsit istam naturam, et ista natura est persona Verbi, quod[1] Verbum assumpsit personam Verbi; ut non sequitur, si Verbum assumpsit humanitatem, quae est natura humana, Verbum[2] esse hominem, quod Verbum propterea assumpsit personam aliquam, sed coepit esse persona *hominis*, et non coepit esse persona, sicut Deus incepit[3] esse Deus meus, et non incepit[4] esse Deus. Et discordat ista sententia ab errore *Pelagii*, *Arii*, et aliorum haereticorum, qui in ista materia erraverunt, ut suppono ex[5] declaratis in tractatu de incarnatione. Nec video, quomodo casus communes positi de assumptione multarum naturarum hominum possunt probari vel credi. Unde non oportet negare hujusmodi syllogismos,—omnis persona Verbi est Petrus, omnis Paulus est persona Verbi, ergo omnis Paulus est Petrus. Nec video quin foret superfluum, quod persona Verbi multas humanitates assumeret, vel quod multae personae eandem humanitatem assumerent; et per consequens cum omne superfluum foret in Deo simpliciter impossibile, omnes tales casus inaniter positi sunt simpliciter impossibiles. Et ista sententia habet colorem ex dictis, quod omne possibile est verum, et quod non oportet in Deo servare potentias infinitas formaliter loquendo, quarum nulla procedit in[6] actum, ut quod Deus potest assumere naturam tuam et alias infinitas; et cum superfluit vel potius non proficit, quod potest assumere naturam tuam, et sic de caeteris, quam quod[7] potest negare se ipsum. Et certum est, quod omnes adversarii nesciunt probare possibilitatem talium casuum, ut quod Deus potest esse asinus etc.; bene tamen est verum, quod potest si velit. Et ista glossa satisfaciet[8] cuicunque dicto vel rationi in[9] oppositum allegando; et per hoc exonerati sumus a studiis et occupationibus multis superfluis, quibus circa casus et responsiones haeretici occupantur. Salubrius quidem est studere veritates solidas quam

[1] quod] quod tunc, A.C.B. secundae manus. [2] verbum] verbi quia, A., B. secundae manus. [3] incepit] incipit, ed. pr. [4] incepit] incipit, ed. pr. [5] ex] de, A.B. [6] in] ad, ed. pr. [7] quam quod] quod, ed. pr. [8] satisfaciet] satisfacit, D. ed. pr. [9] in] cum in, ed. pr.

inaniter evagari circa fictitias, quas nescimus probare esse possibiles vel eas aut earum notitias posse homini prodesse, cum multae veritates solidae et utiles jacent hominibus occultatae. Ideo quando ponitur quod Deus dimittat naturam assumptam, et sic de aliis casibus fundatis inaniter ex hac radice impossibili, excutiantur et contemnantur, nisi eorum possibilitas sit probata. Deus enim non potest tantam ingratitudinem committere sine causa peccati, illum spiritum creatum dimittendo, cum stante assumptione non est compossibile quod sic peccet, et desinente assumptione illa praecederet naturaliter, antequam sit possibilitas ad peccandum. Et sic in triduo Christus fuit homo vivus et[1] mortuus, et secundum diversas naturas destitit a se ipso; sed Deitas necessario infuit utrique naturae.

## CAP. XXVIII.

*De unione animae cum corpore.*

*Alithia.* Bona infers auribus meis et multis incredibilia; quis enim crederet, quod anima humana non sit pars hominis? aut quod Deus ad tantum illibertatur[2] ad assumendum illam animam, quin per idem posset assumere quamcunque aliam, cum libere contradictorie illam assumpsit? Videtur ergo multis, quod blaspheme extinguis subtilitatem scholae et dimittis subtilitates solidas omnino intactas, ut[3] si praecise[4] salvabuntur[5] tot homines quot ex peccato in Spiritum Sanctum finaliter damnabuntur.

*Phronesis.* Considero quod in multis extraneo a modernis, sed cum multis sanctis antiquis, et specialiter *Augustino* convenio. Et quantum ad *primum* de *unione animae cum corpore*, certum est quod *Aristoteles* ante incarnationem et alii philosophi multum circa istam materiam dubitarunt, quomodo videlicet ex anima vel[6] spiritu tali per se possibili et corpore organico potest

[1] et] et homo, A.B.C. ed. pr. [2] illibertatur] illibertaretur, A.C.B. secundae manus. [3] ut] et, C. secundae manus, ed. pr. [4] praecise] pure, A.B.C. primae manus. [5] salvabuntur] salvantur, B. [6] vel] et, C., B. secundae manus.

fieri unum compositum; et ad tantum devenit *Aristoteles*, quod sufficit forma in materia, sic quod ad informationem non requiritur aliud ligamentum, quia, ut vere apparet[1], illius ligamenti foret aliud ligamentum, et sic in infinitum. Ideo delirant qui ponunt, quod actuatio hujus[2] formae suspendatur[3]. Anima enim[4] humana dupliciter potest intelligi, vel personaliter pro illo spiritu separabili a corpore, secundum rationem qua animat[5], vel simpliciter pro illa animatione, quae est actus primus corporalis illius spiritus, et illa animatio est ejusdem rationis cum formis aliis materialibus, ita quod sicut sufficit pro causa, quare corpus bestiae vivit, quod hoc ideo quia complexio illius corporis sufficit ut sic vivat, sic[6] est dicendum de homine. Spiritus tamen hominis habet legem per se supra animas bestiarum. Et quamvis tales actuationes sunt accidentales materiali essentiae, sicut sunt igneitas et ceterae formae, tamen sunt essentialis quidditas totius compositi differenter a formis accidentalibus. Et sic[7] spiritus hominis est in confinio inter angelos et formas materiales. Et hinc dixit *Plato*, quod creatus est in horizonte[8] aeternitatis; sicut enim horizon est circulus dividens mundum in duas medietates, quarum una satis videtur oculis et alia a sensu nostro absconditur, quae sunt duo hemisphaeria[9] integrantia[10] totum mundum, sic universitas creata secundum aliam[11] rationem dividitur in spiritus insensibiles, quos philosophi vocant intelligentias et nos angelos[12], et in res nobis sensibiles, saltem secundum sensum intrinsecum, cujusmodi sunt omnia corpora et formae materiales. Spiritus autem, qui sunt prima pars mundi, sunt a parte post[13] aeterni, et res aliae temporales. Et distinctionem[14] inter res istas, quarum prima occultatur sensui, ut hemisphaerium sub horizonte, et secunda manifestatur sensui, ut hemisphaerium supra horizontem, distinctionem inquam istam vocat *Plato* 'horizontem aeternitatis;' et quia spiritus hominis in parte convenit cum formis materialibus, et in parte cum

Anima humana est in confinio rerum spiritualium et corporalium.

[1] apparet] apparet eis, D. [2] hujus] hujusmodi, ed. pr. [3] suspendatur] suspenditur, A.B.C. [4] enim] ergo, B. primae, C. secundae manus, ed. pr. [5] animat] amat, ed. pr. [6] sic] sicut, ed. pr. [7] sic] sicut, ed. pr. [8] horizonte] orisonte, A.C. [9] hemisphaeria] emisperia, libri manu scripti. [10] integrantia] integrando, ed. pr. [11] aliam] aliquam, A.B.C. [12] et nos angelos] scil. vocamus. [13] a parte post] aperte post, ed. pr. [14] distinctionem] distinctiones, A.B.C.

angelis, ideo dicit *Plato*, quod ponitur in confinio horizonte aeternitatis.

Et patet ad primum objectum tuum, quod anima humana potest intelligi simpliciter ut pars qualitativa vel quidditas hominis, ut est de aliis formis materialibus, et potest intelligi personaliter pro illo spiritu, cui accidit taliter actuare. Et secundum istam aequivocationem procedunt dicta philosophorum, quorum quidam sententiant quod anima est *pars* hominis, et alii sicut scriptura, quod anima est personaliter *ipse homo*; apostolus tamen specificat[1], quod est homo interior.

Ex ordinatione Dei aeterna oportuit Christum illum spiritum humanum (Jesum) assumere.

Quantum ad *secundam* instantiam tuam, patet solutio, quod[2] omnia quae evenient, de necessitate evenient. Nam ex determinatione et ordinatione Dei[3] aeterna oportuit Christum illum spiritum assumpsisse; nec credo quod alium sibi potuit hypostatice univisse; potuit tamen si voluisset[4], quod est satis, sed cum illa assumptio sit prius quam meritum illius spiritus, apparet mihi, quod ille non meruit ut sic assumeretur vel taliter crearetur, cum secundum omnes[5] loquentes nemo sibi meretur primam gratiam. Et quantum ad *libertatem contradictionis*, vellem ut suspenderetur illa locutio, cum non sit autentica nec fundabilis ratione. Quidam tamen vocant libertatem contradictionis libertatem illam, quae est ad unam partem positivam, et posset in suum contradictorium, si potentia illa libera illud vellet[6], et ista summa libertas contradictionis est in Deo. Quaedam tamen perceptio libertatis hujusmodi est nobis sensibilis et quaedam a nobis abscondita, ut necessitates futurorum eventuum a nobis communiter absconduntur. Et ut quidam aestimant, illa sunt arcana[7] verba, quae audivit Paulus, nec licet homini nisi generaliter ipsa loqui. Et patet quod Deus non illibertatur quidquam facere, licet absolute necessario illud fiat[8], sicut non illibertatur producere Verbum vel Spiritum Sanctum, licet absolute necessario illud agat; actio tamen ista ad intra necessario est aeterna, et factio est temporalis; ideo dicitur quod factio est contingens.

Quantum ad *tertiam instantiam* tuam, scio quod multas sub-

[1] specificat] specivocat, ed. pr. [2] quod] quomodo, ed. pr. [3] Dei] om. A.B.C. [4] voluisset] voluit, ed. pr. [5] omnes] nostros, C. secundae manus, ed. pr. [6] vellet] velit, C. secundae manus, ed. pr. [7] arcana] archana, libri MSS.; cf. 2 Cor. xii. 4. [8] fiat] agat, ed. pr.

tilitates scholae praetermitto, et alias vanitates, quae vocantur subtilitates, subticeo; de quo gaudeo. Scio tamen quod arcana difficultas est de quantitate numeri salvandorum, et Deus vult ipsam nobis esse absconditam, sicut adventum diei judicii et quantitatem temporis praecedentis. Verumtamen[1] videtur mihi probabile, quod tot homines salvabuntur quot angeli ceciderunt, et quot homines stante ex integro statu innocentiae crearentur; et sic occasione accepta ex Dei gratia tam peccatum primi angeli quam peccatum primi hominis fecit bonum. Videtur enim decere Deum Dominum[2] magnificum, quod illa coelestis civitas ultra ruinam tantam[3] ex peccato ad melius reformetur, et sic quot fuerunt spiritus creati in mundi principio, et quot homines in statu innocentiae producendi, tot erunt spiritus ex creatione hominum coelestem curiam integrantes. Et sic generi humano multipliciter evenit bonum occasione peccati per gratiam Salvatoris. Et patet in parte solutio ad tertiam tuam instantiam, semper servando Deo arcana suae notitiae, ut qui et quot homines salvabuntur, qui et quot homines damnabuntur, et quantum erit gaudium beatorum, aut qui homines ad aequalitatem angelorum vel supereminentiam assumentur.

## CAP. XXIX.

*Christus omnes et homines et angelos superat.*

*Alithia.* Placet de ista sententia et specialiter quia servas te in limitibus ignorantiae[4], fatendo humiliter quod ignoras. Sed unum videtur mihi, te manifeste innuere, quod Jesus Christus Deus et homo excedit infinitum non solum omnes homines sed omnes ordines angelorum; et in hoc debemus omnes fratres sui gaudere et exultare quodammodo infinite; ex hoc enim habemus bonos angelos adjutores et malos angelos velint nolint utiliter servientes, et infinitum plus quam enarrare sufficimus gaudium libertatis.

[1] verumtamen] unum tamen, ed. pr. [2] Deum Dominum] om. ed. pr. [3] tantam] causatam, D. [4] ignorantiae] ignorantiae servandae, B. secundae, A.C. primae manus.

*Phronesis.* Bene concipis, sed[1] oportet cavere de Pseuste propter ebullitiones sophisticas, quomodo Christus est duarum completarum naturarum utraque, scilicet tam deitas, quam vera humanitas. Et secundum illas concedi debent de eo simpliciter valde disparia praedicata, ut quod sit aequalis Patri secundum divinitatem[2], et minor secundum humanitatem etc., et[3] hoc tantum[4] est dicere: ipse humanitus virtute est parvus et Pater taliter non potest esse[5] parvus, et sic ambulavit, esuriit, et tales praedicationes humanas suscepit, quales evangelium de ipso simpliciter concedit.

Contra notionem Christi τοῦ θεανθρώπου argutiae quaedam indicantur.

*Pseustis.* Videtur mihi, quod praecipitanter in contradictoria[6] te involvis. Quae, rogo, planior contradictio, quam quod Christus fuit minoratus paululum[7] ab angelis, et tamen tam secundum divinitatem quam[8] humanitatem quibuscunque angelis major factus? Similiter si Christus infinitum excedit alios homines in perfectione essentiali, tunc necesse est quod sit ab illis disparis speciei; sed quid tunc ad genus humanum, quod ipse sic meruit? tam extraneum quidem videtur suum meritum ad salvandum homines, quantum[9] extraneum est ad diabolos liberandum. Similiter ex unione hypostatica Christus aliquante perficitur, et non potest esse homo alius sibi par in perfectione humana, ergo Christus est homo infinitum perfectus, et sic est homo primus simpliciter, cum praecessit Adam in tempore et praecedit simpliciter dignitate. Sicut ergo non sequitur, 'aethiops est albus secundum dentes, ergo est[10] albus,' sic non sequitur, 'Christus suscepit[11] talia praedicata *humanitus*, ergo ipse simpliciter suscepit talia praedicata.'

Sophismata ista solvuntur.

*Phronesis.* Video quod gaudes in contentiosis pugnis verborum, sed 'nos talem consuetudinem non habemus[12];' quia tamen[13] secundum *Aristotelem* decet philosophum scire solvere tales argutias, ne capiatur in verbis, ideo expedit ut induam habitum philosophicum[14] et tollam tuas instantias. In primis

[1] sed] quod, ed. pr. [2] divinitatem] deitatem, B. primae manus, ed. pr. [3] et] om. C. secundae manus, D. ed. pr. [4] tantum] om. C.D. ed. pr. [5] esse] esse ita, A.B. [6] contradictoria] contradictionem, A.B.C. [7] paululum] paulo minus, ed. pr.; cf. Hebr. ii. 7, 9. [8] quam] quam secundum, B.C. ed. pr. [9] quantum] quam, ed. pr. [10] est] ipse est, B. primae, C. secundae manus, D. ed. pr. [11] suscepit] suscipit, ed. pr. [12] cf. 1 Corinth. xi. 16. [13] tamen] om. C. secundae manus, D. ed. pr. [14] philosophicum] philosophorum, ed. pr.

Christus vere homo.

ergo dico tibi, quod Christus fuit univoce homo cum quolibet alio fratre suo, et per consequens infinitum melior Deus quam homo, et ita cum ille homo contingenter sit homo, licet humanitas sua non sit accidens alicui et ratione talis contingentiae, sicut[1] sophismata tua de Christi humanitate videntur innuere[2]; non tamen videtur mihi quod in melioritate humana creverit successive, sed pro primo instanti suae incarnationis fuit aeque bonus homo, sicut aliquis homo[3] posset esse. Et sic ratione unionis hypostaticae et ratione plenitudinis virtutum et gratiae videtur mihi, quod tunc fuit aeque bonus homo sicut unquam postmodum, quantumcunque profecerit vel creverit in virtute. Videtur tamen mihi, quod a primo instanti suae incarnationis inclusive usque ad instans mortis suae, meruit sibi et suo generi, et sic proficiebat aetate et sapientia coram Deo et hominibus[4], non solum suis fratribus, sed etiam sibi ipsi, cum apostolus dicit ad Philipp. ii., quod Christus factus est obediens usque ad mortem etc. Non tamen intelligo, quod partes quantitativae vel intensivae meriti Christi quaesierunt sibi humanitus partes praemii vel gaudii, sed continue totum gaudium meruerunt. Nec est color quod tunc meritum Christi superfluit, cum necesse sit Christum totum meritum suum complevisse. Concedo ergo tibi, quod Christus est tantum finite bonus homo, imo quod totum genus suum est ipso melius, verumtamen quocunque homine signato, qui non est multi homines. Et sic de angelis[5]: Christus est humanitus melior quam aliquis eorundem. Et bene novisti, quod duplex est bonitas hominis, scilicet bonitas gratiae vel naturae; quantum ad bonitatem gratiae, Christus Deus excedit quamlibet aliam creaturam; unde secundum modos loquendi sanctorum quodlibet membrum Christi accipit modo subtili atque mirabili nomen suum, ut quilibet talis vere dicatur Christus. Sed ad tollendum tuas instantias intellige[6], quod Christus est nomen appellativum, ac si intenderetur quod omnia membra Christi ungantur gratia ex[7] plenitudine hujus fontis. Ideo dicit Johannes in principio sui evangelii, quod de ejus

[1] sicut] sunt, ed. pr. [2] videntur innuere] om. ed. pr. [3] homo] om. D. [4] cf. Luc. ii. 52. [5] de] om. D.C. primae, B. secundae manus. [6] intellige] intelligo, B.C. [7] ex] et, B. secundae manus.

plenitudine nos omnes accepimus[1]. Unde licet sancti dicant, quod omnia membra ecclesiae sunt Christus, vel tunc intelligunt appellative quia ungantur gratia Jesu Christi, vel more scripturae intelligunt per membra ecclesiae ipsam ecclesiam et sic Christum, qui est una[2] persona cum ecclesia sua sponsa; saepe enim pars principalis refundit nomen in partes alias consequentes.

Quo sensu Christus et minor et major angelis fuerit.

Ad *primam instantiam* tuam oportet te intelligere ex praedictis, quod Christus ratione incarnationis suae est multorum singulum, et nunc denominatur[3] secundum unum eorum et nunc secundum aliud, secundum quod pertinet historiae, quae de eo debeat enarrari; et sic videtur psalmus[4] dicere, quod Christus minutus est paulo minus ab angelis[5], secundum naturam corpoream quae est inferior natura angelica; et secundum illum creatum spiritum, sicut secundum deitatem, excedit angelos quoscunque et quamlibet aliam creaturam, secundum verba apostoli ad Hebraeos i. 'tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit; cui rogo unquam angelorum dixit Deus' etc.[6]; per humanitatem quidem suam omnes angeli complete et finaliter sunt beati, 'de ejus quidem plenitudine nos omnes accepimus.' Et patet, si nosti naturam contradictionis, quod non solum contradictionem tuam evadam sed et cuncta inconvenientia, quae sic pompas.

Christus quamvis excellat ceteris hominibus, non disparis speciei est.

Ad *secundam* tuam *evidentiam* patet, quod Christus non humanitus excedit in infinitum in perfectione essentiali alium hominem, cum totum genus humanum, cujus quodlibet individuum sibi parificatur in perfectione specifica[7], non infinitum excedit aliquod ejus suppositum; sed secundum deitatem infinitum excedit hominem, hoc est naturam hominis, ut suppono. Et patet defectus primae consequentiae quam fecisti, quia secundum deitatem non includitur in aliqua specie, et secundum humanitatem est ejusdem speciei cum quolibet alio fratre suo. Et patet, cum Christus sit idem totum specificum[8] quod est quilibet alius frater suus, quod ejus incarnatio et exaltatio meruit suo toti, cum tam secundum naturam corpoream quam secundum

[1] cf. Joh. i. 16. [2] una] unum cum ecclesia, vel una, A.C. primae manus. [3] denominatur] dominatur, ed. pr. [4] psalmus] primum, D. [5] cf. Ps. viii. 6. [6] quanto—Deus] om. ed. pr. [7] specifica] specivoca, ed. pr. [8] specificum] specivocum, ed. pr.

creatum spiritum sit Christus idem cum quolibet hominum[1] salvandorum. Et patet, quod falsum in fine admittitur[2], cum major sit convenientia individuorum in specie, quam suppositorum quae solum concordant in genere, quia longe alia est convenientia quam in termino vel in signo.

Ad *tertiam* tuam *instantiam* dico, quod consequentia non procedit, quia juxta tua principia per hoc argumentum probaretur, quod quaelibet superficies sit infinitum major quam linea, et corpus infinitum majus superficie, et per consequens utrumque eorum infinitum magnum. Sed ut accedam propius falsitatem tuae sententiae non mendicans, certum mihi est quod omnis homo est infinitum perfectior quam bestia, et tamen non exinde est infinitum perfectus. Concedo tamen, quod infiniti homines alii per impossibile positi non possunt[3] Christo humanitus coaequari propter unionem illam beatam, quam nullus alius posset assumere; et sic Christus excellit humanitus[4], tam in natura assumpta quam in gratia unionis, omnes homines praeter ipsum[5], nullus enim alius homo posset in anima vel in[6] corpore Christum praecellere; et per consequens in corpore fuit tanta aequalitas complexionis harmonicae, quod non potuit esse rebellio corporis sui ad animam, sicut est in quolibet alio fratre suo. Sed non ex hinc sequitur, quod Christus infinitum excedit humanitus aliquem fratrem suum. Et quantum ad replicationem tuam de primitate humanitatis, concedo tibi, quod Christus est primus homo simpliciter dignitate, et sic est prius[7] Adam; sed communiter intelligitur de temporis primitate, nec est contradictio in ista aequivocatione, licet sophistae laborent multum in talibus imprudenter.

Et quo ad *ultimam replicationem* tuam de loco a simili[8], patet quod multi ex ista simiali similitudine sunt lapsi, negando fidem scripturae, imaginantes quod humanitas Christi aut ejus divinitas sunt partes ejus quantitativae aut qualitativae, quia aliter ratio tua non procederet ab exemplo. Audaciter ergo concedam simpliciter omnes praedicationes, quas fides scripturae

[1] hominum] homine, A.B.C. primae manus. [2] admittitur] annectitur, A.B.C. ed. pr. [3] possunt] possent, ed. pr. [4] humanitus] om. A.B.C. [5] omnes—ipsum] om. C. secundae manus, D. ed. pr. [6] in] om. ed. pr. [7] prius Adam (h.e. prior Adamo)] primus Adam, A. primae manus; nec est primus Adam, sicut com. est, C. [8] a simili] assimili, ed. pr.

concedit de Christo simpliciter, et scio quod omnes sagittae tuae quae includuntur in tua pharetra, nesciunt haec verba Domini impugnare. Utrum autem sequatur[1] simpliciter, 'aethiops est albus secundum dentes, ergo aethiops est albus,' relinquo tibi et sophistis tuis sodalibus ad materiam magis fructiferam[2] accedendo.

## CAP. XXX.

*Nullus sanctorum laudandus est, nisi quatenus Christum fuerit secutus.*

*Alithia.* Delector, frater Phronesis, quod tantum magnificas Salvatorem; et videtur mihi sequi ex ista sententia, quod nullus sanctorum sit laudandus ut pars ecclesiae, nisi de quanto ipse secutus fuerit in moribus ipsum Dominum Jesum Christum[3]. Videtur mihi *secundo*, quod nullus sanctorum in verbis vel factis sit laude dignus, nisi de quanto a Christo exhauserit[4] materiam laudis suae. Et videtur mihi *tertio*, quod auctoritas scripturae sacrae, quae est lex Christi, infinitum excedit quamlibet scripturam aliam quantumcunque[5] autenticam assignandam.

Christus omnibus sanctis infinitum superior.

*Phronesis.* Subtiliter et acute infers multiplicia quae sequuntur. Cum enim ex fide capimus, quod Deus erat Verbum, quod quidem Verbum caro factum est, ut dicitur Johannis i., et idem[6] Verbum, quod est Christus Jesus, nedum infinite excedit quemcunque alium hominem secundum divinitatem, sed nullus alius homo potest sibi in virtute vel gratia coaequari nec sine illo ut fonte salvari; quam verum primo concludis, quod sive patres legis veteris sive legis gratiae, quantuncunque magnificentur, non sunt laudandi[7] nisi de quanto secuti fuerint Dominum Jesum Christum. Et hinc ecclesia nostra rationabiliter habet hanc consuetudinem, quod quemcunque sanctum oraverit, sermonem ad Christum Deum dirigit, non ad illum sanctum

[1] sequatur] sequitur, ed. pr. [2] fructiferam] fructuosam. D. [3] ipsum Dominum Jesum Christum] Christum nostrum, B. primae manus, ed. pr.; Jesum nostrum, D. [4] exhauserit] inhauriat, A.B.C. primae manus. [5] quantumcunque] quamcunque, ed. pr. [6] idem] illud, D. [7] laudandi] laudandi in fide, A.B.C. ed. pr.

principaliter, sed ad Christum; nec valet solemnisatio vel festivitas talis sancti, nisi de quanto ad magnificandum Christum praeparat, ad honorem suum incitat, et ad amorem suum provocat vel[1] accendit. Unde si aliquae sunt solemnisationes sanctorum quae exorbitant ab hoc fine, non dubium quin cupiditas vel peccatum aliud sit in causa. Ideo multi putant prodesse ecclesiae, quod cessantibus istis omnibus festivitatibus sanctorum solum Christi festivitas observetur, quia, ut inquiunt, tunc Christi memoria recentius haberetur, et plebis devotio non sic in membra Christi indebite spargeretur. Sed quomodocunque sit de hoc, certum est quod non prodest alicujus talis sancti solemnitas vel devotio, nisi de quanto accendit ad Christum amandum, et praeparat, ut ipse magis oret[2] ad suffragium impetrandum; quia certum est ex fide, quod oportet mediatorem Dei et hominum Christum Jesum, si aliquid a Trinitate concedi debeat, per[3] orationem cujuscunque sancti alterius mediare. Unde multis videtur, quod quando singulariter oratio directa fuit[4] ad illam personam mediam pro adjutorio spirituali, tunc plus profuit et crevit ecclesia quam facit modo, multis intercessionibus adinventis. Et si[5] Pseustis instat, quod sancti legis veteris non sequuntur Christum, quia nondum est pro lege veteri, cum 'Christus' dicat unionem hypostaticam naturarum, dicitur sibi quod nos audivimus ex lege, quod Christus manet in aeternum, sic quod de Christo singulariter verificantur sophismata[6] quae de aliis hominibus verificari non potuerunt[7], ut quia personalitas Christi est aeterna, et suae humanitatis assumptio aeternaliter praeparata, potest dici quod pro tempore legis veteris manet Christus, quia manet[8] ista persona, et ista persona tempore suo[9] est Christus. Et hinc apostolus confidenter loquitur 1 Corinth. x.: 'Petra, inquit, erat Christus.'

Christus solus mediator habendus.

Ad conclusionem[10] secundam patet ex fide, quomodo a quocunque catholico debet concedi, quod humanum genus perpetuo

[1] vel] et, A.B.C. ed. pr. [2] oret] oret patrem, A.B.C. ed. pr. [3] per] propter, C. secundae manus, ed. pr. [4] fuit] fuerit, B. ed. pr. [5] si] sic, ed. pr. [6] verificantur sophismata] verificabuntur praedicata, A.B.C. [7] potuerunt] poterant, A.B.C.; poterunt, ed. pr. [8] Christus, quia manet] om. ed. pr. [9] tempore suo] pro tempore suo, ed. pr.; quae pro tempore suo, A.B.C. [10] conclusionem] quaestionem, B. primae manus, ed. pr.

damnaretur, si non Samaritanus iste curam ejus egisset, ut notat evangelium Luc. x., ut[1] patet ex dictis. Et hinc[2] multi probabiliter existimant[3], ut dictum est superius, quod foret expediens Christum singulariter inter homines adorari[4], quia ipse est mediator et[5] intercessor optimus, paratissimus quo ad utrumque extremum, et benignissimus ratione caritatis et misericordiae infinitae. Stultus ergo foret qui alium intercessorem inquireret, quia propositis duobus eligibilibus, qui minus eligibile sine causa praeponeret, foret stultus; Christus enim est[6] semper vivens apud patrem, ad interpellandum pro nobis[7] paratissimus illapsus in mente cujuslibet viatoris, qui ipsum dilexerit. Unde non oportet ad captandum ejus colloquium sanctos alios mediare, cum sit benignior et pronior ad juvandum, quam aliquis eorum. Et moveret quod mens viatoris ex multitudine beatorum, quos orat, dispergitur et[8] affectio a Christo laxatur, eo quod tantum est finita, et per consequens remittitur, cum sic in plurimos sit dispersa. Et super haec postquam crevit cupiditas et affectio personalis ecclesiae, saepe evenire poterit quod cupiditas vel personalis affectio devotionem inficeret, imo quod diabolum canonisatum stultificatus adoraret et coleret ut beatum. Adorato ergo Christo et placato ad ejus imperium beati caeteri juvant de suffragio spirituali, et quomodocunque ipsi colantur, singulariter non juvant aliquem nisi de quanto ab isto Domino imperantur[9]. Stultitia quidem videtur fontem omnino paratiorem[10] relinquere et ad rivum turbidum et remotum accedere[11], et specialiter ubi fides non docet[12], quod rivus talis a fonte vivo hujusmodi emanavit. Si ergo ad acuendum devotionem nostram beatos aliquos adoramus, videtur quod relinquendo ambiguum illos adorare debemus, quos fides scripturae et sic Dominus canonisat. Penset, rogo[13], fidelis in Domino causam, quare privatae ecclesiae tam laboriose et tam sumptuose petunt Romanam curiam pro canonisandis suis fratribus, et videbit quod inordinata

[1] ut] et, A. manus secundae. [2] hinc] ex hinc, B. primae, C. secundae manus, ed. pr. [3] existimant] aestimant, B. primae manus, ed. pr. [4] adorari] adorare, ed. pr. [5] et] om. B. primae manus, ed. pr. [6] est] om. A.B.C. [7] nobis] nobis est, A.B.C. ed. pr. [8] et] cum, B. primae, C. secundae manus, ed. pr. [9] imperantur] imperatur, C.B. secundae manus. [10] paratiorem] potiorem, B. [11] cf. Jerem. ii. 13. [12] docet] doceret, ed. pr. [13] rogo] ergo, A.B.C. ed. pr.

cupiditas et defectus fidei sint in causa. Quis, rogo, faceret scurram mediatorem suum, ut regis paratioris et clementioris colloquio potiretur? Sancti igitur[1] in coelo licet non sint[2] scurrae sed incorporati in[3] Christo per gratiam Salvatoris, tamen minus se habent in comparatione ad illum, quam scurra ad regem terrenum. Expedit tamen ad vitam sanctorum attendere et illos sequi in moribus tamquam duces, de quanto ipsi Christum choraulam[4] totius ecclesiae sunt secuti. Et quia stultum est in periculoso itinere viam regiam et securam relinquere[5] et semitam incertam sive incognitam arripere, videtur quod patente vita Christi et suis regulis, alias vitas debemus postponere. Unde beatus *Cyprianus*[6] profunde et subtiliter inculcat istam sententiam: 'si, inquit, solus Christus audiendus est, quid nobis quod ceteri sancti praeceperunt?' Et hinc apostolus Paulus praecipit, quod de tanto[7] sui conversi sint sui imitatores[8] de quanto ipse est imitator Christi, et de tanto ipsum audiant de quanto in ipso loquitur Christus. Insuper videtur multis, quod curia ista sic canonisans sanctos blaspheme praesumit, cum subducta[9] revelatione, tam plane[10] ignorat sanctitatem defuncti, quam plane ignorat Johannes presbiter vel Soldanus[11]. Et certum est, quod testium depositio nihil probat, cum supposita veritatis notitia canonisandi ac detecta papae fideliter sine mendacio, quod raro vel nunquam evenit adhuc, depositio quantum ad propositum nihil probat, tum quia sententia alterius judicis sententiantis secundum allegata et probata, qui judex foret mundo magis autenticus, tantum probaret sicut papae sententia in hac parte, tum etiam quia testimonium horum deponentium probat ad maximum, quod dati sancti conversatio fuit talis; et cum hoc stat, quod usque ad mortem fuit hypocrita et praescitus. Quae igitur praesumptio, supra allegata et probata affirmare[12] et cano-

Canonisatio sanctorum fundamento caret.

[1] igitur] om. ed. pr. [2] sint] sunt, ed. pr. [3] in] om. A. [4] choraulam] coraulam, libri manu scripti. [5] relinquere] dimittere, A.B.C. ed. pr. [6] Cyprianus] Cyprianus distinctione octava, ed. pr.; Cod. B. in margine adscriptum habet; 'In canone, distinctione 3.' Sententia enim ex Cypriani epistola ad Caecilium data, atque in Corpore Juris Can., P. i., distinct. 8, c. 9. repetita profertur. [7] de tanto] de quanto, ed. pr. [8] imitatores] imitatiores, ed. pr. [9] subducta] seducta, D. ed. pr. [10] plane] plene, ed. pr. [11] soldanus] zoldanus, libri MSS. i.e. Sultan, Turcarum imperator; Johannes presbyter, scil. ille qui in extremo oriente regnare dicebatur. [12] affirmare] confirmare, D.

nisare, quod talis in patria sit beatus? Nec dubium quin miracula possunt magis illudere, cum diabolus transfigurans se in angelum lucis[1] majora miracula in persona defuncti damnati potest ostendere; et sic videtur, quod per testes et judices et patrias[2] procurantes particularis ecclesia saepius sit seducta; hoc autem foret facile, et diabolus non dormit decipiendo populum quantum potest; unde multae patriae[3] ex tali seductione diaboli plus colunt vocatum sanctum novum hujusmodi, et specialiter assistente signo sumptuoso sensibili, quam colunt Dominum Jesum Christum.

## CAP. XXXI.

*Christi lex, i.e. scriptura sacra, reliquas leges infinitum excedit.*

*Alithia.* Considero, mi frater, quod pro ista sententia, licet vera fuerit, nec laudes reportabis a satrapis nec ab incolis in contractis[4] in quibus fundantur hujusmodi novitates. Sed dic, rogo, *de conclusione tertia.* Videtur enim, quod fides scripturae habet hodie plurimos impugnantes, et ex causa multiplici paucos ejus sententiam ponderantes.

*Phronesis.* Experimento didici quod verum sententias[5], nec dubito quin infidelitas sit in causa; non enim sincere credimus in Dominum Jesum Christum, cum hoc dato ex fide fructuosa teneremus, quod scripturae sacrae et specialiter evangelii nostri sit infinitum major auctoritas quam auctoritas alterius scripturae signandae. Sed ut loquar strictius[6], notanda est tibi aequivocatio de *scriptura*. *Primo* enim scriptura sacra[7] signat Jesum Christum librum vitae, in quo omnis veritas est inscripta, juxta illud Johannis x.: 'non potest solvi scriptura, quem Pater sanctificavit et misit in mundum[8].' *Secundo modo* signat veritates in ipso libro vitae inscriptas, sive sint rationes exemplares aeternae sive

Quid significet vox 'scriptura.'

[1] cf. 2 Corinth. xi. 14. [2] patrias] primas, ed. pr. [3] patriae] primae, ed. pr. [4] in contractis] ingratis, A.B.C.; contractum = regio, *country*, angl. [5] sententias] sentias, ed. pr. [6] loquar strictius] loquor certius, ed. pr. [7] sacra] om. ed. pr. [8] quem pater—mundum] om. A.B.C. ed. pr. Verba secundum versionem 'vulgatam' prolata.

veritates aliae temporales. Et *tertio modo* famosius quo ad vulgus signat aggregatum ex codicibus legis Dei et ex veritate quam Deus ipsis imponit; sed hoc nudum scriptum materiale non didici vocare scripturam sacram, quia illi codices non sunt sacri, nisi illis assit sententia sacra. Et tunc[1] intelligo simpliciter, aggregatum ex illis codicibus et sacra sententia esse scripturam sacram. Et quia ista tertia significatio est famosior, ideo loquamur specialiter de illa, quanta sit ejus auctoritas et firmitas veritatis. Nec est ad propositum loqui de excellentia codicum, cum illi in natura sua libris mendacibus communiter sunt pejores, nec sunt potius scriptura sacra quam quaelibet alia scriptura[2], cum beata Trinitas scripturae cuilibet sit illapsa; et tunc videtur mihi, sicut[3] conclusio tua tertia sententiat, quod scriptura sacra sit infinitum magis autentica et credenda, quam quaecunque alia assignanda, quia ut auctor proximus ad auctorem, sic liber ad librum; sed ex fide Christus, auctor proximus scripturae sacrae, est infinitum praestantior quam homo alius, ergo liber suus vel scriptura, quae est lex sua, proportionabiliter se habet ad quamcunque aliam assignandam. Unde scripta[4] aliorum doctorum magnorum, quantumcunque vera, dicuntur apocrypha nec sunt credenda, nisi de quanto in scriptura Domini sunt fundata. Fundamentum autem istius materiae est fides ecclesiae, qua credimus, quod Christus Deus et homo fuit incarnatus, et modo quo narrat evangelium cum hominibus conversatus, et quod scribas suos evangelistas[5] ad exarandum legem Christi et fidem catholicam ordinavit. Unde isti particulares codices cum sua sacra sententia sunt implicite fides scripturae, sicut est implicite fides ecclesiae, quod ista sacrata hostia sit realiter corpus Christi; quia supposita veritate suppositi, quod saepe evenit, tunc est ita, et supposita falsitate narrati tunc potest esse illusio, sicut[6] in aliis signis sensibilibus saepius potest esse. Et ex istis patet, quod scriptura sacra sit verissima secundum quamlibet ejus partem, quia si sit scriptura sacra, tunc habet pro sensu sententiam Jesu Christi, et ille non potest esse falsus nec aliquem[7]

Scriptura sacra libris omnibus infinitum praestat.

[1] tunc] etiam, C. secundae manus. [2] scriptura] om. A.B.C. ed. pr. [3] sicut] quod sicut, B. primae manus, ed. pr. [4] scripta] scriptura, B. primae manus, ed. pr. [5] evangelistas] evangelicos, A.B.C. [6] sicut] sicut et, A.B.C.; et, ed. pr. [7] aliquem] aliquid, ed. pr.

in sensu decipere; ergo conclusio vera. Unde ex isto fonte tota scriptura legis veteris capit auctoritatem et reverentiam, cum Christus in communi vel particulari allegat omnes libros legis veteris, quos oportet catholicos[1] acceptare; et ita paris auctoritatis sunt omnes codices novae legis et veteris, de quanto credimus quod suae sententiae a Spiritu Sancto emanarunt. Et cum[2] secundum *Augustinum*[3] omnis veritas sit in scriptura sacra vel explicite vel implicite, patet quod nulla alia scriptura capit auctoritatem vel valorem, nisi de quanto sua sententia a scriptura sacra sit derivata. Sed quia Spiritus Sanctus vult intentum nostrum non dispargi in multa sed circa unum necessarium occupari, vult vulgares codices de lege nova vel[4] veteri studeri et legi, et hominem non circa alios[5] occupari, qui licet quandoque sint veri et fides[6] scripturae sacrae implicite, Deus tamen non vult explicite eos credi. Et hinc *Augustinus*[7] saepe praecipit, quod nemo credat scriptis suis vel verbis, nisi de quanto se fundaverit[8] in scriptura; et in ipsa, ut dicit[9], omnis veritas explicite vel implicite continetur. Et indubie idem est judicium de scriptis aliorum sanctorum[10] et multo magis de scriptis romanae ecclesiae et doctorum novorum. Ideo ut scriptura sacra sit magis appreciata et laudata, quaecunque veritas, quam viator sensu non percipit, debet ex hac fide scripturae esse deducta, saltem si requiritur a fidelibus esse credenda; et tunc scriptura sacra foret in reverentia, et bullae papales, sicut debent, forent postpositae, et tam leges papales quam doctorum novorum sententiae, quae sunt post solutionem Sathanae promulgatae, forent in suis limitibus veneratae[11]. Quid, rogo, fideli[12] et scriptis hujusmodi quibuscunque, nisi de quanto ex fonte scripturae fideliter sunt exhaustae? Et ista sententia rectificaret[13] nedum mandata papalia et aliorum praelatorum, sed et corrigeret

Eandem ob causam omnis veritas a fidelibus amplectenda e scriptura s. hauriri debet.

[1] oportet catholicos] oportet catholicum, A.B.C.; habet catholicos, ed. pr. [2] cum] om. ed. pr. [3] Augustinum] Augustinum secundo de doctrina Christiana in fine, B., C. secundae manus, ed. pr.; Aug. de doctrina Christiana in fine, A.; cod. D. habet, secundum Augustinum 'omnis etc.' [4] vel] et, ed. pr. [5] alios] alias, A.B. [6] fides] om. B. [7] Augustinus] Augustinus libro ii. de ordine rerum, ed. pr.; C. in margine. [8] fundaverit] fundaverint, B. primae manus, D. ed. pr. [9] ut dicit] ut saepe dicit, D. ed. pr. [10] sanctorum] doctorum, A.B.C.; sanctorum Doctorum, ed. pr. [11] veneratae] venerandae, C.; reverendae, A.B. [12] fideli] fideli scripturae, D. [13] rectificaret] rectificat, D.

errores novorum ordinum, et servaret[1] atque accenderet cultum Christi.

Unde detestandi sunt doctores novelli, qui nituntur asserere, quod scriptura sacra sit inter omnia dicta vel scripta falsissima, et specialiter verbum Christi in evangelio Johannis, sicut ex logica sua putant se clare deducere. Et inter omnes haereticorum sententias non recolo, quod sit alia[2] damnabilior, antichristo praeparativior vel fidei Christi nocivior. Quis enim crederet partem aliquam legis Christi, si tanta pars ejus debeat ut impossibilis refutari, et cuilibet scripturae expositio et sensus antichristo placitus debeat[3] adaptari? Et tota fictio[4] in hoc tetro involucro tollitur[5] in hac parte, et omnes argutiae antichristi, 'ego sic intelligo hanc scripturam sacram, et secundum logicam meam sic debet intelligi; sed sensus iste est impossibilis; ergo scriptura sacra, et per consequens ejus auctor foret[6] falsissimus et maxime discredendus.' Nam sol, ut inquiunt, et cetera sensibilia in quantitate et ceteris accidentibus judicium humanum decipientia sunt falsa, pari evidentia vel majori qua hoc signum; 'homo est asinus,' foret falsum; quare ergo non scriptura sacra, immo etiam ipse Deus? cum movet in poenam peccati prioris, et per consequens signat etiam falsissime sensus falsos; liber ergo iste foret falsissimus et Christus summe haereticus. Sed discant[7] hi discolores[8] haeretici et discipuli antichristi, quod nihil ad errores eorum[9] et scripturam sacram, quod ipsam male intelligant, sicut est de Deo et ceteris astris coeli. Ideo secundum regulam *Augustini*, quandocunque de scriptura sacra exoritur talis falsa opinio, fideles debent cognoscere, quod vel sunt codices incorrecti vel errans scripturam sacram male intelligit; et omnino[10] ex sensu suo falso et signis in codice non resultat scriptura sacra, sed potius scriptura diaboli et codices antichristi. Nihil ergo ad scripturam sacram, quod haereticus ipsam sinistre intelligit; non enim subjacet suo judicio, sed potius ipsum damnat; error autem de intellectu illius

Quid requiratur ad scripturam sacram recte intelligendam atque aestimandam.

[1] et servaret] et sic serenaret, ed. pr. [2] alia] om. ed. pr.; aliqua, A.B.C. [3] debeat] debuit, D.C. secundae manus, ed. pr. [4] tota fictio] toto facto, B. primae manus, D. ed. pr. [5] tollitur] colliguntur, C.D. ed. pr. [6] foret] om. A.B.C. [7] discant] discurrant, B.C. [8] discolores] discolares, A.B.C.D. [9] eorum] istorum, A. [10] omnino] ideo, A.B. secundae manus.

stat potissime in superba[1] et stulta praesumptione de propria logica, cum logica scripturae sit rectissima subtilissima et maxime usitanda. Illa enim trahit[2] sibi regulas cujuscunque artis liberalis ut domina, et non debet adinventis[3] regulis humanitus subjacere, sed supponi in veritate sententiae, in forma verborum et logica praecellere scripturas alias qualescunque, et veritates necessariores magis exprimere, illas autem veritates, quae non sunt ita utiles ad beatitudinem, magis abscondere, et quascunque[4] difficultates quas implicat, ut *Augustinus* edocet[5], ad exercitium meritorium ipsam[6] studentis[7] humiliter ex ordinatione Sancti Spiritus dicitur continere, quia illa est regina quae loquitur[8]: 'qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.' Expedit autem pro habenda[9] hujusmodi scripturae notitia, quod fidelis in recta logica et philosophia depurata a Domino sit instructus, ut dictum est alias de armatura multiplici, qua armarentur sui cultores contra discipulos[10] antichristi. *Primo* quod instruantur in recta sententia de universalibus. Tales enim colligentes sensus suos ad universalia pauca respiciunt, et verba sua impugnantur[11] et de levi pronunciant. *Secundo* quod cognoscant secundum rectam metaphisicam scholae Christi, veritatem de quidditate temporis et aliorum accidentium, quomodo non sunt nisi dispositiones subjecto suo formaliter inhaerentes. *Tertio* quod cognoscant, quod apud Deum et homines omnia quae fuerunt vel erunt, sunt in magno tempore sibi praesentia. *Quarto* quod cognoscant, quod creaturae habent in Deo esse ideale aeternum, existentiam in suo genere aeternaliter antecedens. Et *quinto* quod cognoscant materialem essentiam esse perpetuam, et formas materiales esse ejus dispositiones, licet sint specierum et generum quidditates. Et istud patet cum distinctionibus aliis sensum scripturae multiplicem aperire. Sed quia de omnibus dictum est particulariter et diffuse alibi, tollendo particulares objectus factos ab insciis contra scripturam sacram,

[1] superba] superbia, A.B.C. ed. pr. [2] trahit] subtrahit, B. [3] adinventis] ab inventis, ed. pr. [4] quascunque] qualescunque, A. [5] edocet] docet, ed. pr. [6] ipsam] ipsum, ed. pr. [7] studentis] studentes, A. [8] loquitur] loquitur Ecclesiastici xxiv., A.B.C. ed. pr.; cf. Sirac. xxiv. [9] pro habenda] profunda, B. secundae manus. [10] discipulos] discolos, B. primae manus, ed. pr. [11] impugnantur] impugnant, C.

ideo illis suppositis, oportet ad alia pertransire[1]. Certus sum quidem ex fide[2], quod antichristus et omnes ejus discipuli, imo omnes diaboli, non possunt aliquam partem scripturae sacrae de[3] virtute sermonis efficaciter impugnare. Sed in omnibus istis videtur mihi, quod fidelis debet uti hac regula: si scripturam sacram sane intelligit, laudet Deum; si ab intellectu tali deficit, pro intellectu sano laboret, et interim[4] in litera tanquam grammaticus conquiescat, et omnino caveat de sensu imponendo scripturae, quem ex sibi dubio Spiritus Sanctus non flagitat. Talis enim secundum *Ieronymum* est haereticus, et multo magis qui blasphemat, temere imponendo scripturae sacrae sententiam, quam ipsemet dicit esse[5] impossibilem.

[1] pertransire] transire, A. [2] ex fide] om. A. [3] de] etiam de, A.B.C. ed. pr. [4] interim] iterum, B. primae manus, ed. pr. [5] esse] om. ed. pr.

# LIBER IV.

## CAPUT I.

### *De signis et sacramentis.*

Liber quartus agit de signis.

*Alithia.* Video quo ad istum tractatum[1], quod leviter transcurristi; sed vellem libenter, quod tractatum quartum *de signis* conformiter inchoares. Quamdiu quidem[2] hic vivimus, oportet ad signa attendere, cum Samaritanus noster usus fuit signis cum suis apostolis; et sacramenta quaecunque et distinctiones ordinum vel sectarum potissime stant in signis. Videtur in primis, quod signum et signatum convertibilia sunt cum ente. Nam omnis creatura est signum creatoris[3], sicut fumus naturaliter ignem significat. Deus etiam est signum cujuslibet rei signabilis, cum sit liber vitae in quo quodcunque signabile est inscriptum; et per idem sequitur, quod quodlibet[4] sit signum[5]. Et si diffinitive sacramentum[6] sit sacrae rei signum, videtur quod omne signabile sit etiam sacramentum, quia omnis creatura significat suam creationem et etiam creatorem, et sic rem sacram significat, et Deus multas sacras[7] creaturas significat et se ipsum. Quod si sacramentum sit invisibilis gratiae visibilis forma, ut similitudinem gerat et causa existat, cum visibilis forma in proposito signat quamcunque formam vel quidditatem sensibilem, videtur quod quaelibet creatura sensibilis sit etiam sacramentum, quia est visibilis forma invisibilis gratiae creatoris, et gerit similitudinem ydearum, et causa existit similitudinis suae et intelligentiae creatoris[8].

Omne quod est, sensu quodam et signum et sacramentum est.

Quomodo ergo sunt solum *septem sacramenta* distincta speci-

[1] tractatum] tractatum tertium, A.B.C. ed. pr. [2] quidem] om. ed. pr.; enim, C. [3] creatoris] creationis, ed. pr. [4] quodlibet] quilibet, C. [5] signum] signatum, A.B.C. ed. pr. [6] diffinitive sacramentum] diffinitio sacramenti, A.B.C. ed. pr. [7] sacras] om. C. primae, B. secundae manus. [8] creatoris] creaturis, ed. pr.

Sensu latiori non septem tantum sacramenta nuncupanda sunt.

fice[1]? cum penes distinctionem rerum sacramentalis[2] distinctio potest capi, imo ejusdem sacramenti in specie est distinctio specifica[3], propter convenientiam signati et disconvenientiam signi. Similiter praedicatio verbi apostolici videtur esse sacramentum secundum descriptionem praedictam, eo quod est signum sanctitatis auditorii; et ita signanter[4] in fide scripturae injungitur sicut exercitium alterius sacramenti, cum, Johannis ultimo, sub obtentu triplicis amoris Christi pastus ovium suarum tenerrime est injunctus[5]; quare ergo non est ista verbalis pastio[6] sacramentum? numquid sit causa sufficiens, quod infert sollicitudinem praepositi et non lucrum? Mille autem sunt talia sensibilia signa in scriptura, quae habent tantam rationem sacramenti sicut habent communiter ista septem. Similiter sacramentum eucharistiae, quod est majoris honoris inter cetera sacramenta, videtur dividi in duas species, scilicet in sacramentum panis et[7] sacramentum vini. Certum quidem est, quod ipsa in naturis suis specifice[8] sunt distincta, et quantum ad rationem sacramenti vel signi, cum primum directe significat corpus Christi et secundum ejus sanguinem. Videtur, cum[9] distinctio specifica[10] signorum, inquantum hujusmodi, capitur a distinctione specifica[10] signatorum, quod haec duo sunt distincta specifice[11] sacramenta; non enim subterfugi potest quin utrumque istorum seorsum positum sit realiter sacramentum.

*Phronesis.* Quantum ad istam materiam de signis, sum pauper animo[12], cum cognosco quod multa dicta in ista materia habent nimis debile fundamentum, et propter aggregationem ac institutionem in terminis difficile est loquentibus habere viam impugnabilem veritatis. Ideo dicam tibi in primis, quid sentio de quidditate et convenientia sacramenti. Non enim video quin quaelibet creatura sensibilis sit realiter sacramentum, quia signum a Deo institutum ut rem sacram insensibilem significet, cujusmodi sunt creator[13], creatio et gratia creatoris. Nec didici

[1] specifice] specivoce, ed. pr. [2] distinctionem rerum sacramentalis] distinctiones rerum sacramentalium, A.B.C. ed. pr. [3] specifica] specivoca, ed. pr. [4] signanter] significanter, ed. pr. [5] cf. Joh. xxi. 15—17. [6] ista—pastio] iste—pastus, A.B.C. [7] et] et in, B. ed. pr. [8] specifice] specivoce, ed. pr. [9] cum] tamen, ed. pr. [10] specifica] specivoca, ed. pr. [11] specifice] specivoce, ed. pr. [12] animo] omnino, A.B.C. [13] creator] creator et, ed. pr.

Ordo septem sacramentorum vulgarium.

pictatias ex quibus[1] adjectis hoc nomen sacramentum limitari debet univoce ad haec septem. Ideo desperans de univocatione detego narrative ordinem istorum septem sacramentorum vulgarium, et post procedam particulariter secundum ordinem qui mihi convenit, de eorum quolibet pertractando. Cum enim sacramentum sit signum humano generi ad patriam procedendi, haec septem sacramenta, scilicet baptismus, confirmatio, ordo, matrimonium, poenitentia[2], eucharistia et extrema unctio, sic se habent. *Baptismus* autem est signum generationis spiritualis hominis in Deo, et sic est primum sacramentum conferens gratiam primam spiritualiter generantem. Sed quia parvulus in Christo sic genitus est nimis debilis in virtute, ideo secundo *confirmatio* est adjecta, ut sit signum spiritualis roboris, quod ex confirmationis gratia fit a Deo. Sed quia ecclesiam oportet habere duas maneries hominum generantium, scilicet spiritualiter et corporaliter, ideo sunt duo sacramenta ad patres hujusmodi procreandum: primum est *ordo*, qui est sacramentum ad clericos et specialiter presbyteros procreandum; secundum vero est *matrimonium*, quod licet non sit signum immediatum ad procreationem hominis naturalem, est tamen signum efficax per quod notatur, sine peccato luxuriae licere in esse naturali hominis[3] procreare. Sed quia viatores saepe decidunt[4] spiritualiter infirmati, ideo duo alia sacramenta ad resuscitationem hominis ordinantur, scilicet *poenitentia* pro peccato delendo, et *eucharistia* pro confirmatione et roboratione itineris poenitentis, unde communiter vocatur 'viaticum,' et postremo pro confirmatione completionis totius itineris viatoris *extrema unctio* sacramentum ultimum ordinatur. Fundationem autem istorum specialem in fide scripturae potest studens elicere ex tractatu[5] horum septem signorum. Unde Metricus haec septem signa et eorum ordinem implicans ita dicit:

Bap. confir. ordo. sponsa. poen. eucharist. unctus.

[1] pictacias ex quibus] picacias ex quibus picaciis, ed. pr. Pictacia, proprie *pittacium* = panniculus unguento illitus et vulneri impositus. [2] poenitentia] om. ed. pr. [3] hominis] homines, A.; hominem, C. ed. pr. [4] decidunt] deciderunt, B., A. primae manus. [5] tractatu] tractatu speciali, A.B.C. ed. pr.

## CAP. II.

### *De Eucharistia.*

Quam ob causam primo de eucharistia agatur.

*Alithia.* Dic, rogo[1] frater Phronesis, de eucharistia, quae est penultimum sacramentum, tum quia est magis venerabile inter cetera, tum secundo quia videtur habere fundationem maximam in scriptura, et tum tertio quia hodie circa eucharistiam est dissensio plus brigosa[2]. Et primo, ne laboremus in aequivocis, specificare[3] debemus quidditatem hujus sacramenti venerabilis.

Hostiam sacratam, vinum in altari consecratum esse sacramentum.

*Phronesis.* Capere debemus a communi experientia sensus nostri, quod sacerdos ad altare accedens ex pane et vino conficit vel consecrat unum[4] sensibile remanens, quod vulgus intelligit corpus et sanguinem Jesu Christi. Ideo de illo albo et rotundo consecrato a presbytero simili[5] hostiae non sacratae, quod sacerdos post frangit et comedit, ac recipit transmutationes simillimas hostiae non sacratae, ut puta comestionem a mure, putrefactionem ex tempore, cum transmutationibus similibus, de illo inquam albo primitus fiat sermo. Et sunt recentes haeretici qui negant illud esse sacramentum, ut subterfugiant in errore suo[6] inconvenientia quae sequuntur. Sed illos tam antiquis quam modernis tantum contrarios oportet caute corripere, quaerendo primum, quid descriptive sit sacramentum eucharistiae in communi, et vel aequivocabunt vel non evadent quin ista sacrata hostia sit aliquod sacramentum. Similiter discurrendo[7] per alia sex sacramenta, patet quod illa sunt ita modicae entitatis ac permanentiae sicut istud. Nec fingi potest ratio, quin per idem quo illa sunt sacramenta ecclesiae, est et istud, ut patet discurrendo per quidditatem baptismi, confirmationis et quattuor ceterorum narratorum. Similiter in ista materia oportet locutionem communem accipere, secundum quod[8] ecclesia in

[1] rogo] om. B., C. primae manus, ed. pr. [2] brigosa] i.e. litigiosa. [3] specificare] specivocaro, ed. pr. [4] unum] unum signum, A.B.C. [5] simili] similis, ed. pr. [6] in errore suo] inter errores suos, A.B.C. [7] discurrendo] om. ed. pr. [8] secundum quod] sicut, B., C. primae manus; quod om. D.

suis orationibus vocat istam rem communiter sacramentum, leges papales vocant illam sacramentum et non rem, et doctores dicunt communiter, quod sit sacramentaliter corpus Christi. Cum ergo aliquod sit sacramentum eucharistiae, et corpus Christi in natura sua non sit ibi visibile, relinquitur quod non ibi remaneat signum sensibile sacramentum, nisi illud quod differentia septuplici[1] est signatum. Quamvis autem in hoc sacramento et ceteris sit trimembris distinctio, scilicet sacramentum et res, res et non sacramentum, ac tertio sacramentum et non res, oportet tamen quod ista verba sint sane et congrue intellecta. '*Sacramentum* autem *et res*' dicitur corpus Domini quod est sursum. Dicitur autem sacramentum, quia est signum sensibile animae Christi, deitatis et gratiae. Et cum ipsum signatur per hanc hostiam quam sacramus, dicitur respectu illius 'res' ejusdem sacramenti, et ista res quae est naturaliter corpus Christi, vocatur eucharistia, hostia ante mortem Domini consecrata, et aliis multis nominibus, in quibus loquentes nostri[2] taediose communicant[3]. Ista autem res sensibilis descripta, quae dicitur communiter panis sanctus, vocatur '*sacramentum et non res*,' non ad istum sensum, quod non sit res aliqua, cum sit res satis sensibilis uti videmus, sed ad istum sensum, quod non sit res illa sacra primo signata per signum sensibile quod videmus, quia non est naturaliter corpus Christi. Sed tertium membrum, quod est '*res et non sacramentum*,' vocatur gratia unionis Christi cum sua ecclesia, quae per hoc sensibile sacramentum accessorie efficaciter designatur.

Distinctio inter sacramentum et rem, sacramentum et non rem, rem et non sacramentum.

Sunt autem in materia de quidditate hujus sensibilis sacramenti errores multiplices, ut quidam dicunt, quod est[4] accidens sine subjecto, et alii quod est nihil, cum ex multis accidentibus, quae non sunt unius generis, aggregatur, contra quos multipliciter invexi alias[5] tam scholastice quam etiam in vulgari, quia[6] inter omnes haereses quae unquam in ecclesia pullularunt, nunquam considero aliquam[7] plus callide per hypocritas introductam et multiplicius populum defraudantem, nam spoliat

Sacramentum eucharistiae quid sit.

[1] septuplici] accidentis, ed. pr. [2] loquentes nostri] multi loquentes, ed. pr.; multi loquentes nostri, A.B.C. [3] communicant] convincant, ed. pr. [4] est] sit, ed. pr. [5] alias] om. A.B.C. ed. pr. [6] quia] quod, ed. pr. [7] aliquam] aliam, D.

populum, facit ipsum[1] committere idolatriam, negat fidem scripturae, et per consequens ex infidelitate multipliciter ad iracundiam provocat veritatem. Hic autem breviter inculco sententiam ex testimonio fidei scripturae. Et primo quod hoc sacramentum sit corpus Christi in forma panis. Et cum haeretici adversantes dicant singuli, quod hoc sacramentum est accidens sive nihil, et non potest esse corpus Christi, licet corpus Christi sit ad omnem punctum in ipso absconditum, manifestum est, quod illi omnes sunt dolosi haeretici; dolosi dico, quia noscunt communitates hominum in majori parte sic credere, et nolunt, nesciunt aut non audent fidem suam illis detegere. Cum ergo haec fides catholica sit in fide scripturae tam patule expressata, patet quod sententia sibi contraria est manifeste haeretica. Quid, quaeso, est alicui magis contrarium quam sententia quae dicit, quod hoc sacramentum est sacramentaliter corpus Christi, et sententia sibi contrarians quae dicit, quod hoc sacramentum non potest esse aliqualiter corpus Christi? et quo ad secundam partem quae[2] dicit, quod hoc sacramentum est naturaliter verus panis, et sententia sibi pertinaciter contrarians, quae dicit, quod hoc sacramentum non potest esse panis, cum sit accidens sive nihil. Expedit ergo universalem ecclesiam ad punctum istum attendere, et videre sollicite ex fide scripturae, qualiter est credendum, quia certum est quod in evangelio Christi plenius, auctoritativius et moderatius quam in Romana curia ista materia est decisa. Ipsa tamen curia ante solutionem diaboli cum antiqua sententia praedicta planius[3] concordavit, ut patet 'De consecratione,' distinct. ii., capitulo, 'Ego Berengarius[4],' et sic est de omnibus sanctis doctoribus, qui usque ad solutionem Sathanae istam materiam pertractarunt. A tempore autem solutionis Sathanae, dimissa fide scripturae multae haereses in ista materia, et specialiter inter fratres et discolos eis similes volitarunt; ut patet de duobus erroribus supradictis. Fratres enim specialiter istas haereses sustinent pertinaciter et defendunt, non solum blasphemando in Christum et legem scripturae suae, sed diffamando[5]

Eucharistia est corpus Christi in forma panis.

[1] ipsum] om. A.B.C. [2] quae] sive quae, ed. pr.; sententiam quae, D. [3] planius] plenius, A.B.C. [4] cf. Corpus juris Can., in tertia parte decreti, de consecratione, distinctione ii., ubi cap. xlii. confessionem Berengario Turonensi anno 1059 obtrusum continet. [5] diffamando] defoedando, B., A. secundae, C. primae manus.

papam et curiam Romanam, nidum[1] suum, sed et praelatos ecclesiae, temporales Dominos, sacerdotes simplices, ac etiam totum vulgus. Nam Matth. xxvi. fides scripturae sic loquitur: 'coenantibus illis accepit Jesus panem' etc.[2] Et eadem sententia patet plane Marci xiv. Lucae xxii. et 1 Cor. xi.; ex quibus fides ecclesiae observat in consecratione hujus hostiae hunc ordinem: 'Qui pridie quam pateretur accepit Jesus panem in sanctas et venerabiles manus suas, et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem tibi gratias agens benedixit, fregit deditque discipulis suis dicens: accipite et comedite ex hoc omnes, hoc est corpus meum[3].' In omnibus autem istis quinque locis suppono concordare sententias, quamvis sermones paullulum sint diversi[4]. Et ex ista fide tam autentice promulgata arguo sic haereticis,—Christus, qui mentiri non potuit, dixit panem, quem accepit in manibus, esse realiter corpus suum, et non erravit in isto nec falsum asseruit, ergo veraciter fuit ita. Et haec ratio dat plenam fidem fidelibus ad dictas haereses detestandum, et fratres ac suos complices de haeresi convincendum. Unde *Ieronymus*, ante solutionem Sathanae scripturae sacrae indagator praecipuus, in epistola ad Helvidiam[5] pertractans istam materiam sic concludit: 'Nos,' inquit, 'audiamus, panem, quem fregit Dominus[6] deditque discipulis manducandum, corpus esse Domini salvatoris ipso dicente: "Hoc est corpus meum."'

## CAP. III.

*De vocabulo 'hoc' in propositione sacramentali.*

*Alithia.* Frater mi, gaudeo quod tam lucide procedis ad declarandum fidem ecclesiae nimis diu absconditam. Nec video

[1] nidum] defoedando nidum, ed. pr. [2] panem] Cod. B.C. addunt verba: 'et benedixit—remissionem peccatorum.' [3] verba 'accepit—corpus meum' omittit Cod. A., B. primae manus, ed. pr. [4] sint diversi] sunt discordes, ed. pr. [5] Helvidiam] Elpidiam, B.C., Elbidiam, A. [6] Dominus] om. A.B.C. ed. pr.

quomodo fratres vel alii possunt subterfugere rationem istam, nisi forte fingant sensum fidei hujus scripturae nimis extranee[1], vel aliter ipsam negent.

Post consecrationem factam panem remanere, ex verbis Christi: 'hoc est corpus meum,' arguitur.

*Phronesis.* Nec nos nec alii possumus rationem istam negare. Ideo catholicus debet ipsam servare sedule tanquam caram[2]. Verumtamen pro sensu hujus scripturae haeretici multum variant, dicunt enim *primo*, quod istud pronomen 'hoc' in propositione sacramentali 'hoc est corpus meum[3]' demonstrat simpliciter corpus Domini et non panem, quia aliter, ut inquiunt, foret propositio Christi falsa. Quod autem *Johannes de Deo*[4] et ceteri rudes haeretici dicunt, quod nihil demonstratur illo pronomine 'hoc,' eo quod materialiter et recitative tenetur, subticeo tanquam haeresim recitatione indignam, et arguo multipliciter contra primam. Nam priori pronomine demonstratur panis quem Christus sumpsit in manibus; sed sequenti pronomine demonstratur idem quod fuit antea demonstratum; ergo per subjectum propositionis sacramentalis demonstratur etiam idem panis. Quomodo, rogo[5], caperet fidelis[6] ingenium, quod Christus accepit panem in manibus, benedixit et fregit, et mandavit ex illo apostolos[7] manducare, nisi intellexerit priori pronomine illum panem? Nondum enim transfusa sunt verba sacramentalia, ut desinat esse panis. Et confirmatur ex hoc, quod secundum evangelium[8] Matth. xxvi. Christus praecepit omnes apostolos de calice illo bibere, quod fecerunt, ut patet Marc. xiv.: 'accepto calice gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes.' Et idem est judicium de pane, unde textus apostoli 1 Corinth. xi. sic asserit: 'quotiescunque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat[9].' Ex quo videtur quod vel auctor scripturae false indicat, vel quod de pane a Christo exhibito apostoli manducarunt. Et ex eadem radice patet, quod idem panis demonstratur secundo pronomine quod subjicitur in ista propositione sacramentali, 'hoc est corpus meum,' tum quia aliter talis[10]

[1] nimis extranee] om. ed. pr. [2] caram] certam, A.B.C. [3] 'hoc est corpus meum'] om. A.B.C. [4] Johannes de Deo, Lusitanus natione, celeberrimus seculo XII. canonista. [5] rogo] ergo rogo, ed. pr. [6] fidelis (cas. gen.)] fidele, ed. pr. [7] apostolos] omnibus apostolis, C. [8] evangelium] om. ed. pr. [9] et calicem—veniat] om. A. ed. pr. [10] talis] causalis, A B. ed. pr.

foret omnimode nimis stulta, tum etiam quia Christus aliter nimis illuderet suae ecclesiae; et ista ratio de demonstratione pronominis daret fidelibus plenam fidem.

Item demonstratione verborum Christi ostenditur illud per quod apostolis pertinens notitia gigneretur; sed hoc non stat cum hoc, quod nude corpus Christi in natura propria demonstretur[1], ergo pertinens est sensui verborum Domini aliud demonstrari, sed nihil pertinentius quam panis quem Christus eis porrexerat. Si enim nude demonstretur[2] corpus Domini in natura, tunc ista foret horum verborum Christi sententia, 'hoc corpus meum est corpus meum;' sed istud apostoli satis superius cognoverunt, et foret impertinenter connexum isti, quod manducarent singuli ex hoc pane. Item si demonstratio pronominis sacramentalis foret impertinens illi pani, quomodo pertinenter doceri poterit, quod virtute illorum verborum sacramentalium est illius panis transubstantiatio accidens[3] sine subjecto, et corporis Christi in loco panis sacramentalis innovatio? Ista autem fictitia demonstrationis pronominum omnino interimit sententiam sacramenti.

Verbis quoque, 'hic est sanguis meus' demonstratur, pronomine significari materiam visibilem.

Item secundis verbis sacramentalibus, quibus vinum conficitur, illud vinum in calice demonstratur, ergo per locum a sufficienti similitudine subjecto propositionis sacramentalis[4] prioris, qua panis sacratur[5], demonstrari debet etiam idem panis. Assumptum patet ex hoc, quod nullus catholicus finget, quin metonomice manifeste[6] demonstratur contentum in calice, quando sic dicitur Marci xiv. 'hic est sanguis meus novi testamenti.' Non enim intelligit quivis catholicus, quod illud corpus metallicum sit sacramentaliter sanguis Christi, sed de vino contento in illo calice. Sed ad detegendum omnem tergiversationem sophisticam ordinavit Spiritus Sanctus, ut dicatur in masculino genere: 'hic est sanguis meus.' Unde inter ceteras certitudines de significatione scripturae haec est una de maximis, quod in propositione illa sacramentali demonstratur panis aut vinum, quo habito transeundum est catholico ad significationem complexam

[1] demonstretur] demonstratur, A.B.C. [2] demonstretur] demonstratur, A.B.C. ed. pr. [3] accidens] in accidens, C. ed. pr. [4] sacramentalis] om. C. ed. pr. [5] sacratur] sacratur sacramentaliter, ed. pr. [6] manifeste] om. A. ed. pr.; methaforice manifeste, C.

illius propositionis sacramentalis[1], 'hoc est corpus meum,' relinquendo opinionem illam ut summe haereticam, quod evangelium et specialiter verbum Christi sit dictum impossibile et incultum. Cum autem omne dictum Christi sit verum et summe catholicum, Christus autem dixit, quod iste panis sit corpus suum, manifeste sequitur quod hoc sit verum. Sed hic circumpalpitant haeretici, et cum non possunt negare quin *panis* demonstretur[2] pronomine, fingunt sensum complexum triplicem nimis haereticum. Dicunt enim *primo*, quod non hoc, scilicet ille panis, *est* corpus Christi, sed quod ille panis virtute verborum illorum sacramentalium[3] *erit* quodammodo corpus Christi. *Secunda* autem via magis haeretica videt, quod juxta errorem suum aeque neganda est ista sententia, 'iste panis erit posterius corpus Christi,' quia, ut arguit, ille panis foret tunc conversus vel idemtificatus corpori Christi, et per consequens in transubstantiatione desineret, et sic nunquam veraciter erit corpus Christi. Ideo secundo corrigit, quod de isto pane fiet quodammodo corpus Christi. *Tertia* autem *via* videns, quod nihil illius panis in Christi corpore remanebit, negat quemlibet sensum priorem, sed dicit, quod auctor scripturae intelligit, quod hoc accidens per se sine subjecto signat sacramentaliter corpus Christi. Et iste est sensus hujus propositionis sacramentalis et evangelicae[4], 'hoc est corpus meum.' Videt enim, quod nec materia panis nec forma transit in corpus Christi, nec ipsa conveniunt in subjecto; ideo apparet sibi, quod non debet concedi catholice, quod ex hoc pane fiet corpus Christi sicut ex aere fit statua, nec sicut ex nocte fit dies, non enim conveniunt in subjecto; sed quod illa accidentia per se sine subjecto figurant sacramentaliter corpus Christi. O quam detestanda est ista fictio qua fingitur, quod non isto pronomine demonstretur[5] panis, ut ostensum est superius; sed unum impossibile, quod[6] secundum doctores modernos non potest intelligi, et secundum Augustinum et sanctos ceteros non de Dei omnipotentia potest esse. Et toto facto nesciunt exprimere, quod genus accidentis sit hoc

Argutiae eorum, qui panem manere negant.

[1] illius propositionis sacramentalis] de propositione illa sacramentali, D.
[2] demonstretur] demonstratur, A.B.C. ed. pr. [3] sacramentalium] sacramentaliter, A.C. [4] evangelicae] evangelistae, ed. pr. [5] demonstretur] demonstratur, A.B.C. ed. pr. [6] quod] om. ed. pr.

venerabile sacramentum, sed communiter[1], licet false, asserunt, quod ipsum sit pejus quam panis equinus vel aliquid assignandum. Et sic sicut isti haeretici a tempore solutionis Sathanae non plus quam picae intellexerunt[2] istud verbum, sic[3] false asserunt[4] quod nec Christus nec ejus apostoli ipsum intellexerant, sicut[5] nec patres alii post sequentes. Contra errorem istum non oportet[6] instanter arguere, cum notum sit fidelibus, quod non quotidie a sacerdote idiotico et indigno fit noviter corpus Christi, nec ante plenam prolationem istorum verborum sacramentalium fit accidens sine subjecto; et sic quam diu duraverit pronomen demonstrativum propositionis sacramentalis, non demonstratur accidens sine subjecto cum tamdiu continue manet panis. Similiter cum[7] juxta sanctos, quicunque imposuerit fidei scripturae aliquem sensum extraneum, quem Spiritus Sanctus non flagitat, sit ut sic[8] haereticus, et iste sensus nec ex fide scripturae nec ex revelatione vel ratione ostendi poterit, sed quoscunque sanctos usque ad solutionem Sathanae omnino latuit, et plures sancti ut *Augustinus*[9] et vivax ratio omnimode contradicunt, patet, quod ista sententia sit simpliciter dimittenda, specialiter cum sit falsa. Oportet enim istos scripturam sacram corrigere, non quod hoc accidens sine subjecto eis incognitum *est* corpus Christi, sed quod ipsum *signat* corpus Christi. Sed quomodo virtute istius sententiae fit[10] transubstantiatio vel accidens sine subjecto, cum illud accidens in[11] subjecto aeque significare poterit corpus Christi? Tales autem haeretici non possunt fingere, pro quo instanti est transubstantiatio vel accidens sine subjecto. Et sicut tollitur ista triplex sententia derisoria atque erronea, sic[12] quaecunque alia haeretica, ad verba Domini simulanda. Standum ergo est sententiae *Ieronymi* theologi[13] solidi et subtilis, qua[14] dicit, quod panis sacramentaliter est virtutute verborum Christi corpus Domini salvatoris. Qualis autem sit

[1] communiter] consequenter, ed. pr. [2] intellexerunt] intellexerant, ed. pr. [3] sic] sicut, C., B. primae manus, ed. pr. [4] asserunt] affirmant, D. ed. pr. [5] sicut] sic, A. ed. pr. [6] oportet] oportet nos, ed. pr. [7] non demonstratur—similiter cum] om. D. [8] sit ut sic] ut sic, est, A.; sic ut sit, ed. pr. [9] ut Augustinus] ut Hieronymus et, A.B.C. [10] fit] foret. D., A. primae manus. [11] in] sine, ed. pr. [12] sicut—sic] sic—sicut, A.B.C. ed. pr. [13] theologi] om. B. primae manus, ed. pr. [14] qua] qui, A.B.C. ed. pr.

iste panis vel quid in natura sua, videat fidelis theologus alias hostias non sacratas[1].

## CAP. IV.

*In sacra coena post consecrationem manere panem, ex scriptura probatur.*

*Alithia.* Placet mihi, quod tam stricte et plane replicas contra haereticos in ista materia, specialiter cum tanta multitudo fratrum et aliorum vocatorum Christianorum clamant contra tuam sententiam, et mortem tuam multipliciter machinantur; cum procedente[2] tua sententia illi forent manifesti haeretici et per consequens ab ecclesia exstirpandi, vel saltem a quocunque gradu dignitatis ecclesiasticae et per consequens a possessione temporalium et percipiendis eleemosynis excludendi. Sed dic, quaeso, quomodo post consecrationem hujus hostiae manet panis. Multi autem dicunt, quod, si hoc crederent, nunquam in perpetuum celebrarent.

Scripturae auctoritate comprobatur, in s. coena panem etiam consecratum esse panem.

*Phronesis.* Oportet, cum ista materia sit positiva, ad fidem scripturae attendere et ipsi plene[3] credere, et sicut virtute verborum fidei scripturae conceditur, quod hoc sacramentum *est* corpus Christi, et non solum quod *erit* vel *figurat* sacramentaliter corpus Christi, sic concedatur[4] eadem auctoritate simpliciter, quod iste panis, qui est hoc sacramentum, est veraciter corpus Christi. Et non dubium etiam laico idiotae, quin sequitur, 'iste panis est corpus *Christi*, ergo iste *panis est* et per consequens *manet panis*, et sic *simul* est panis et corpus Christi.' Exempla autem grossa possunt poni pro ista materia attestanda: non enim repugnat[5] veritati quod homo, dum fit dominus vel praelatus ecclesiae, desinat esse eadem persona, sed maneat omnino eadem substantia quodammodo exaltata; sic oportet credere,

[1] sacratas] consecratas, C. [2] procedente] praecedente, ed. pr. [3] plene] plane, D. ed. pr. [4] concedatur] conceditur, A.B.C. [5] repugnat] oportet, sed veritati repugnat, D. ed. pr.

quod iste panis virtute verborum sacramentalium fit consecratione sacerdotis primi veraciter corpus Christi, et non potius desinit esse panis, quam humanitas[1] ex hoc, quod fit Deus, desinit esse homo; cum natura[2] panis non ex hinc destruitur, sed in digniorem substantiam exaltatur. Numquid credimus quod *Baptista* ex hoc quod fuit factus Helias virtute verborum Christi Matth. xi., desiit esse Johannes vel aliquid quod substantialiter ante fuerit? Conformiter non oportet, quod licet panis incipiat esse corpus Christi virtute verborum suorum, desinat esse panis, cum panis fuit substantialiter, ex hoc quod incipit esse sacramentaliter corpus Christi. Sicut[3] enim Christus dicit 'hoc est corpus meum,' virtute quorum verborum oportet illud concedere, sic[4] in evangelio Matth. xi. de Baptista asseritur: 'si vultis scire, ipse est Helias,' et propter laborem in aequivocis Christus non contradicit Baptistae Johannis i., dum[5] asserit: 'non sum Helias;' unus enim intelligit quod est Helias figuraliter, et alius quod non est Helias personaliter; et conformiter non contradicunt; sed aequivocant qui concedunt, quod hoc sacramentum non est (supple 'naturaliter') corpus Christi, et idem sacramentum est figuraliter corpus Christi. Et quantum ad illud assertum[6] ab haereticis induratis, quod nunquam celebrarent, si hoc crederent esse verum, revera prodesset ecclesiae et cederet ad honorem Dei, quod tales apostatae nunquam suum accidens consecrarent, quia per hoc multipliciter blasphemant in Deum, et implicant Deum esse auctorem mendacii; ponunt enim, quod mundum, quem Deus creavit[7], statim destruunt, quia materiam primam, quam Deus ordinavit esse perpetuam, destruunt; et nihil innovant huic mundo praeter hoc, quod mentiuntur se facere inaudita miracula[8], in quae indubie Deus non potest, et sic, ut fingunt, faciunt novum mundum. Quid ergo obesset[9], quod tales haeretici idiotae nunquam celebrarent, cum sicut ignorant vocem propriam sic ignorant quidditatem sacramenti quod faciunt et adorant?

Sed quantum ad veritatem fidei, quod hoc sacramentum est

[1] humanitas] humanitas Christi, A.B.C. [2] natura] materia, A. [3] sicut] sic, ed. pr. [4] sic] sicut, B.C. ed. pr. [5] dum] cum ipse, A.B.C. ed. pr. [6] assertum] assumptum, A., B. primae manus. [7] creavit] crearat, D. ed. pr. [8] miracula] mirabilia, A. ed. pr. [9] obesset] obest, B.; abesset, ed. pr.

panis, vigilent haeretici et oculis conniventibus suscitent intellectum. Nam Matth. vi. docet Veritas nos orare, ut panem nostrum quotidianum vel supersubstantialem det nobis hodie. Et secundum *Augustinum* super eodem textu in sermone Domini de monte, per panem quotidianum inter alios sensus laudabiles intelligit Christus hoc venerabile sacramentum. Sed numquid non[1] credimus quod sequitur[2], si hoc sacramentum sit panis quotidianus, pro quo oramus patrem[3] nostrum quotidie, tunc *est panis?* Similiter apostoli cognoverunt Christum in fractione panis, ut dicitur Lucae xxiv.; et illum panem docet *Augustinus* cum lege papali de Consecratione distinct. ii., capitulo 'Non omnis panis[4],' esse hoc venerabile sacramentum. Sed numquid non[5] credimus quod sequitur[6], apostoli cognoverunt Christum in fractione hujus panis, ergo tunc est panis? Similiter apostolus, qui in hac parte accepit sensum suum a Domino, vocat hoc sacramentum 'panem quem frangimus,' ut patet 1 Cor. x. et saepe capitulo xi.[7] Quis ergo blasphemaret in Deum, quod tantum 'vas electionis[8]' sacramentum praecipuum false vocet, specialiter cum noverit futuras esse haereses de hoc pane? Nimis ergo negligens foret Paulus ecclesiae sponsae Christi, si nosceret, quod hoc sacramentum non sit panis sed accidens sine subjecto, si tam crebro vocaret ipsum 'panem,' et nunquam vero nomine, cum nosceret prophetice tot futuras esse haereses in hac parte. Dicant ergo isti haeretici idiotae cum sufficienti fundatione, quid est hoc sacramentum quod consecrant[9] cum suis mendaciis, si non fuerit sacer panis[10]. Similiter, ut tactum est superius, Christus qui est prima veritas, dicit secundum quattuor evangelistarum testimonia, quod ille panis est corpus suum; sed quis haereticus non erubesceret tunc negare quod est panis? Ideo vel oportet veritatem scripturae suspendere, vel cum sensu ac judicio humano concedere, quod est panis. Mures enim[11] et aliae bestiae istud noscunt,

[1] non] om. D. [2] sequitur] sequatur, D. ed. pr. [3] patrem] panem ed. pr. [4] cum lege papali—'non omnis panis'] cf. Corpus juris can., Decreti P. III., De consecr., distinctio ii. Cap. lxi. Cod. B.C. habent 'dist. i.;' ed. pr. dist. iii. [5] non] om. B. primae manus, ed. pr. [6] sequitur] non sequitur, ed. pr. [7] capitulo xi.] capitulo sequente xi., D. ed. pr. [8] vas electionis, cf. Rom. ix. 23. [9] consecrant] execrant, ed. pr. [10] sacer panis] ille panis, A.B.C.; ille sacer panis, ed. pr. [11] enim] autem, C.

cum secundum philosophos de suo esibili habent notitiam. O si fideles in Domino videbunt[1] antichristum cum suis complicibus tantum posse, quod condemnet et persequatur usque ad mortem filios ecclesiae, qui in hoc fidem evangelii sic concedunt! Certus quidem sum, quod veritas evangelii potest ad tempus in plateis corruere et per minas antichristi modicum reticeri, sed extingui non potest, cum Veritas dicat, quod verba sua non transient[2], licet coelum et terra quoad innovationem aliquam sic transibunt[3]. Expergiscat ergo fidelis in anima et diligenter inquirat a nostris haereticis, quid sit in natura sua hoc sacramentum venerabile, si non panis, cum fides evangelii et sensualis notitia cum ratione probabili istud dicit, quia certus sum, quod idolatrae, qui fabricant sibi Deos, satis noscunt, quid sint in suis naturis, licet fingant, quod habeant aliquid numinis a Deo Deorum supernaturaliter eis datum. Ideo dicit fidelis, quod isti haeretici in ignorantia[4] nedum excedunt mures et tales bestias sed paganos. Et patet fidelitas conclusionis praedictae, quod hoc sacramentum venerabile est in natura sua verus panis, et sacramentaliter corpus Christi.

## CAP. V.

*Eadem sententia ratione comprobatur.*

*Alithia.* Placet mihi cum video, quod vel oportet negare evangelium tanquam summe haereticum vel de hoc sacramento concedere, sicut dicis. Sed rogo te commisceas cum auctoritatibus tuis paululum rationis, quia omnes admittimus, quod Deus nihil potest facere nisi probabili ratione, nec destruit naturam impeccabilem, nec confundit notitiam naturaliter nobis datam, nisi subsit major utilitas et probabilitas[5] rationis.

*Phronesis.* Placet quod fidem de Deo tam acute et recenter respicis, ideo expedit parum procedere secundum quod rationes istius materiae exigunt, ut veritas fidei plus clarescat. Suppo-

[1] fideles—videbunt] fidelis—videbit, D. [2] transient] transeunt, C. [3] cf. Matth. xxxiv. 35. [4] in ignorantia] ignorantia, A.; in ignorantiam, C. [5] probabilitas] major probabilitas, ed. pr.

namus ergo, quod inter omnes sensus extrinsecos, quos Deus dat homini, tactus et gustus sunt in suis judiciis magis certi, sed illos sensus haeresis ista confunderet sine causa, foret ergo antichristianum sacramentum quod istud faceret. Nam quoad *tactum*, de *sacramento panis*[1] patet experimento certo[2] quod haereticus non negabit, quod iste panis sacratus, dum[3] fuerit pistus noviter, dispariter frangitur, ut patet de frangibilitate[4] et sono in comparatione ad panem antiquum, et specialiter in aura humida tenaciter adhaerentem. Sed talia accidentia, durities mollities fragilitas[5] et tenacitas, nec possunt per se esse nec in aliis accidentibus subjectari, ergo relinquitur quod sit subjectum aliquod, ut panis vel aliud[6] haec subjectans. Cum enim hoc sacramentum manens idem continue nunc est durum nunc molle, nunc frangibile[7] et nunc tenax, patet philosophis, quod praeter qualitates quattuor oportet dare subjectum aliquod, quod in illis taliter transmutatur, quia aliter oporteret negare distinctionem talium accidentium, vel quod in tali transmutatione sacramentum novum continue est creatum; quod si primum detur, tunc nullum accidens distinguitur a materiali substantia, et cum manent accidentia, illa forent materialis substantia, sicut primo. Similiter in *sacramento calicis* quoad sensum *gustus* est eadem consideratio, cum potest contingere, quod vinum existens in principio dulce et sapidum per conservationem in vase diuturnam, foret acrum et omnino insipidum. Et quantum nos gustu vel ratione possumus judicare, oportet dare aliquod subjectum quod in illis qualitatibus transmutetur[8]. Quantitas enim, ut profunditas vel superficies, non recipit denominationes hujusmodi qualitatum, cum tunc in omni corpore habente longitudinem latitudinem et profunditatem foret quantitas taliter informata. Oportet ergo praeter quantitatem dare subjectum, quod per qualitates hujusmodi alteretur, cum continue sit nova quantitas rarefacta[9] vel densata.

Sensuum testimonio in primis tactu, comprobatur, panem consecratum esse panem.

Gustu probatur, in s. coena vinum etiam post consecrationem factam vinum esse.

Sed quia in ista materia multiplicavi alias argumenta, et

[1] panis] om. ed. pr. [2] certo] om. A.B.C. [3] dum] cum, D. [4] frangibilitate] fragilitate, A. secundae manus. [5] fragilitas] frangibilitas, ed. pr. [6] aliud] aliquid, A.B.C. ed. pr. [7] frangibile] fragile, A. [8] transmutetur] transmutatur, A.B.C. [9] rarefacta] rarefacta substantia, C., D., B. primae manus, ed. pr.

allegavi contra istum errorem multiplex testimonium *Augustini*, ideo illis suppositis noto tertio, quomodo ex errore sensuum tam extrinsecorum quam[1] intrinsecorum ista dementia est perplexa. Nam deficiente notitia sensus extrinseci, oportet quod sensus intrinsecus illudatur, et nullus talis haereticus dicet scholastice, quod noscit quidditatem vel differentiam substantiarum sensibilium, sed concedet cum stultis philosophis, quod de talibus sensibilibus nihil noscit. Sicut posito, quod multae hostiae sacratae[2] et non sacratae hominibus ignorantibus sint commixtae, tunc haereticus nescit accidens suum a pane distinguere, sicut nos nescimus distinguere inter sacratas hostias et non sacratas, eo quod sacratio non est sensibilis sed insensibilis. Mures autem habent servatam[3] notitiam de panis substantia sicut primo[4], sed istis infidelibus istud deest, et cum ignorant quis panis aut quod vinum ipsis latentibus consecratur, nec consecratum iterum recipit consecrationem, quia sic accidens per se sine pane vel vino poterit consecrari, patet quod est illis ambiguum, si unquam rite consecrant, ut si multitudo hostiarum statim post pistionem a presbytero sit sacrata, et vinum in transmarinis partibus ignorante Anglico sit sacratum, tunc frater Anglicus non de illis consecrat[5] sicut dicit. Sed quis scit si ipsae res ita se habent, cum quotquot hostiae possunt simul eodem verbo Domini consecrari, et vinum potest in quocumque vase et quantacumque quantitate sacrari, etiam si poterit per se esse. Gustum itaque cauponum licet isti stolidi haeretici necessitantur tollere, non tamen eis credunt, cum mures non obstante sua stultitia servant ex integro sensum suum. Quid ergo moveret Dominum Jesum Christum tollere sic judicium suorum cultorum, cum in nullo redundat eis in[6] bonum, nec in ratione vel fide scripturae potest fundari, quod est necessarium homines sic decipi? cum panis et vinum remanentia figurarent aptius corpus Christi et sanguinem, quam accidens sine subjecto; et aeque posset[7] corpus Christi et sanguis esse ad quemlibet punctum talis corporis, sicut ad aliquem punctum

[1] ex errore—quam] om. ed. pr. [2] sacratae] consecratae, A.B.C. [3] servatam] sibi innatam, A.B.C. ed. pr. [4] sicut primo] servatam sicut primo, ed. pr. [5] consecrat] consecravit, ed. pr. [6] in] om. ed. pr. [7] posset] potest, ed. pr.

talis monstruosissimi accidentis; et tunc[1] salvari possent verba[2] fidei scripturae, et sic undique major utilitas et Dei major reverentia resultaret.

Grammatica tollitur doctrina de transsubstantiatione.

Smiliter tales blasphemi includunt[3] praelatos insolubiliter in negligentia quo ad grammaticos, cum grammatici doceant verba supradicta Latina construere secundum quod sunt vulgariter intellecta, sed propter periculum haeresis debet[4] eis injungi secundum istam blasphemam stultitiam, quod sic doceant pueros suos construere, 'apostoli cognoverunt Dominum in fractione panis, hoc est in fractione accidentis sine subjecto,' quia aliter pueri capaces possent concipere quod panis substantia foret fracta per Dominum[5], quod[6], ut haeretici isti inquiunt, foret grande periculum. Nam grammaticus foret culpandus, qui non istam aequivocationem detegeret, 'canis in coelo lucet,' sed sic[7] doceret in vulgari locutione, quod animal latrabile ibi lucet; multo magis ergo culpandus foret grammaticus, qui in puncto laesionis fidei aequivocationem hujusmodi reticeret. Sed benedictus sit Dominus veritatis[8], qui istorum haereticorum notitiam sic confundit, quod usque hodie nesciunt ad sensum suum construere verba evangelica supradicta! Nam ipsi nec construendo nec praedicando intelligunt voces suas, quando dicunt, quod apostoli noverunt Christum in fractione panis, hoc est in fractione accidentis sine subjecto. Et sic antichristus in ista haeresi destruit grammaticam, logicam et scientiam naturalem; sed quod magis dolendum est, tollit sensum evangelii.

Sed Deus sicut semper servat notitiam naturalem in laicis, sic semper servat sensum catholicum in quibusdam clericis, ut in Graecia vel alibi, ubi placet. O quis posset fratres et alios apostatas excusare, quod vel ignorant vel non audent vel propter invidiam nolunt fidem suam in istis detegere et populum docere, de quo praeter obligationem secundum amorem fraternitatis accipiunt tantum lucrum. Revera naturale ingenium hominis pseudofratres hujusmodi condemnaret, cum tanquam inimici domestici plus quam idolatrae remoti simplicem populum per-

[1] tunc] sic, A. [2] verba] om. ed. pr. [3] includunt] involvunt, ed. pr. [4] debet] deberet, ed. pr. [5] Dominum] Deum, ed. pr. [6] quod] quem, ed. pr. [7] sic] si, B.C. ed. pr. [8] veritatis] virtutis, B. ed. pr.

turbarent. Quae ergo major blasphemia quam dicere, quod Christus, qui est Deus et Dominus veritatis, tales errores specialiter in suo populo auctorisat? Indubie declinatio a lege evangelica est in causa, quare isti pseudodiscipuli antichristi reddunt se plus ignaros quam sunt bestiae vel pagani.

## CAP. VI.

*Quomodo error de accidentibus sine subjecto irrepserit in ecclesiam.*

*Alithia.* Placet mihi, quod tam audacter prorumpis in veritates evangelicas, et illas in parte detegis ratione. Sed vellem libenter addiscere, quomodo et qua de causa ista haeresis inolevit, imo supposito quod diabolus cum suis discipulis hanc invenit, quid significat[1] in Christi ecclesia, qui[2] super omnes diabolos dominatur.

*Phronesis.* Forem infideli deterior, nisi usque ad mortem audacter[3] defenderem legem Christi. Et certus sum, quod omnes haeretici vel discipuli antichristi non possunt istam sententiam evangelicam impugnare. Et ex alio latere confido de misericordia Domini, quod post hanc vitam brevem et miseram ero superhabundanter propter certationem istam legitimam a Domino praemiatus[4]. Scio quidem ex fide evangelii, quod antichristus cum suo consilio non potest nisi corpus occidere, sed Christus, cujus partem sustineo, potest tam corpus quam animam mittere in gehennam[5]. Et certus sum, quod in illo quod est servis suis utilius[6], non potest deficere, cum ipse se gratis opposuit dirae morti, et omnes cariores ejus[7] discipulos ordinavit ad profectum eorum[8] acutius cruciari.

Quam ob causam homines in errorem istum inciderint.

Istam igitur reputo causam lapsus hominum in istam haeresim, quod discredunt evangelio, et leges papales ac dicta apocrypha plus acceptant. Et inter omnes infidelitates, quae unquam cre-

[1] significat] signat, A.B. primae manus, C. ed. pr. [2] qui] qui Christus, A. ed. pr.; qui *superscripto verbo* 'Christus,' B.C.; quae, *in margine*, 'qui Christus,' D. primae manus. [3] audacter] om. ed. pr. [4] praemiatus] praemiandus, ed. pr. [5] gehennam] gehennam ignis, A.B.C. [6] quod est servis suis utilius] qui est servus suus utilis, A.B.C. [7] ejus] om. ed. pr. [8] eorum] eorum indubie, A.B.C. ed. pr.

verunt in ecclesia Dei sancta, ista subtilius et profundius demergit homines in voragines errorum de fide, et plus facit apostatare ab abbate Domino nostro Jesu Christo[1]. Et[2] esto quod *Innocentius tertius* deviavit in ista dementia, ut fratres sibi imponunt, quod non pertinet mihi discutere, scio tamen ex fide Christi quod quidquid in materia ista diffinierit, non debet acceptari a fidelibus, nisi de quanto in lege evangelica est fundatum, cum certus sum ex eadem fide, quod in ista lege omnis veritas et specialiter veritas fidei secundum mensuram, quae magis congruit, continetur. Et cum in Christo et lege sua non sunt Est et Non[3], sed in lege sua, ut patet ex dictis[4], continetur, quod sacramentum istud est corpus Christi et panis, ideo hoc debet quilibet fidelis in Domino observare. Sed ex isto manifeste infertur, quod hoc sacramentum non sit accidens sine subjecto, cum fundari non poterit, quod Deus fecit accidens corpus suum; ideo adhaerens fidei ut haeresim maximam hoc negabo. Ideo misi alias satrapis in ista materia istas tres conclusiones, cum protestatione debita: *prima* est haec; si virtute istorum[5] verborum sacramentalium sit accidens sine subjecto in sacramento altaris, illud accidens est ipsummet sacramentum. Patet ex hoc, quod sacramentum illud secundum confessionem concordem istorum haereticorum non est substantia; ideo non superest quid verba ista destruerent et in sacramento relinquerent, nisi tale accidens. *Secunda conclusio* fuit ista; inter omnes haereses, quae unquam pullularunt in ecclesia sancta Dei, non fuit nefandior, quam haeresis ponens accidens sine subjecto esse hoc venerabile sacramentum. Patet ex hoc, quod[6] ista via, quantum in se est, haereticat praecipua verba Christi, et haeresim super majorem partem ecclesiae introducit. *Tertia conclusio* est ista; hoc sacramentum ex fide evangelii est naturaliter verus panis, et sacramentaliter ac veraciter corpus Christi. Patet ex evangelio supradicto.

**Theses ab auctore ad episcopos missae de sacramento altaris.**

Quantum ad secundam quaestionem tuam, videtur mihi probabile, quod Christus, qui dominatur super omnes diabolos, per hoc docet nos figurative, quomodo regnum antichristi[7] in se

[1] Christo] om. ed. pr. [2] et] ut, D. [3] cf. 2 Corinth. i. 19. Cod. C.: non sunt nisi est et non. [4] dictis] praedictis, ed. pr. [5] istorum] om. A.B.C. [6] quod] quia, D. [7] antichristi] om. B., A. primae manus, ed. pr.

dividitur et finaliter desolatur, et quomodo ejus praepositi benedicunt[1]; ad tantum enim[2] in se dividuntur quoad istam materiam sectae fratrum, quod quaelibet contrariatur reliquae, et nulla fundat efficaciter dictum suum; et quia praelati sui praesumunt propter pecuniam benedicere a Domino maledictis, sicut maledicunt crebrius a Domino benedictis, ideo innuebat nobis Dominus, quomodo eorum benedictio secundum proprium eorum arbitrium saepe maledictio Domini est dicenda, juxta illud Malachiae i.: 'maledicam benedictionibus vestris[3].' Dicunt enim, quod in consecratione suae hostiae benedicunt panem et vinum in nihilum, cum nulla pars ejus remanet in Christi corpore nec in suo sacramento, ut inquiunt, sed loquendo proprie de annihilatione annihilatur et in nihil convertitur. Christus autem licet vocatus fuerit homo austerus a servo pigro[4], nunquam tamen tam severe alicui rei signabili maledixit; quando enim maledixit ficui Marci xi., remansit ficus substantia, cum Christus nesciat propter peccatum vel figuram peccati suam omnimode destruere creaturam; et cum nulla creatura potest quidquam facere, nisi praeveniat factio creatoris, patet ut consonat, quod licet ipsi[5] benedicant panem, ut false dicunt, in nihilum, tamen Christus, cum sit sua fabrica, ipsum servat. Nec oportet mussitare super dictis[6] *Johannis de Deo*, quod panis remanens est, sed nescitur ubi est; quia fideles satis sciunt, quod panis virtute benedictionis Christi in melius, quia in corpus Domini, est conversus, et remanet panis, quia manet sacramentaliter ipsum corpus. Et si dicunt, quod transsubstantiatur virtute verborum sacramentalium, placet mihi, cum substantia illa non transit, si non in suo transitu habet esse. Laudemus ergo Jesum Christum, quod auctor istius[7] mendacii non est ille qui 'dixit et facta sunt[8],' sed potius ille mendax, qui dixit et non facta sunt, mandavit et dispersa[9] sunt.

Quod si replicas, ex hoc sequi, quod papa et cardinales sui frequenter in fide deficiunt ac se et ecclesias suas saepe decipiunt, vera est conclusio, sed dolenda[10]. Verumtamen utrum decesse-

[1] benedicunt] bene dicunt, C. [2] enim] quidem, A.C., B. primae manus, ed. pr. [3] Rectius Malach. ii. 2. [4] cf. Matth. xxv. 24 ssq. [5] ipsi] ibi, D. [6] dictis] dictum, ed. pr. [7] istius] hujus, ed. pr. [8] cf. Ps. xxxiii. (xxxii.) 9. [9] dispersa] discrasiata, D. [10] vera—dolenda] vera est et dolenda conclusio, D.

runt contriti de tali haeresi, vel remanserunt post mortem haeretici, non est nostrum temere diffinire. Deus tamen qui novit arcana, noscit veritatem in ista materia, sicut[1] aliae personae, quibus ipse voluerit revelare. Non autem[2] tenemur credere vel verbis ostendere, quod ipse post mortem sit pater beatissimus, sicut in vita adulatores cupidi ipsum clamant, sed si in vita usque ad mortem a Christi sequela plus fuerit deformatus, tunc in inferno profundius est damnatus. Multos autem suppono seductos fuisse hac haeresi, qui finaliter poenitebant, ut suppono de Domino *Lincolniensi* et ceteris qui in scriptis[3] reliquerant, quod accidens potest[4] esse sine subjecto. Et cum[5] dictus *Lincolniensis* in glossa sua de divinis nominibus 'accidens, dicit[6], forte est sine subjecto,' et adverbium istius subtilis doctoris sic intelligo: accidens tale in sacramento oportet in actu considerationis nostrae existere, cum movet[7] actualiter sensum nostrum, sed considerationem de quidditate subjecti sui decet suspendere, et totam considerationem substantiae creatae oportet in significato[8] suo colligere, ut intrans[9] basilicam non infigit sensum suum in consideratione de quidditate ligni imaginis sive crucis, sed ipsum colit[10] quantum suffecerit in signato. Sic est in materia de hostia consecrata, et quia hoc fit quandoque, et quandoque oppositum, ideo reputo[11] quod *Lincolniensis* dicit, accidens forte esse sine subjecto. Et illo modo loquuntur philosophi, ponentes, quod tempus habet esse per animam, et quod sensibile per considerationem animae est in actu. Tempus enim habet a nobis esse cognitum, quod sit mensura motus sensibilis per considerationem animae actualem, sicut sensibile habet potentiam illam passivam reductam ad actum, dum actualiter est sentitum. Et est mihi probabile, quod magni philosophi in ista materia sic tacite senserunt. Sed quia frustra est rimari intentionem auctoris hujus erroris, ideo discussionem atque contentionem circa hanc glossam relinquo theologis dimittendam[12], certus semper de fide evangelii, in qua intrepide conquiesco.

[1] sicut] sic et, ed. pr. [2] autem] enim, ed. pr. [3] scriptis] scriptis suis, ed. pr. [4] potest] non potest, B.C. primae manus, D. ed. pr. [5] cum] tamen, ed. pr. [6] accidens, dicit] ita scribit: accidens (dicit) D. ed. pr. [7] movet] monet, ed. pr. [8] significato] signato, D. ed. pr. [9] intrans] notans, D. [10] colit] colligit, D. primae manus. [11] reputo] repeto, ed. pr. [12] dimittendam] disputandum, ed. pr.

## CAP. VII.

*Quo modo panis consecratus corpus sit Domini.*

*Alithia.* Placet iterum, quod tam evidenter et acute exponis te ipsum; et considero, quod infinitum magis autentica est veritas scripturae, quam persona aliqua jam superstes vel communitas alleganda. Ideo si essent centum papae, et omnes fratres essent versi in cardinales, non deberet credi[1] sententiae suae in materia fidei, nisi de quanto se fundaverint in scriptura. Video iterum, quod non damnas papam vel personam aliquam sub isto errore, quia nescis qualiter decesserunt, sed quod est infinitum tibi plus credibile, quod doctores sub isto cataclysmo[2] vel errarunt in fide vel vecorditer tacuerunt, quam quod aliquod verbum evangelii poterit esse falsum. Et sic est tibi[3] nimis levis evidentia;—si aliquis citra auctorem scripturae sic dixerit, ergo verum. Ideo vana est sollicitudo hominum in ista materia credere credulitate fide digna in his quae excesserint sensus suos, cum vix contingat ad argumentum topicum;—si[4] talis quantumcunque sanctus et prudens sic asserit praeter evidentiam sensuum, ergo verum. Sed unum vellem libenter cognoscere, *quomodo panis* ille *est corpus Domini, cum non sit identice*[5] *ipsum corpus.*

Panis consecratus non secundum essentiam sed secundum habitudinem corpus Christi est.

*Phronesis.* Video quod in multis verum concipis, et quantum ad modum quo panis ille est corpus Domini, firmiter hoc crede, cum Christus, qui mentiri non poterit, ita dicit. Et novisti quod triplex est praedicatio, scilicet formalis essentialis et habitudinalis. Relictis in ista materia duabus praedicationibus[6] ad tertiam oportet attendere. Nam secundum tertiam dixi tibi, quomodo Christus dixit de Baptista, quod sit Helias, Matth. xi., apostolus dicit[7] de Christo 2 Cor. x., moralisando gesta legis veteris, 'petra, inquit, erat Christus.' Et Genes. xli. fides scripturae

[1] credi] concedi, ed. pr. [2] cataclysmo] kathaclismo, cathaclismo, libri manu scripti. [3] tibi] ibi, C. [4] si] sed si, ed. pr. [5] identice] ydemptice, libri MSS. [6] praedicationibus] prioribus, A.B.D.C. primae manus, ed. pr. [7] dicit] dixit, B.D.

asserit, quod septem spicae et septem boves crassae[1] sunt septem anni fertilitatis; et ut *Augustinus* notat, scriptura non dicit quod *signant* illos annos, sed quod *sunt* ipsi anni. Et talem locutionem spissim in scriptura poteris reperire. Nec dubium in istis locutionibus est praedicatio secundum habitudinem et non praedicatio secundum essentiam vel formalis. Et omnes locutiones tales notant, quod res subjecti ordinatur a Deo rem praedicati secundum habitudinem figurare. Sic autem dici potest quod panis ille sacramentalis[2] est ad illum modum specialiter corpus Domini, cum Christus tam autenticus illud dixit. Paratus sum tamen, si ex fide vel[3] ratione doctus fuero, sensum subtiliorem credere, sed de hoc sensu[4] sum certus, nec haeretici contrarii habent hic materiam resistendi, cum secundum videre illorum hoc accidens sine subjecto, quod est sacramentum, est corpus Christi, hoc est, ipsum corpus sacramentaliter signat vel figurat. Cum ergo major sit habitudo panis ad corpus Christi, ut docet *Augustinus*, quam hujusmodi accidentis, quare non potest coloratius[5] dici, quod ille panis est *secundum habitudinem* corpus Christi? Nam ut docet *Augustinus*[6], frumentum ex multis granis collectum molitur, secundo irroratum aqua in pulvere[7] pinsatur[8], et tertio ad corporis esum pro fundamento capitur. Correspondenter panis sacramentalis a fidelibus sparsim recipitur, consequenter irroratus fide evangelica in corde pinsatur, et igne caritatis induratus spiritualiter manducatur. Ideo dicit *Augustinus* super Johannem; 'crede fide caritate formata, et manducasti;' quod de esu spirituali oportet intelligi[9]. Nec audiendi sunt haeretici, qui sensum istum nituntur extinguere per hoc falsum, quod evangelium nec ante nec post habet talem modum loquendi figurativum. Nam Lucae xxii. statim subjungitur: 'hoc facite in meam commemorationem,' ac si diceretur, hic panis sacramentalis in efficacem mei memoriam debet capi. Similiter 1 Corinth. xi. dicit Paulus, 'hic calix est novum testamentum in meo sanguine' etc.[10], ubi non dubium, quin ista sit

[1] crassae] crassi, ed. pr. [2] sacramentalis] om. D. [3] vel] vel ex, B. primae manus, ed. pr. [4] sensu] consensu, A. [5] coloratius] coloratus, ed. pr. [6] Augustinus] Augustinus super Johannem, ed. pr. [7] pulvere] pelure, C., B. primae manus; poline, A. primae manus, D. [8] pinsatur] i. e. conteritur. [9] intelligi] intelligere, A.B.C. [10] est N. T.—sanguine] om. A.B. ed. pr.

figurativa[1] locutio, cum Marci xiv. dicat Christus: 'hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur.' Et idem patet ex dictis, cum mens catholici[2] non capit, quod panis sit corpus Christi, nisi intelligendo figurative, cum identificatio non sit possibilis. Ideo absque omni ambiguitate haec est figurativa: 'hoc est corpus meum,' ut sunt locutiones de evangelio Johannis; 'nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis[3],' cum multis similibus quae ad sensum alium dixit Christus. Verumtamen aliquae sunt locutiones fidei scripturae quas oportet plane sine figura accipere, ut in materia de incarnatione concedi debet, quod Jesus noster sit Deus et homo, ut patet ex scripturis collatis ad invicem, ut Johannis i. et Ephes. i. et Hebrae. ii.[4] Unde reputatur quod calliditas diaboli diu studuit circa istam fallaciam, ut ecclesiam in hanc haeresim introducat, cujus causa est quod[5] praelati ecclesiae non secundum ordinationem Christi praeferuntur[6], nec sint propter legem antichristi in lege Domini studiosi, ac si diabolus machinaretur istam sententiam; 'si possum per meum vicarium antichristum ad tantum seducere fideles ecclesiae, ut negent hoc sacramentum esse panem, sed credant ipsum esse accidens maxime abhominabile, per idem inducam ut[7] credant posterius quidquid voluero[8],' cum fides scripturae et sensus manifestus hominis illud docent. Nec videtur[9] quin per locum a simili simplicibus fidelibus posset dici, quod quomodocunque vivit praelatus luxuriosus homicida simoniacus vel aliter vitiosus, nunquam illud a subjecto populo debet credi. Verumtamen illud a subjectis clericis oportet propter lucrum judicii amoveri, sed de papa oportet istud supponere tanquam fidem, scilicet[10] quod non errat, et specialiter in fide ecclesiae, scilicet[10] cum sit pater beatissimus, quod non peccat, sicut[11] videtur illud explanatum superius Matth. xxiv., 'cum videritis abhominationem desolationis sedere in loco sancto,' in haeresim de ista hostia redundare. Quid quaeso major abhominatio desolationis, quam

[1] figurativa] figurata, ed. pr. [2] catholici] catholica, A.B.C. [3] non habebitis—in vobis] om. A. ed. pr.; cf. Joh. vi. 53. [4] Hebr. ii.] Hebr. i., ed pr. [5] quod] ut quod, C.; ut, B. secundae manus. [6] praeferuntur] praeferantur, B. [7] ut] quod, B. ed. pr. [8] voluero] volo, D. [9] videtur] verum, B. primae manus, ed. pr. [10] scilicet] sed, ed. pr. [11] sicut] et sic, ed. pr.

quod ex institutione antichristi pendeant venerabiliter supra altare multae hostiae consecratae, et tamen fideles cogantur concedere, quod quaelibet talis hostia, quam nos credimus esse panem et corpus Christi, sit pejus[1] simpliciter quam panis equinus vel corpus aliquod quantumlibet venenosum, cum certum sit, quod omne tale accidens corporeum, sive sit quantitas sive qualitas sive aggregatum ex[2] multis accidentibus, sit infinitum imperfectius quam corpus aliquod assignandum? Nec prodest fratribus negantibus istam hostiam *adorari*, sed propter assistentiam corporis Domini *venerari*, quia certum est, quod in qualibet creatura est Trinitas increata, et illa est longe perfectior quam est corpus[3]. Ideo oportet hos fratres dicere, quod populus adorans hanc hostiam ut corpus Domini sit idolatra de lumine fidei desolatus; et[4] tamen nos ex fide scripturae evidentius et devotius adoramus hanc hostiam vel crucem Domini vel alias imagines humanitus fabricatas.

## CAP. VIII.

*Doctrina de impanatione improbatur.*

*Alithia.* Rogo, frater, probes ulterius per rationem vivacem vel scripturam autenticam, quod *non* sit *identificatio panis* cum *corpore Christi nec impanatio.* Non enim delector in scripturis apocriphis quibus[5] utuntur moderni ad probandum, accidens esse sine subjecto, quia ecclesia ita dicit; tales enim evidentiae neminem quietarent.

*Phronesis.* Quantum ad identificationem, oportet primo in significatione termini convenire, quod ad istum sensum ipsum intelligas, quod naturas distinctas in specie vel numero Deus faciat[6] esse unum et idem in numero, ac si personam Petri faceret esse Paulum. Et tunc recolo me fecisse rationes multi- Panis consecratus neque 'identificatur' cum corpore Christi,

[1] pejus] prius, ed. pr. [2] ex] om. ed. pr. [3] corpus] corpus Christi, C. primae manus, ed. pr.; hoc corpus, D. [4] et] om. ed. pr. [5] quibus] qualibus, A.B. primae manus; qualibet, D. ed. pr. [6] faciat] facit, A.B.C.

plices ad improbandum possibilitatem[1] identitatis hujusmodi. Nam juxta istam phantasiam quaelibet pars quantitativa quantitatis permanentis vel temporis posset identificari cuilibet, quod statim probatur esse impossibile. Nam si hoc verificatum sit de A pedali linea, tunc quaelibet ejus pars[2] quantitativa est pedalis, et iterum quaelibet summe parva, quod sibi ipsi manifeste contradicit[3]. Ideo ista opinio identificatur opinioni impossibili atque haereticae. Et conformis est ratio de tempore, et quolibet assignando; nam si A identificatur B, tunc utrumque illorum remanet, cum destructum non identificatur sed corrumpitur vel desinit esse; et si utrumque illorum remanet, tunc tantum differunt sicut primo, et per consequens differunt in numero, et sic ad sensum expositum non sunt idem. Nam patet de virtute sermonis, si utrumque illorum remanet, tunc illa ponunt in numerum, et per consequens numeraliter distinguuntur. Similiter si aliqua identificantur ad sensum expositum, tunc oportet quod omnes differentiae eorum sint[4] etiam identificatae[5]; quia quaelibet differentia repugnat tali identificationi, et per idem convenientiae[6] forent identificatae[7] differentiis, et res unius speciei rei alterius speciei, quod notum est claudere contradictionem in terminis.

neque per impanationem panis et Christi corpus conjunguntur.

*Alithia.* Quietor in ista ratione triplici, quod non potest esse identificatio quam signasti. Sed rogo tolle *impanationem*, quae[8] a quibusdam pseudofratribus fuit[9] tenta, sic[10] videlicet quod sicut[11] humanitas et divinitas in Christo sunt utraque[12] eadem persona Verbi, sic panis et corpus Christi sunt virtute verborum sacramentalium idem suppositum. Videtur enim ex verbis tuis, quod innuis istam viam.

*Phronesis.* Sum certus, quod sententia ista impanationis est impossibilis atque haeretica, et propter hoc quod[13] tenebatur a multis[14] pseudofratribus plus suspecta. Sicut enim est[15] argu-

[1] possibilitatem] impossibilitatem, ed. pr. [2] pars] om. ed. pr. [3] quod—contradicit] sed quae opinio sibi ipsi manifestius contradicit, D. [4] sint] sunt, ed. pr. [5] identificatae] identifice, ed. pr. [6] convenientiae] consequentiae, ed. pr. [7] identificatae] identifice, ed. pr. [8] quae] quae est, B. primae manus, ed. pr. [9] fuit] om. ed. pr. [10] sic] sicut, ed. pr. [11] sicut] om. ed. pr. [12] utraque] utrumque, ed. pr. [13] quod] om. ed. pr. [14] multis] stultis, ed. pr. [15] est] om. ed. pr.

mentum topicum, quod homo comptus est ex hinc luxuriosus, sic est argumentum topicum, 'ista opinio originatur a fratre, ergo est falsa,' nam eorum mendacia faciunt evidentiam ad hoc topicum argumentum. *Primo* enim[1] arguo[2], quod juxta istam viam corpus Christi et sic Christus glorificatus in corpore reciperet omnes transmutationes vel denominationes quas panis ille[3] reciperet, et sic corpus Christi nedum foret factum a presbytero celebrante sed a pistore, et nunc multiplicatum sic quod Christus haberet simul multa corpora, et omnes praedicationes, quas panis iste recipit, corpus[4] Christi reciperet, et sic mus corpus Christi comederet, ipsum corpus Christi putrefieret conversum in vermes, et generaliter sacerdos celebrans collum et omnia membra Christi frangeret; sed quid infidelius vel abhominabilius desolans catholicum viatorem? Et consequentia patet, quia quando duae naturae identificantur in eadem persona, ut patet in materia de incarnatione, omnis praedicatio alterius naturae eidem personae convenit. Sic enim vere credimus[5], nedum quod Christus sed quod Deus fuit crucifixus, mortuus et sepultus, sicut per ante fuit temporaliter genitus et ex muliere factus. Similiter si iste panis sic factus identifice corpus Christi, et illud corpus est realiter ipse Christus, ergo ille panis est factus realiter Christus Deus. Sed quae idolatria foret amplius detestanda? Sic enim haberet quaelibet ecclesia Deum suum, qui reciperet praedicationes abhominabiles supradictas, et sic Deitas foret turpissima res in mundo. Similiter si ad sensum expositum foret impanatio sicut est incarnatio, impanationis festivitas foret solemniter celebranda, et Christus foret[6] ad sensum consimilem factus petra agnus ovis vitulus aries serpens etc. sed quid stultius? Ideo certum est ex fide, quod istam scripturam[7] 'hoc est corpus meum,' sicut alias ei similes, oportet in praedicatione secundum habitudinem acceptare. Ideo notanda est nobis una differentia inter praedicationem identificam et praedicationem secundum habitudinem. Nam quando duae naturae identificantur eidem personae, ut contingit[8] de

[1] enim] ergo, D. [2] arguo] contra istud arguo, D. ed. pr. [3] ille] om. ed. pr. [4] corpus] et corpus, ed. pr. [5] concedimus] credimus, A.B.C. [6] Christus foret] sic foret, D. [7] scripturam] sententiam, ed. pr. [8] contingit] contigit, A.

incarnatione, tunc utraque earum est naturaliter[1] idem suppositum; sed secus est in materia de sacramento altaris, quia licet panis fuerit fractus in tres vel in quotlibet partes, quaelibet earum non[2] est realiter sed habitudinaliter idem corpus[3], ut intuendo diversa specula, eadem facies est intentionaliter[4] in quolibet eorundem. Unde non oportet rem factam a Deo secundum talem habituationem suum figuratum requirere, ipsum figuratum moveri ad ipsam localiter, vel ex hinc realiter alterari. Ut non est intelligendum corpus Christi descendere ad hostiam in quacunque ecclesia consecratam, sed manet sursum in coelis stabile et immotum, ideo habet esse spirituale in hostia et non esse dimensionatum et cetera accidentia quae in coelo. Unde videtur mihi, quod corpus Christi et sic Christus humanitus[5] sit spiritualiter ad quemlibet punctum mundi, cum Christus humanitus sit rex mundi[6], sed secundum *Augustinum* et doctores ceteros rex est spiritualiter potentialiter et virtualiter ad punctum quemlibet regni sui. Corpus ergo Christi est ad punctum quemlibet hujus mundi, cum virtute illius corporis quaelibet pars mundi perficitur ultra quam rex terrenus partes regni sui potest perficere. Verumtamen credendum est, quod longe aliter est corpus Christi in hostia consecrata, cum sit habitudinaliter ipsa hostia, et secundum rationem spiritualis et virtualis existentiae est aliter ad quemlibet punctum ejus. Et patet, quod secundum rationem duplicem est corpus Christi in loco hostiae consecratae.

## CAP. IX.

*Argutiae quaedam de corpore Domini in eucharistia excogitatae redarguuntur.*

*Pseustis.* Propter stultitias, quas ebullis, per tempus non modicum dormitavi. Sed modo oportet me vigilare paululum

[1] naturaliter] numeraliter, ed. pr. [2] non] om. B.D. [3] idem corpus] corpus Domini, A.B. primae manus, ed. pr. [4] intentionaliter] intensionata, A.; intentionaliter i.e. secundum similitudinem, ed. pr. [5] humanitus] humanitas, B. [6] cum Christus—mundi] om. ed. pr.

ad illas stultitias reprobandum. Primo enim non potes subterfugere syllogismum talem expositorium; 'iste panis[1] putrefit vel a mure comeditur; ille idem panis est corpus Christi; ergo corpus Christi sic putrefit atque comeditur,' et sequuntur inconvenientia tibi importabilia[2].

Argutiae contra auctoris sententiam proferuntur,

*Phronesis.* Considero quod nimis sophistice ut vulpis infideliter dormitasti. Sed considera praedicta de Trinitate de incarnatione et de universalibus, et tunc in multis tuis argutiis erubesces. Nego ergo tibi argumentum quod vocas syllogismum expositorium, cum sit deceptorius paralogismus. Si enim in materia de Trinitate non sequitur, 'ista essentia est Pater, et ista eadem essentia est Filius, ergo Pater est Filius[3];' multo evidentius non sequitur in syllogisatione[4] tuae caecae argutiae. Et eodem modo non sequitur in materia de incarnatione 'ista persona est ista humanitas, et ista eadem persona est ista divinitas[5], ergo ista humanitas est ista divinitas.' Et in materia de universalibus non oportet ambigere de[6] exemplis, ut licet species humana sit Petrus et eadem species sit Paulus, non ex hinc sequitur, quod Petrus sit Paulus, sed satis est, quod sint idem in specie; et sic satis est tibi in proposito, quod si iste panis a mure comeditur et iste panis est corpus Christi, tunc illud quod est corpus Christi, a mure comeditur. Et talis aptanda est conclusio in omnibus aliis paralogismis. Exemplum autem istius patet in fide scripturae, ut non sequitur, 'iste Baptista est Helias, et iste Baptista tunc procreabatur de Zacharia atque Elizabeth, ergo ille Helias tunc fuit taliter procreatus.' Ideo non oportet propter hoc verbum verum Christi concedere omnes praedicationes formales de Baptista, quae conceduntur de Helia vel e contra. Et hoc patet resolvendo propositiones in sua significata catholica. Quis rogo color, si iste panis figurat sacramentaliter corpus Christi, et iste panis tunc fuit pistus, quod corpus Christi tunc temporis pinsabatur?

atque redarguuntur.

*Pseustis.* Adhuc tuae evasiones haereticae cognoscentur. Nam juxta sensum tuum concedendum foret, quod scriptum, vox et quidlibet imponendum ad significandum corpus Christi

[1] panis] om. ed. pr. [2] importabilia] impertibilia, ed. pr. [3] ergo Pater est Filius] om. ed. pr. [4] syllogisatione] similitudine, D. [5] divinitas] deitas, B. secundae manus, C. ed. pr. [6] de] om. ed. pr.

foret habitudinaliter et sic realiter ipsum corpus[1]. Sed quis sufficeret enumerare inconvenientia ex hoc sequentia? Nam in praedicatione[2] secundum habitudinem est conformis ratio utrobique.

*Phronesis.* Adhuc evadet fidelis multas tales argutias similes, quia nisi posses[3] probare, quod quilibet imponens signum vel terminum ad signandum corpus Christi vel aliud assignandum sit ille qui 'dixit et facta sunt[4]' nec mentiri poterit[5]; aliter non procederet tua argutia simialis. Ideo nihil potes identificare cuilibet vel alicui alteri, antequam ista auctoritativa excellentia sit communicata cuilibet tuo complici imponenti, quod cum non potes, erubescas de turpitudine tuae argutiae. Unde non concedo ista verba scripturae propter impositionem humanam, sed quia prima veritas[6] illa[7] dicit. Ideo hanc reverentiam scripturae singulariter reservo et[8] humiliter illi obediens integraliter hanc concedo, tanquam certus ex fide, quod nulla pars scripturae sacrae poterit esse falsa. Ideo quid mihi, quod impositor tuus imposuerit[9] signa vel terminos ad taliter designandum? non enim propter hoc variabo responsionem ad sensum[10], quem didici ex scriptura; ut si imposueris quod ista propositio, 'homo est asinus,' significet praecise[11] primarie Deum esse, non propterea concedam, quod homo est asinus, nec propositionem illam quam propones[12]; non enim[13] tantum obediam impositioni tuae vel regulis de obligatione vel impositioni termini quas tu finges[14]. Scio tamen quod labor est, omnes tales locutiones figurativas scripturae recenter[15] memoriae commendare. Sed scio quod aequivocans in praedicatione identica[16] vel scripturam non considerans, sicut non contradicit sententiae scripturae, sic non capitur in tua redargutione, ut Christus et Baptista non contradixerunt sibi ipsis, licet Christus concessit quod Baptista est Helias, et Baptista ad sensum aequivocum asseruit se non esse

[1] corpus] corpus Christi, ed. pr. [2] praedicatione] praeditatione, ed. pr. [3] posses] possis, ed. pr. [4] cf. Ps. xxxiii. (xxxii.) 9. [5] cf. Hebr. vi. 18. [6] veritas] om. ed. pr. [7] illa] ita, A.B.C. ed. pr. [8] et] quod, B. primae manus, D. ed. pr. [9] imposuerit] imposuit, A.B.C. [10] ad sensum] om. A.B.C. secundae manus. [11] praecise] praecipue, C. primae manus, ed. pr. [12] propones] proponis, ed. pr. [13] enim] om. ed. pr. [14] finges] fingis, C. ed. pr. [15] recenter] decenter, C. [16] identica] identifica, ed. pr.

Heliam. Unde in isto puncto ego aliquando infatuavi ignorans praedicationem habitudinalem; credidi enim quod in tali locutione, 'Baptista est Helias,' hoc nomen Helias transfertur a significatione illius magni prophetae in lege veteri, de quo tertio Regum xviii.[1], et significat omnino aequivoce et singulariter Johannem Baptistam; sed postmodum reperi ex sanctorum testimonio et ratione valida, quod Helias significat in locutione Christi illum prophetam de lege veteri, et per consequens *habitudinalis* praedicatio est dicenda non autem identica, cum Christus intellexit quod Baptista est Helias figuraliter, et Baptista inellexit quod non est Helias personaliter, cum aliter foret dictum Christi ad istum sensum derisorium exponendum: 'si vultis scire, ipse Baptista est illa persona[2].' Et sic intelligo praedicationes[3] alias habitudinales scripturae sacrae. Et si quaeras, quando Baptista incepit esse Helias, videtur mihi[4] quod tunc quando habuit ex ordinatione Dei illam habitudinem ad Heliam, et sic[5] prius saltem naturaliter fuit Baptista Helias, antequam Christus protulit illa verba. De sacramento tamen altaris videtur probabile, quod prolatis his verbis sacramentalibus ille panis est corpus Domini, et non ante, ita quod virtute[6] verborum Christi ille panis simul habeat nomen sacramenti et nomen corporis Domini nostri[7] Jesu Christi.

*Pseustis.* Adhuc videtur mihi quod claudicas, cum juxta dicta tua quaelibet pars quantitativa panis nobis sensibilis foret idem corpus Christi in numero, et sic corpus Christi foret infinitum parvum, pars sui ipsius, et quantumlibet a se distans. Nam quaelibet pars quantitativa istius hostiae est hoc[8] corpus, sed infinitum parva[9] est aliqua pars quantitativa istius hostiae, et cum ista tota hostia sit idem corpus in numero, sequitur *secunda* conclusio. Et cum tales hostiae, quae sunt corpus Christi, in provinciis multum distant, sequitur *tertia* conclusio[10]; imo[11] cum infinitae sunt variationes in hujusmodi hostiis consecratis, sequitur quod omnes illas variationes recipit corpus Christi.

[1] sive 1 Regum xviii. [2] cf. Matth. xi. 14. [3] praedicationes] personas, ed. pr. [4] mihi] om. ed. pr. [5] sic] om. ed. pr. [6] virtute] de virtute, ed. pr. [7] nostri] om. A., B. primae manus. [8] hoc] om. ed. pr. [9] parva] persona, ed. pr. [10] Et cum—tertia conclusio] om. A. primae manus. [11] imo] primo, ed. pr.

*Phronesis.* Sicut dixi tibi superius, oportet te cognoscere sententiam de universalibus, et tunc[1] intelliges quod, sicut species humana est quodlibet ejus individuum, sic idem corpus Christi in numero est quaelibet pars sensibilis hostiae consecratae. Conclusiones enim logicae juvant ad veritates catholicas cognoscendas. In multis tamen est diversitas, in exemplo speciei et corporis Christi, cum quodlibet suppositum hominis sit identice species humana. Non sic autem est de partibus quantitativis panis sacrati, et sic totum universale est identice quodlibet ejus suppositum, sed corpus Christi non est identice quaelibet pars quantitativa panis, sed habitudinaliter. Utrum autem sit resolutio ad partem individualem[2] inclusive, non hic diffinio, sed certus sum quod quaelibet pars naturalis atque sensibilis panis sacrati[3] est habitudinaliter corpus Christi, cum non sit ratio, quare panes dispares in qualitate et quantitate, dum consecrantur, quantumcunque distiterint[4], sunt sacramentaliter idem[5] corpus Christi[6], quin per idem et[7] multae partes quantitativae ejusdem panis; sed praedicationum distinctio omnimode est notanda. Et patet, quod prima conclusio est concedenda. Et quantum ad *primam* trium replicationum, patet quod nihil est infinitum parvum, sicut nihil est infinitum magnum praeter naturam divinam, et illa non est parva; compositum enim ex duobus punctalibus est summe parvum, sicut numerus binarius in quantitate discreta; concedo tamen, quod corpus Christi est satis parvum et quantumlibet varie figuratum. Nota tamen, ut dixi superius, quod omnia ista intelligas in praedicatione habitudinali et essentiali, non autem ut praedicatum tale formaliter praedicatur, ut corpus Christi est quantum et figuratum aequaliter grano frumenti[8], quia est illud quod taliter quantificatur et figuratur, et tamen corpus Christi non taliter quantificatur aut figuratur, cum corpus Christi non figuratur nisi ut est in coelo, licet sit figuratum quod hic substantialiter est[9] nobiscum, quia est panis qui secundum denominationes hujus-

[1] tunc] sic, A.B.C. ed. pr. [2] individualem] indivisibilem, A.B.C. ed. pr. [3] sacrati] sacramenti, B., C. primae manus, ed. pr. [4] distiterint] destiterint, ed. pr. [5] idem] om. ed. pr. [6] Christi] om. A. [7] et] etiam, A.B.C. [8] aequaliter grano frumenti] om. A.C. secundae manus. [9] est] sit, B. primae manus, ed. pr.

modi est nobiscum; et sic in replicatione prima falsum assumitur et non sequens.

Quo ad *secundam*, patet ut supra, quod falsum assumitur et non sequens. Nam corpus Christi non est pars sui ipsius, licet sit pars istius panis, qui est ipsummet corpus Christi, sicut Deus non differt a se, licet sit persona quae a persona alia differt, et omnes illae personae sunt ipsemet idem[1] Deus. Oporteret[2] enim, si corpus Christi sit pars sui ipsius, quod secundum idem componat se ipsum, quod est impossibile. Et ex eodem patet, quod probatio conclusionis tertiae non infertur[3], scilicet quod corpus Christi distat a se; conceditur tamen, quod corpus Christi est multi panes a se distantes, ut patet de multis panibus consecratis in Anglia; sed non sequitur[4] propterea, quod corpus Christi multiplicetur[5], licet sit[6] multi panes tam varie situati; sed si cum istis panibus corpus Christi foret identice illa multa, ratio satis procederet[7]. Et patet ista responsio, terminis in sua exponentia resolutis.

## CAP. X.

### *Corpus Domini non dimensione tenus cum pane est.*

Contra auctoris sententiam arguitur, ex ista sequi, quod duo corpora in eodem spatio sint, id quod non possit fieri.

*Pseustis.* Adhuc video quod non erubescis contradicere tam philosophis quam theologis in[8] propositionibus per se notis. Supponunt enim omnes sani capitis, quod impossibile est esse duo corpora in eodem loco, quod tamen manifeste innuis de corpore panis et corpore Christi.

*Phronesis.* Leviter mones et verecunde tibi ipsi, si bene saperes. Nam ut dicunt logici, omnia corpora mundi sunt in eodem loco magno, et in particularibus locis sunt quotlibet corpora quantumcunque distincta. Sed ut[9] tangam propius[10], secundum communiter loquentes theologos corpus glorificatum

[1] illae—ipsemet idem] ipsae—illemet, A.B. ed. pr. [2] oporteret] oportet, A. ed. pr. [3] infertur] aufertur, ed. pr. [4] sequitur] oportet, B. secundae manus. [5] multiplicetur] sit multipliciter, ed. pr. [6] sit] sint, ed. pr. [7] procederet] evidenter procederet, B.C. [8] in] om. ed. pr. [9] ut] om. ed. pr. [10] propius] proprius, omnes libri manu scripti.

Respondet auctor, corpus Christi non corporaliter sed spiritualiter esse in eucharistia.

est per eundem situm coeli adaequatum, et ut credunt[1] philosophi, per eundem situm mixti sunt eadem corpora elementaria coextensa. Sed adhuc tertio accedam propius[2]: nonne secundum tuam phantasiam impossibilem per eundem situm hostiae est corpus de genere quantitatis et corpus[3] Christi, quamvis dispariter, imo cum corpus de genere quantitatis sit per se quantum, et corpus de genere substantiae non sit quantum nisi per accidens, tanta foret repugnantia vel major ponendi quantitates et qualitates corporeas coextensas? Ipsae enim habent per se dimensiones, vel potius *sunt* illae dimensiones sese de possibili penetrantes. Sed ut accedam finaliter ad difficultatem tui propositi, dico quod philosophi habuerunt[4] pro inconvenienti, quod per eundem locum sint duo corpora non communicantia[5] coextensa. Sed quomodo pertinet nobis sic dicere, cum corpus panis ibidem extenditur, et corpus Christi ibidem existens spiritualiter multiplicatur? Et quamvis corpus Christi sit ibi extensum, quia res extensa, ut puta ille panis, non tamen ibidem extenditur, nec ponit ut sic in numerum cum pane, cum sit realiter ipse panis. Et patet, si concipis, quomodo tua argutia est soluta, nec expedit plus pro replicationibus[6] in ista materia immorari.

*Pseustis.* Adhuc apparet mihi, quod non potes clare aufugere, non solum quia corpus Christi est ibi extensum cum corpore panis, sed quia nescis dicere quid sit ibi essentialiter corpus Christi. Non enim est corpus alicubi nisi ubi est corpus; quia aliter[7] sequeretur, quod corpus foret alicubi non corpus; et sic corpus Christi et corpus panis forent per eundem situm coextensa, licet sint corpora[8] non communicantia.

*Phronesis.* Video quod ad supra dicta nimis superficialiter attendis. Nam ut patet ex dictis, corpus Christi est in loco hostiae extensum cum corpore panis, quia est panis extensus cum corpore panis, cum sit quarta pars panis, et sic de multis ejus partibus. Verumtamen corpus Christi non coextenditur

[1] credunt] tradunt, A.B.C. [2] propius] proprius, A.B.C.D. [3] corpus] corporis, ed. pr. [4] habuerunt] habent, B. secundae manus. [5] communicantia] contaminantia, ed. pr. [6] replicationibus] replicatione, ed. pr. [7] aliter] alias, ed. pr. [8] corpora] duo corpora, D. secundae manus.

cum corpore panis, ut dictum est tibi superius de distinctione praedicationis formalis et praedicationis essentialis et habitudinalis. Quantum ad *secundam instantiam* tuam, dictum est tibi superius, quod corpus Christi est ibi spiritualiter, etiam modo quo distinguitur essentialiter a corpore panis. Ideo quando dicis, quod nescimus dicere, utrum corpus Christi sit ibi essentialiter corporaliter vel dimensionaliter, videtur mihi, quod probabiliter dicere possumus, quod corpus Christi est ibi *corpus*, quia illud idem corpus quod in coelo extenditur. Sed utrum sit ibi *corporaliter*[1], videtur mihi quod multi in aequivocatione laborant inaniter. Nam intelligendo hoc adverbium reduplicative, videtur mihi quod corpus Christi sit ibidem corpus, et non sit[2] corporaliter, sed cum adverbiis analogis concedi debet, quod corpus Christi est ibi bene pulchre et realiter; non tamen audeo dicere, quod est ibi dimensionaliter vel extense, licet sit panis qui est ibi dimensionaliter et extense. Sed secunda aequivocatio adverbiorum hujusmodi est, quod accipiuntur quandoque simpliciter, ut res dicitur esse corporaliter alicubi, dum est ibi modo corporis. Et sic intelligunt quidam, quod corpus Christi est in hostia corporaliter substantialiter et essentialiter. Et potest confirmari ista locutio ex textu apostoli ad Coloss. ii. dicentis, quod 'in Christo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter,' non quod divinitas posset *esse corporaliter;* sed quia multi haeretici abhorrebant, quod Christus sit ipsa divinitas, cum sit corpus, apostolus dicit nobis, quod in Christo existente corporaliter, hoc est modo corporis, habitat identice ipsa divinitas, et sic divinitas, licet non sit corporaliter, est tamen corpus existens corporaliter. Sed absit quenquam[3] credere, quod reduplicative intelligendo Christus sit corporaliter ipsa divinitas, cum sit corpus, quia tunc inquantum corpus, et per consequens necessario omne corpus foret ipsa divinitas. Quando autem talia adverbia intelliguntur reduplicative, oportet notare[4] per se praedicationem et ad modos universales attendere[5], ut homo, inquantum vivit juste, vivit virtuose, quia per se justitia est virtus, nec posset homo juste vivere nisi haberet modum vivendi

[1] corporaliter] corporaliter vel dimensionaliter, A.B.C. ed. pr. [2] sit] sic, D. [3] quenquam] quemcunque, D. [4] notare] negare, ed. pr. [5] attendere] actualiter, ed. pr.

virtuosum. Corpus tamen posset esse alicubi, licet non sit ibi dimensionaliter, ut patet de esse spirituali corporis quo ad locum. Et patet solutio hujus objectus, si bene attendis.

Auctoritas ecclesiae scriptori opponitur;

*Pseustis.* Videtur mihi quod deliras ab opinione[1] ecclesiae et fide scripturae, cum juxta tuum dicere[2] aeque posset laicus conficere ut sacerdos; et sic ecclesia foret utrobique ambigua, quam hostiam adoraret.

ipse vero ad scripturam provocat.

*Phronesis.* Video quod argumenta ulteriora[3] tibi deficiunt, sed quaeris[4] quomodo difficultates extraneas introducas. Ecclesia autem[5] propter subtilitatem materiae et exercitationem[6] in studio temporalium, nimis modicum attendit ad istam materiam, cum papa et omnes ejus cardinales de ipsa parum concipiunt. Sed per Christi gratiam tenebo fidem et sensum *scripturae,* et cavebo ab hac haeresi, 'si papa et cardinales asserunt hunc esse sensum scripturae, ergo sic est;' quia tunc forent supra apostolos confirmati.

Laicos etiam consecrare posse affirmat.

Sed ulterius quantum ad tuam logicam, multis videtur probabile quod idem est, 'laicus potest conficere,' et 'satis rite potest laicus conficere;' sed primum ex logica tua debes concedere. Et iterum multi sancti presbyteri sunt idiotae, et sic, ut placet quibusdam, laici et ipsi saepe conficiunt. Et iterum laborando in aequivocatione confectionis[7], concedendum videtur, quod laici conficiunt, imo quod consecrant, sicut beata Caecilia domum suam ecclesiam consecravit. Imo credo quod nescis ostendere, quod quando Christiani fregerunt panes circa domos, ut legitur Act. ii., quod illi panes non[8] erant corpus Christi, aut quod soli apostoli vel presbyteri sic fecerunt. Sed dimittendo istud incertum[9] apparet mihi, quod sacerdotes sanctos decet istud officium, cum Christus specialiter injungit eis sic facere, dum annectit[10], 'hoc, quotiescunque feceritis, in meam memoriam facietis[11].' Sic ergo quandocunque Christus operatur cum homine, et solum tunc conficit sacramentum, quod reputari debet

[1] ab opinione] a communione, A.B.C. [2] tuum dicere] i.e. tuam expositionem. [3] ulteriora] ulteriora illius materiae, A.B.C. ed. pr. [4] quaeris] ideo, ed. pr.; quaeris ideo, A.B.C. [5] autem] enim, A.B.C. ed. pr. [6] exercitationem] excitationem, ed. pr. [7] confectionis] consecrationis, ed. pr. [8] non] om. D. [9] incertum] iterum, D. [10] annectit] adjungit, A.B.C. ed. pr. [11] cf. 1 Corinth. xi. 24 sq.; verba 'in—facietis' desunt in Cod. A. ed. pr.

de nostris sacerdotibus et supponi. Verumtamen quia istud non est fides, non oportet quod *credatur* ab ecclesia, sed quod probabiliter supponatur. Nec oportet quod ambigatur, cum multa sunt proponenda vianti quae nec debet dubitare nec concedere nec negare, ut proposito mihi, quod sum[1] praedestinatus, aut de peccante graviter, quod erit damnatus propter[2] hoc quod erit finaliter obstinatus, nec talia concedo nec nego nec dubito, sed reputo[3] unam partem. Et sic visa hostia adoro ipsam conditionaliter, et omnimode[4] deadoro corpus Domini, quod est sursum. Et sic responsio ad istas sex argutias potest esse medium ad tollendum[5] consimilia argumenta.

## CAP. XI.

*De baptismo.*

Ordo sacramentorum.

*Alithia.* Rogo te, frater Phronesis, cesset litigiosa contentio Pseustis nostri, et procedamus per ordinem ad sex alia sacramenta. Et quia non procedis secundum ordinem quo sacramenta superius[6] recitasti, sed potius secundum ordinem quo sacramenta in scriptura sacra expressius sunt fundata, ideo post sacramentum eucharistiae videtur esse evidentius tractandum *de baptismo.* Ideo vellem quod de ipso aliquid loquereris.

Baptismus in scriptura sacra institutus.

*Phronesis.* Placet de isto ordine. Et primo videamus, ubi baptismus in evangelio stabilitur. Nam lego[7] Matthaei ultimo, quomodo Christus mandavit suis apostolis: 'ite docete omnes gentes baptisantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti[8].' Et hinc Philippus baptisans eunuchum Act. viii. prius instruxit eum in fide, sicut fecerunt apostoli Act. ii., quando populum baptisaverunt. Christum tamen non oportuit Baptistam instruere[9], de quo Luc. iii., sed e contra in humilitate et aliis virtutibus a Domino est instructus. Et propter hanc formam

[1] sum] si, D. [2] propter] per, A.B.C. ed. pr. [3] reputo] repeto, ed. pr. [4] omnimode] omnino, D. ed. pr. [5] tollendum] om. A.B. [6] superius] inscripta superius, A.B.C. ed. pr. [7] lego] lege, ed. pr. [8] omnes gentes—Spiritus Sancti] om. A.B. ed. pr. [9] i.e. Christo non opus fuit instructione Baptistae.

verborum Christi Matthaei ultimo, ecclesia nostra adducit fideles pro infante qui discretionem non attigerat respondentes, et tales compatres communiter faciunt quod filii sui, quos de baptismo elevant, in oratione Dominica et symbolo sint instructi; et alii qui discretionem attigerant, dum instruuntur in fide Christi ante suum baptismum vocantur catecumeni[1].

Necessitas baptismi conferendi.

Hoc autem sacramentum est tam *necessarium* viatori, quod Christus dicit Nicodemo Johannis iii.: 'nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei.' Ex tanta itaque auctoritate fidei scripturae sunt fideles generaliter baptisati, et ordinavit ecclesia quod quaelibet persona fidelis in necessitatis articulo poterit baptisare[2].

De aqua ad baptismum adhibenda.

Ad baptisationem autem dicunt requiri *aquam* simplicem, non urinam vel liquorem alium, cum hoc non sit a Domino exemplatum. Nec refert sive immergantur semel vel ter, sive aqua super capita sua effundatur[3]; sed faciendum est secundum consuetudinem loci, quem quis incolit, tam in uno ritu legitimo quam in alio, quia certum est quod corporalis baptisatio sive lotio modicum valet, nisi assit lotio mentis per Spiritum Sanctum a peccato originali vel actuali; hoc enim est principium in hac fide, quod quicunque rite baptisatus fuerit, baptismus delet quodcunque peccatum invenerit in homine baptisando. Et quia ad deletionem peccati requiritur satisfactio, et non potest fieri satisfactio pro peccato nisi per mortem Christi, ideo dicit apostolus Rom. vi.: 'quicunque baptisati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius[4] baptisati sumus.'

Num necessitas baptismi aliorumque signorum deroget aliquid de Dei potentia, libertate, misericordia.

*Alithia.* Placet de ista grossa materia, sicut sunt alia fidei rudimenta. Sed dic, rogo, clarius, quomodo Christus, qui tantum odivit signa sensibilia, tantam necessitatem salvationis posuit in hujusmodi lotione[5]? Videtur enim derogare divinae libertati[6] atque potentiae, quod Deus non posset intercedente[7] toto merito suo atque passione salvare infantem vel adultum fidelem, nisi a vetula vel alio viante baptisetur communiter infideli[8]. Similiter delato infante fidelium ad ecclesiam, ut

[1] catecumeni] cathecumeni, libri manu scripti. [2] baptisare] baptisari, ed. pr. [3] effundatur] effundantur, D. ed. pr. [4] ipsius] ejus, ed. pr. [5] lotione] locutione, B. [6] libertati] liberalitati, ed. pr., A.B.C.D. secundae manus. [7] intercedente] intercedere, ed. pr. [8] communiter infideli] i.e. qui haud raro infideles sunt.

secundum Christi regulam baptisetur, et deficiente aqua vel requisitis aliis stante pia intentione totius populi, interim mortuo naturaliter nutu Dei, videtur grave damnationem infantis hujusmodi diffinire, specialiter cum nec infans iste nec populus peccavit, ut taliter damnaretur[1]. Ubi est ergo misericors liberalitas Christi Dei, si talis proles fidelium propter illud quod non est in potestate eorum, damnabitur, cum Deus secundum principia theologiae communia sit pronior ad praemiandum homines quam ad damnandum, et specialiter merito et passione Christi tantum sua tentoria dilatante[2]?

*Phronesis.* Videtur mihi, soror, quod mones subtiliter et acute. Ideo oportet te mihi compati, distinctionem verborum in ista materia attendendo, quod quaedam loquor simpliciter assertive et alia solum reputative, sicut credo doctores sanctos ecclesiae quantumcunque magnos post auctores scripturae sacrae locutos fuisse. Loquor autem *illa* simpliciter assertive quae vel sunt nota meo sensui vel patent mihi ex fide scripturae; sed alia, quibus argumenta ista[3] deficiunt, dum[4] habeo ad ipsa[5] suasionem probabilem, *reputo* esse[6] vera; et sic loquar[7] tibi in ista materia quam movisti[8]. Ad *primam* instantiam tuam de signis, videtur mihi quod Christus signa approbat, licet eorum abusum condemnet. Et sic intelligo illud Matth. xii.: 'generatio adultera signa quaerit, et signum non dabitur ei nisi signum Jonae prophetae.' Christus enim in propria persona est signum sensibile, et ut videtur mihi sacramentum sacramentorum, cum sibi summe conveniat descriptio sacramenti. Sicut enim Moyses exaltavit serpentem aeneum in deserto, ut[9] omnes percussi a serpentibus intuentes illum serpentem aeneum sanarentur, ut dicitur Numer. xxi., sic Jesus noster est serpens vivus[10] habens similitudinem peccati, licet non posset etiam de possibili peccare, suspensus est in ligno, ut percussi veneno serpentis antiqui, peccato, spiritualiter fiant sani. Ideo dicit iste serpens Johannis iii. 'sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis in cruce[11].' Et

Christus signa ipsa approbat, signorum abusum damnat.

[1] cf. Joh. ix. 2. [2] Iesa. liv. 2. [3] ista] ita, ed. pr. [4] dum] cum, ed. pr. [5] ipsa] ipsam, B.C. ed. pr. [6] esse] ipsa esse, ed. pr. [7] loquar] loquor, A.B.C. ed. pr. [8] movisti] novisti, B.C.D. ed. pr. [9] ut] et, ed. pr. [10] vivus] aeneus, A.B.C. [11] serpentem—in cruce] om. A. ed. pr.

sicut Jonas fuit in ventre ceti, sic erit filius hominis in ventre terrae[1], hoc est in loco subterraneo absconditus et sepultus; fuit enim sex horis pro die parasceues sic sepultus, et per integrum diem sabbati consequentis[2], et sex horis in prima sabbati; et sic tribus diebus, licet non per illos tres dies, fuit Dominus sic sepultus. Approbat ergo Christus signa tam novae legis quam veteris, sed abusum eorum odit semper. Oportet ergo te notare, quod corpus Christi mysticum pro tempore legis veteris, tanquam puella juvenis, fuit[3] signis talibus sensibilibus multipliciter instruendum; sed crescente ecclesiae aetate pro tempore legis gratiae non est ad signa hujusmodi adeo attendendum. Ideo considero hodie *abusum triplicem in* his *signis*. *Primo* quod serventur[4] signa legis veteris quae ex diffinitione apostolorum cessare nunc debeant, ut patet Act xv. et in epistola ad Galatas, et specialiter illa signa quorum signatum anterius est elapsum. Idem enim foret signa ipsa servare, et futuritionem suorum signatorum infideliter exspectare. *Secundus* abusus in signis pro tempore legis gratiae est cum illis desponsatio impudica. Multi quidem ad tantum vel plus attendunt ad observantiam signorum *talium*, quae non ex lege Dei sed phantasia humana improvide ordinantur, quod mallent praevaricari in decalogo quam in illis. *Tertius* abusus est oneratio[5] ecclesiae, quam Christus ordinavit a signis istis esse liberam, etiam ultra onerationem[6] signorum, qua onustata fuit ecclesia tempore[7] veteris testamenti. Et in istis duobus abusibus religiosi nostri laborant communiter. Et patet, quod licet uti signis, et specialiter institutis a Christo, cum moderamine, tamen ab istis tribus abusibus praecavendo. Cum ergo Christus-met[8] instituit signum baptismi, quare non debemus ipsum signum cum prudentia[9] observare, specialiter cum adhuc simus[10] in via citra claram scientiam, in qua via per signa hujusmodi necessarium est nos duci?

Triplex signorum abusus reprehenditur.

[1] ceti—terrae] om. A. ed. pr. [2] consequentis] consequenter, B.C. ed. pr. [3] fuit] est, D. [4] serventur] servantur, A.B.C. [5] oneratio] honoratio, B. [6] onerationem] generationem, D. ed. pr. [7] tempore] om. ed. pr. [8] Christus-met] ita omnes libri manu scripti; i.e. Christus ipse. [9] cum prudentia] prudenter A.B.C. ed. pr. [10] simus] sumus, A.B.C. ed. pr.

## CAP. XII.

*De baptismo fluminis, sanguinis, flaminis.*

*Alithia.* Placet mihi frater[1], quod tetigi[2] materiam istam de signis, quia videtur mihi quod in parte subtiliter declaras materiam, licet contra religiosos nostros dicas tacite, quod foret expeditius illis signa sua adinventa dimittere. Sic[3] dic, rogo, ad duos alios objectus quos tetigi[4].

*Phronesis.* Placet mihi[5] de onere quod injungis. Oportet tamen te notare recenter de distinctione locutionis duplicis quam praemisi. Et tunc dico ad primum istorum objectuum, quod videtur mihi probabile, quod Christus satis posset sine lotione hujusmodi[6] infantes spiritualiter baptisare et per consequens salvare. Unde dicitur communiter, quod *triplex* est *baptismus* ecclesiae, scilicet baptismus fluminis baptismus sanguinis et baptismus flaminis, et quilibet eorum cum paribus sufficit ad salutem. *Baptismus*[7] *fluminis* est baptismus cum aqua materiali, de quo baptismo crebrius est locutum. *Baptismus* autem *sanguinis* est lotio, qua animae martirum sunt purgatae. Unde illicitum[8] videtur mihi effundere sanguinem hominis non martirisati pro Christo, loco laticis[9] baptismalis. Nec audeo asserere, quod infantes occisi pro Christo, de quibus[10] Matth. ii., qui infra octavum diem circumcisi non fuerant, sint damnati. Et credo quod dominus *Armacanus* reputative locutus est et non diffinitive, taliter asserendo. *Baptismus* autem *flaminis* est baptismus Spiritus Sancti, qui est simpliciter necessarius cuilibet homini, si salvetur[11]. Ideo duo baptismi priores[12] sunt ut[13] signa antecedentia, et ex suppositione necessaria ad istum tertium baptismum flaminis. Ideo absque dubitatione[14],

Triplex baptismus: fluminis, sanguinis, flaminis,

[1] frater] frater ffronesis, B. secundae manus. [2] tetigi] tetigisti, B. ed. pr. [3] Sic] Sed, ed. pr. [4] tetigi] detegi, ed. pr. [5] mihi] om. D. [6] hujusmodi] hujus, ed. pr. [7] baptismus] baptismus ergo, A.B.C. ed. pr. [8] illicitum] et licitum. ed. pr. [9] laticis] lotionis, B. primae manus; latex = liquor, humor. [10] quibus] quo, ed. pr. [11] salvetur] salvatur, A. [12] baptismi priores] primi baptismi, B.C. [13] ut] om. ed. pr. [14] dubitatione] dubietate, ed. pr.

Baptismus flaminis summopere necessarius;

si iste insensibilis baptismus affuerit, baptisatus a crimine est mundatus, et si ille defuerit, quantumcunque affuerint[1] priores, baptismus non prodest animae ad salutem. Ideo cum iste[2] sit insensibilis et tantum nobis incognitus, videtur mihi imprudens praesumptio, taliter salvationem hominis vel damnationem ex baptismate diffinire. Reputamus tamen absque dubitatione, quod infantes rite[3] baptisati flumine sint baptisati tertio baptismate, cum habent gratiam baptismalem, et sic reputo ego de martiribus occisis pro Christo, ut[4] patet de legione Thebaica, licet multi eorum non fuerint[5] flumine baptisati. Et sic ulterius quantum ad fidem scripturae Johannis iii.: 'nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto' etc.[6], probabiliter potest dici, quod Christus loquitur de aqua quae fluxit de suo latere, et de baptismo tertio, quia certum videtur, quod homo martirisatus pro Christo, licet non irroretur noviter aqua baptismatis, est salvandus. Ideo videtur probabile ad illum sensum negativum Christi[7] intelligere, scilicet quod nemo potest introire in regnum coelorum, nisi baptismate aquae effluxae de latere Christi et baptismate flaminis baptisetur, cum Trinitas non potest[8] salvare lapsos ad beatitudinem acceptando, nisi persona secunda et tertia ita[9] purgent. Et ita Christus subtilitate et brevitate mirabili[10] docuit primum baptismum in istis verbis evangelicis observari. Non enim licet fidelibus, supponendo baptismum flaminis, baptismum fluminis omnino relinquere, sed necessse est data opportunitate circumstantiae ipsum accipere. Et cum omnia quae eveniunt[11] de necessitate evenient[12], dici potest, quod talis homo non potest salvari sine[13] illo baptismate; hoc tamen cognoscimus solum[14] reputative, postquam baptisatio est completa. Et ita debet intelligi, quod cum[15] infidelis baptisat puerum, et non reputat quod illa baptisatio proficiat ad salutem, baptismus talis non proderit baptisato. Verum quidem est, quod quilibet criminosus est nimium infidelis et multis paganis infidelior, de

nihilominus baptismus fluminis haud omittendus est.

[1] affuerint] adsint, ed. pr. [2] iste] recte, B. primae manus, ed. pr. [3] rite] recte, ed. pr. [4] ut] et ut, B.C. ed. pr. [5] fuerint] fuerunt, A. ed. pr. [6] ex aqua—Sancto] om. A.B.C. ed. pr. [7] negativum Christi] i.e. negativam Christi sententiam. [8] potest] posset, ed. pr. [9] ita] om. ed. pr. [10] mirabili] miraculi, ed. pr. [11] eveniunt] evenient, A.B.C. [12] evenient] eveniunt, ed. pr. [13] sine] nisi, D. [14] solum] om. ed. pr. [15] quod cum] dum, A.B.C. ed. pr.

quibus tamen[1] supponimus, quod eorum baptisatio sufficiat baptisato. Nec reputamus quod descendente de coelo pluvia, vel homine derisorie vel casu aliquo reliquum baptisante[2], sit propterea in anima baptisatus. Credimus tamen, quod[3] quacunque[4] vetula vel abjecta persona rite lavante hominem cum verbis sacramentalibus, baptismum flaminis Deus complet. Modicum enim valent signa nostra, nisi de quanto illa Deus acceptaverit gratiose.

Num Deus possit infantem sine baptismo morientem salvare.

Et per haec respondeo ad objectum tuum *tertium*[5] concedendo quod Deus, si voluerit, potest damnare infantem talem sine injuria sibi facta, et si voluerit potest ipsum salvare. Nec audeo partem alteram diffinire, nec laboro circa reputationem vel evidentiam in ista materia acquirendam[6], sed ut mutus subticeo confitens humiliter meam ignorantiam verbis conditionalibus usitando, quod non claret mihi adhuc, si talis infans a Deo salvabitur vel[7] damnabitur; sed scio quod quidquid in isto Deus fecerit, erit justum et opus misericordiae a cunctis fidelibus collaudandum. Illi autem qui ex auctoritate sua sive scientia in materia ista quidquam diffiniunt, tanquam praesumptuosi et stolidi non se fundant. Et quantum ad multa dicta magni *Augustini*[8], et specialiter etiam *de*[9] *baptismo* parvulorum et in *de fide* ad Petrum, potest dici, quod reputative loquitur vel conditionaliter, 'si taliter Deo placet.' Credo tamen, quod[10] multa dicta a sanctis patribus[11] probabiliter reputata imo[12] diffinita ex fide scripturae per ignaros satrapas fuerunt et forent posterius condemnata, sed ego[13] non habeo reputationem vel opinionem, quod propterea foret ita.

Et quantum ad illud quod Deus est pronior ad praemiandum quam ad[14] puniendum, et quantum ad aliud, quod passio Christi ad quantumcunque posterius tempore se extenderit, est utrumque istorum satis imbrigabile apud scholasticos, specialiter de

[1] de quibus tamen] de quolibet tamen, A.B.C.; de quibuslibet, ed. pr. [2] reliquum baptisante] relinquente baptismate, ed. pr. [3] quod] om. A. [4] quacunque] quaecunque, ed. pr. [5] tertium] tertio, ed. pr. [6] nec laboro—acquirendam] om. B., A. primae manus. [7] vel] sive, ed. pr. [8] Augustini] Anshelmi, ed. pr. [9] de] in de, B.C. ed. pr. [10] quod] om. A.C. secundae manus. [11] patribus] om. A.B. primae manus, D. ed. pr. [12] imo] imo quod, B., ed. pr. [13] ego] om. ed. pr. [14] ad] om. D. ed. pr.

*primo*, cum Deus sit infinitum pronus ad puniendum; ideo cum in punitione[1] sua sit summa justitia, videtur quod non sit pronior ad aliquem[2] praemiandum. Ideo vel hoc dictum magistrale taceo vel glosso illud secundum terminos[3] magis certos et minus impugnabiles, quia non video magnam prudentiam verba hujusmodi defendendo. Sed quantum ad *secundum*, non dubito quin passio Christi tam ad posterius tempore[4] quam anterius in fructus efficacia se extendit; et ita concedi potest, quod passio Christi est modo non in propria existentia sed in fructu; et sic intelligo illud Apocal. xiv.: 'Opera enim illorum sequuntur illos' et illud, 'quod Jesus occisus est a principio mundi[5].' Nec sequitur inconveniens ex dictis istis, sed libertas loquentis[6] conformiter ad scripturam. Qui autem dicit quod infans in casu posito salvabitur, sicut pium est credere, plus quam sibi proderit superflue se intricat[7]. Sunt autem aliqua in potestate parentum, licet sint lapsa in praeteritum, propter quae justo Dei judicio necessarium est sic evenire. Ideo qui diffinit, quod nec parentes nec populus sic peccaverunt ut ita eveniat, supra caput suae notitiae loquitur sicut pica. Credimus tamen ex fide, quod nihil contingit homini post primam gratiam, nisi aliqua pars humani generis hoc meruerit vel demeruerit[8] sic evenire.

## CAP. XIII.

### *De infantibus sine peccato actuali decedentibus.*

*Alithia.* Placet mihi quod a te excutis talia praesumptuosa dubia et responsa hominum non fundata. Sed adhuc sunt aliqua dubia: quomodo *animae* talium *infantium sine peccato actuali decedentium* punientur, et utrum poenae omnes talium sint aequales, cum punientur[9], ut videtur, solummodo poena damni.

[1] in punitione] punitio, A.B.C. [2] aliquem] aliquid, ed. pr. [3] terminos] om. ed. pr. [4] tempore] tempus, D. [5] cf. Apoc. xiii. 8. [6] loquentis] sequentis, ed. pr. [7] intricat] incertat, ed. pr. [8] meruerit vel demeruerit] meruit, vel demeruit, A.B.C. [9] et utrum—punientur] om. B., A. primae, C. secundae manus.

*Phronesis.* Placet quod sic inculcas dubia satis pulchra; sed videtur mihi, quod *modus singularis* puniendi damnatos in inferno viatoribus ut communiter est ignotus, *generalis* tamen *modus* puniendi[1] damnatos ex principiis fidei satis cognoscitur. Poenam autem damni vocamus damnum, quod justo Dei judicio est inflictum[2]; et illud damnum[3] nec est actus nec qualitas sed privatio ex carentia boni[4], quod est ex Dei gratia in beatis. Et sic distinguitur poena damni et poena sensus tanquam privatio et actus immanens vel qualitas positiva. Et ex istis quandoque intuli conclusiones dignas memoria.

Quomodo distinguatur poena damni et poena sensus.

*Prima,* quod in damnatis poena damni est infinitum gravior poena sensus, quia cum quantumcunque[5] gravi poena sensus stat beatitudo, ut patet de Christo; sed poenae damni repugnat beatitudo formaliter. Ideo cum infinitum magnam poenam sensus potest homo juste sufferre ad evacuandum sibi perpetuam poenam damni, videtur manifestum, quod poena damni sit infinitum gravior poena sensus; cum enim illae[6] poenae sint rationis tam disparis quod non poterunt coaequari ad invicem, non sequitur, si una sit infinitum gravior quam reliqua, quod poena gravior sit infinitum gravis. Nec est putandum quod quantitas gravitatis poenae damni attendi debet simpliciter penes quantitatem commodi quod non habet sic punitus, quia sic infinitum gravis foret quaelibet poena damni. Nemo enim habet poenam damni nisi ille qui non habet imo qui caret commodo infinito. Ideo si penes quantitatem talis non-habitionis sive carentiae attenditur gravitas poenae damni, nulla talis poena foret major quam reliqua, sed foret quaelibet infinita. Ideo dixi, quando fui junior, quod quantitas poenae damni attenditur penes quantitatem commodi, quod damnatus haberet, si ipsemet non poneret obicem in peccando. Sed modo apparet mihi istud inbrigabile propter multa: primo quia positivum et privativum non sic poterunt coaequari, secundo quia, cum[7] omnia quae evenient,

[1] in inferno—puniendi] om. B., A. primae manus; generalem modum —cognoscitur, C.; generalem modum—cognoscimus, ed. pr. [2] quod —inflictum] om. B.; inflictum damnatis, ed. pr.; damnatis justo Dei judicio est inflictum, D. [3] et illud damnum] quod, A.B.C. ed. pr. [4] ex carentia boni] boni et carentia, ed. pr. [5] quantumcunque] quantacunque, A.B.C. ed. pr. [6] illae] nullae, ed. pr. [7] cum] om. ed. pr.

de necessitate evenient, absolute necessarium est, quod damnatus ponat obicem in peccando[1]. Et per consequens damnatus infinitum magnum bonum commodi[2] haberet, si non poneret obicem in peccando. Ex impossibili enim sequitur quidlibet, ut suppono. Ideo dicunt alii, quod quantitas poenae damni attenditur penes quantitatem boni commodi, quod habet plene salvatus, qui est cum damnato[3] consimilis speciei.

Fieri non potest, ut aliquis damnatus afficiatur poena damni, quin poena sensus afficiatur.

Sed relinquendo[4] materiam istam juvenibus, et forte pro loco tractatus[5] beatitudinis retractandam[6], pono *conclusionem secundam* in proposita materia, ubi dixi quod[7] impossibile est aliquem damnatum puniri poena damni, nisi etiam punitus fuerit poena sensus. Ideo tales *infantes damnati* etiam decedentes[8] in uteris maternis, videntur mihi habere aliquam poenam sensus; cum enim sensus illorum spirituum sunt vivaciores quam sensus nostri, et cum hoc imperfecte cognoscunt beatitudinem salvatorum[9], videtur quod habent dolorem aliquem quod sunt ab illa beatitudine destituti, et dolor talis foret necessario poena sensus. Non enim videtur quod Deus ad mitigandum poenam talium suspendit in illis omnem notitiam beatitudinis beatorum, quia[10] sic videndo confratres suos damnatos et poena sensus punitos forent beati, quia haberent quidquid vellent, et nihil mali vellent; quamvis enim damnati velint ex invidia, quod damnati alii sint puniti, quod est magnum malum poenae, et per consequens cum sit justum, Deus et omnes beati volunt etiam illud malum. Verumtamen qui non vult sibi[11] implicite nec explicite malum culpae, necessario est beatus, cum Christus fuit beatus in via, et omnes nos continue[12] dum peccamus, volumus nobis implicite malum culpae. Ideo licet tam damnati quam beati velint malum poenae et malum culpae pro suo tempore inesse sibi vel aliis, beatus[13] tamen[14] necessario pro tempore, quo est beatus, non vult sibi inesse aliqualiter malum culpae. Et sic intelligit *Augustinus*,

[1] Sed modo—ponat obicem in peccando] om. D. per incuriam. [2] bonum commodi] boni commodum, ed. pr. [3] damnato] damnificato, D. ed. pr. [4] relinquendo] relinquo, A.B.C. ed. pr. [5] tractatus] tractus, ed. pr. [6] retractandam] retractanda, ed. pr. [7] ubi dixi, quod] quod, A.B.C. [8] decedentes] decidentes, B.C.; damnati, ed. pr. [9] salvatorum] salvatoris, A.B.C. ed. pr. [10] quia] qui, A.B.C. [11] non vult sibi] non vult nec, B. secundae, C. primae manus; non vult, A. [12] continue] om. A.B.C. ed. pr. [13] beatus] beatis, A.B.C. [14] tamen] tamen cum, ed. pr.

nec oportet morari circa glossas doctorum, qui videntur asserere in materia ista oppositum, quia vel loquuntur reputative aut opinative, vel sunt illi quibus non oportet credere, nisi de quanto se fundaverint in scriptura, quia certum videtur quod *ratione* fundare[1] non poterint, quod omnes tales damnati omnimode careant poena sensus.

Et ex istis videtur inferri *conclusio tertia*, scilicet quod necesse est peccata originalia hominum esse inaequalia, sicut decedentes in originalibus sunt propter illa inaequaliter condemnandi. Nam juxta dicta omnes condemnati pro originalibus sunt condemnandi tam poena damni quam[2] poena sensus; sed impossibile est quod damnentur omnino aequaliter illis poenis, ergo relinquitur, quod peccata quibus illas poenas demeruerant[3], inaequalia sunt dicenda. Nam sicut unus damnatus pro originali habet ingenium vivacius et foret beatificandus perfectius, sic habet ex Dei justitia majus damnum. Sed in domo Dei oportet esse homines in gradu dispares quo ad istud, cum sicut oportet homines in figura faciei aut aliis esse in parte dissimiles, sic oportet esse in potentiis animae, quam oportet habere aptitudinem in parte disparem ad suum subjectum dispariter informandum. Et haec[4] ratio, quare *Augustinus* in suo Encheridion saepe inculcat istam sententiam, et quare damnati pro peccatis originalibus dolent[5] tam dispariter pro peccatis; unus enim habet discretionem animae plus vivacem, et foret in beatitudine tam corporis quam animae plus beatus; quare ergo non foret propter poenam plus gravem tam in corpore quam in anima gravius condemnatus? Nec oportet immorari circa opinionem *Anshelmi* in ista materia, quod[6] non habere vel carere originali justitia non est exprimendum, quomodo quis magis aut minus suscipiat, cum plus habituatus in naturalibus habet carentiam ampliorem; sicut[7] primus angelus Lucifer ex naturali potentia, quam Deus illi dederat, plus punitur. Ideo videtur securius penes *naturalem potentiam* talis damnati mensurare gravedinem poenae suae, quam penes beatitudinem vel *commodum* quod

Peccata hominum originalia inaequalia esse.

[1] fundare] fundari, B. ed. pr. [2] quam] quam etiam, A.B.C. ed. pr. [3] demeruerant] demeruerunt, A.B.C. ed. pr. [4] haec] haec est, B., ed. pr. [5] dolent] debent, ed. pr. [6] quod] quod in, ed. pr. [7] sicut] sed sicut, ed. pr.

haberet, si ad beatitudinem fuerit ordinatus, quia illud quod nec est nec poterit[1] esse, non potest aliud mensurare. Imo, ut dixi superius, quilibet damnatus foret tunc beatificatus[2] supra Christum, et minus quam beatus aliquis, cum esse non poterit sic beatus. Difficultates autem alias de poena sensus taliter damnatorum, et quomodo melius est ipsos esse sic damnatos quam omnino non esse, cum difficultatibus aliis, relinquo posteris perscrutandas[3].

## CAP. XIV.

### *De sacramento confirmationis.*

Sacramentum confirmationis num ex scriptura s. probari possit.

*Alithia.* Dic[4], rogo, de sacramento tertio, quod *Confirmatio* communiter nominatur, et primo de ejus fundatione ex fide scripturae. Non enim videtur mihi fundatio sufficiens ex illo Act. viii.: 'cum audissent apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Johannem; qui cum venissent, oraverunt pro eis, ut acciperent[5] Spiritum Sanctum' etc. Ex isto textu communiter concluditur, quod supra baptismum, quo baptisantur homines, oportet confirmationem apostolicam superaddi, cum sic fecerunt apostoli. Sed nimis levis videtur esse haec confirmatio, quia dici posset probabiliter, quod licet baptisatio in nomine *Jesu Christi* fuit ad tempus valida, quousque nomen istud fuerat[6] sufficienter publicatum, tamen publicatione hac facta fuit ad formam verborum evangelii redeundum, et sic nomine tenus baptisati in Samaria fuerunt legitime baptisandi, sicut baptisati baptismo Johannis vel alio baptismo illegitimo[7] sunt sine periculo iterum bapti-

[1] poterit] potest, A.B.C. ed. pr. [2] beatificatus] baptisatus, ed. pr. [3] perscrutandas] pertractandas, A.B.C. ed. pr. [4] Dic] sed dic, B. primae manus, ed. pr. [5] quod recepit Samaria—acciperent] om. A., B. primae manus, ed. pr. Codex D. addit verba: 'nondum enim in quenquam eorum venerat, sed baptisati tantum erant in nomine Domini Jesu; tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.' [6] nomen istud fuerat] non erat istud, B.; non fuerat istud, A. primae manus; nomen istud fuerit, D.; non fuerit istud, ed. pr. [7] illegitimo] legitime, B. secundae manus.

sandi. Et confirmatur ex hoc, quod baptisatos nostros dicimus regulariter Spiritum Sanctum accipere eo ipso quo legitime baptisantur; multo magis hoc ergo fuit verum in primitiva ecclesia. Sed in textu dicitur, quod Petrus et Johannes imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum, ac si non ante illum[1] accepissent, quo modo ergo per ante fuerant legitime baptisati? Nec obest, sed convenit baptisantem super baptisatum manus imponere. Similiter, ut patet ex[2] textu Actuum viii., Petrus et Johannes imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum. Si igitur praecise ex textu isto convincitur, confirmationem esse appropriandam *episcopis*, oportet quod[3] ipsi imponant super confirmatis suis[4] manus, ut Spiritum Sanctum accipiant. Sed ista Spiritus Sancti acceptio nec docetur in signo sensibili nec etiam ratione; quomodo ergo ex isto textu concluditur, quod episcopi dant hoc sacramentum pueris quos confirmant? Et quantum ad oleum quo ungunt pueros, et peplum lineum quod complexum est capiti, videtur quod sit ritus levis infundabilis ex[5] scriptura. Similiter videtur quod ista confirmatio introducta supra apostolos blasphemat in Deum, quia asserit constanter, quod *episcopi* dant noviter Spiritum Sanctum vel ejus dationem roborant et confirmant; hoc autem est plus quam dare Spiritum Sanctum. Apostoli vero[6] non audent sic dicere, sed quod oraverunt pro ipsis, ut a *Deo* acciperent Spiritum Sanctum. Numquid ergo Caesarea dotatio facit nostros episcopos esse dignos ut ipsi sic donent singulariter Spiritum Sanctum ex[7] hoc quod ipsi sic Christi mandatis et consiliis adversantur[8]? Videtur enim quod si[9] textus iste adeo ponderatur, quod oportet ad confirmationem papam loco Petri accedere plus speculativum praelatum[10] loco Johannis. Nec debent[11] dedignari de isto officio plus quam Petrus dedignabatur, quod a ceteris apostolis fuerat *missus; communitas* enim bona et sancta est *una simplici* ejus *parte* Deo acceptior.

*Phronesis.* Videtur mihi, soror, quod satis acute replicas;

[1] illum] illum spiritum, A.B.C. ed. pr. [2] ex] in, ed. pr. [3] quod] ut, ed. pr. [4] confirmatis suis] confirmatos suas, A.B C. ed. pr. [5] ex] in, ed. pr. [6] vero] autem, ed. pr. [7] ex] et, ed. pr. [8] adversantur] adversentur, A.B.C. ed. pr. [9] si] sic, ed. pr.; si, D. [10] praelatum] praelatum presbyterum, C. [11] debent] deberet, A.B.C.

nec adhuc video contradictionem claram ex ratione vivaci vel scriptura, quomodo contradicerem verbis tuis. Sed supposito, quod episcopi orent[1] pro baptisatis, ut in acceptione Sancti Spiritus confirmentur, et apponant signa sensibilia modo quo faciunt, non video quin conficiant hoc tertium sacramentum, supposito quod ille finis eveniat, sicut in sanctis apostolis[2] sequebatur, quod si a fine apostolorum deficiant, non video ex hoc textu, quomodo confirmant[3]. Quando autem ab isto deficiunt et quando finem istum attingunt[4], videtur vanum nobis discutere.

Sacramentum confirmationis neque de necessitate salutis est neque ad confirmationem re vera valet neque episcopis reservatum est.

Oportet tamen nos sic laxe loqui de *sacramento*, cum Petrus et Johannes ascenderunt[5] in templum ut orarent, fecerunt sacramentum laudabile, quia certum est, quod eorum ambulatio et Petri locutio fuit sacrae rei signum, quia signum sacri miraculi in sanatione claudi a Spiritu Sancto institutum, ut patet Act. iii., et sic sancti episcopi faciunt vulgo incognita[6] plurima sacramenta. Non tamen video, quod generaliter sit hoc sacramentum de necessitate salutis fidelium, nec quod praetendentes se confirmare pueros regulariter hos confirmant, nec quod hoc sacramentum sit specialiter episcopis Caesariis reservatum. Et ulterius videtur mihi quod foret plus religiosum et conformius modo loquendi scripturae, negare quod nostri episcopi dant Spiritum Sanctum vel confirmant ulterius Sancti Spiritus dationem, quia glossata quantumcunque locutione tali a doctoribus nostris concessa, adhuc stat mali intellectus periculum, et modi loquendi deficit fundamentum. Unde quibusdam videtur, quod ista levis et brevis episcoporum confirmatio cum adjectis ritibus tantum solemnisatis[7] est ideo motione diaboli introducta, ut populus in fide ecclesiae illudatur et episcoporum solemnitas aut necessitas plus credatur. Dicitur enim communiter, cum[8] episcopi nostri dant hoc sacramentum confirmationis, sicut et alia ipsis specialiter reservata, nec sine acceptione istorum sacramentorum tam solemnium stat salus fidelium, quomodo posset ecclesia

[1] quod episcopi orent] quod ipsi orent, C.; quod orent, A.B. [2] sanctis apostolis] sanctis approbatis, A.; factis apostolicis, ed. pr. [3] confirmant] confirment, A. [4] attingunt] non attingunt, ed. pr.; contingunt, B. [5] ascenderunt] ascendentes, ed. pr. [6] incognita] incognito, B.C. [7] solemnisatis] solemnibus, A.B.C. [8] cum] om. B. secundae manus.

sine talibus episcopis servare ex integro statum suum? Sed unum videtur in majori parte contingere, quod implicatur blaspheme[1], quoscunque episcopos taliter confirmantes ex pactione Dei Spiritum Sanctum dare. Relinquo autem aliis discussionem[2] subtiliorem istius materiae.

## CAP. XV.

*De sacramento ordinis.*

*Alithia.* Non video efficaciam in tractatu ulteriori istius materiae nec magnum fructum, licet consuetudo Romanae curiae vel antiqua consuetudo ecclesiae sic se habet, quia hoc non est potius evidentia ad rectificandum hoc sacramentum, quam si[3] abusus antiquatus praelatorum hujusmodi ad rectificandum suum peccatum[4] ex antiqua consuetudine allegetur[5]. Sed rogo dic parum[6] *de sacramento ordinis*, et primo quomodo describi debeat, quid[7] sit ordo.

Ordinis notio triplex.

*Phronesis.* Considero quod hoc sacramentum ordinis[8] sit satis analogum, et signum ejus est valde aequivocum. Cum enim ordo sit creaturae ex ordinatione divina status sive positio, patet, quod sicut in angelis sunt multi ordines, sic in qualibet creata multitudine sublunari. Illi autem qui disrumpunt Christi ordinem, dicuntur esse sine ordine puniendi. Sed in *secundo* gradu dicitur ordo quasi antonomatice de statu sive positione[9] religionis novellae, ac si antichristus antecelleret[10] ordinationem et regulam Jesu Christi[11]. Sed *tertio* strictius et magis ad propositum ordo vocatur potestas data clerico a Deo ministerio episcopi ad debite ecclesiae ministrandum; et ille ordo datur

[1] blaspheme] blasphemia, ed. pr. [2] discussionem] distinctionem, A.B.C. [3] quam si] quamvis, C.; quam, A.B. [4] suum peccatum] sua peccata, A.B.C. [5] allegetur] allegata, A.B.C. [6] parum] pure, A.B.C. ed. pr. [7] primo quomodo describi debeat, quid] quomodo distribui debeat et primo quid, A.B.C.; quomodo describi debeat. Et primo quid, ed. pr. [8] ordinis] om. A.B.C. [9] positione] possessione, B. primae, C. secundae manus, ed. pr. [10] antecelleret] antecederet, C.B. primae manus, ed. pr. [11] Jesu Christi] Jesu nostri, A.

De ordine clericorum et de charactere indelebili.

communiter in justo[1] tempore cum solemni[2] jejunio cum missis et aliis ritibus, qui istud spirituale[3] ministerium ecclesiae solemniset. Unde dicitur communiter quod non datur ordo clerico, nisi quando episcopus dat[4] sibi Spiritum Sanctum, et imprimit in mentem suam *characterem*, et ille est tantum indelebilis quod licet clericus degradetur[5] vel quodcunque sibi eveniat, character inseparabiliter reservatur[6]; et idem est judicium de charactere impresso in baptismate. Sed de quidditate characteris[7] est dissensio apud multos, cum quidam dicunt quod est qualitas et de facto gratia, licet steterit cum mortali[8]. Sed concedat nobis Deus aliam gratiam, cum ista in multis hominibus damnandis et salvandis[9] viantibus nihil valet! Aliis autem videtur quod character sit signum insensibile, quo fidelis ab alio convivente discernitur et ad spirituale[10] officium in ecclesia limitatur; et satis est ad esse talis characteris constantia subjecti et praeteritio officii praeaccepti, quae cum sint perpetua et indelebilia, character manet indelebiliter impressus in anima. *Baptismi* enim charactere fidelis ab infideli distinguitur, ac si ad Christi militiam sit signatus; et charactere *ordinis* clericus separatur a laico, ac si ex ordinatione Christi ad officium singulare supra laicum in ecclesia sit signatus. Et sic multiplicant quidam in ordinibus et sacramentis multis[11] characteres. Sed istorum fundationem vel fructum nec in scriptura sacra nec in ratione[12] considero. Sed unum audacter assero, quod in primitiva ecclesia ut tempore Pauli suffecerunt duo ordines clericorum scilicet sacerdos atque diaconus[13]. Secundo[14] dico quod in tempore apostoli[15] fuit idem presbyter atque episcopus; patet 1 Timoth. iii. et ad Titum i. Et idem testatur ille profundus theologus *Hieronymus*, ut patet xcv. dist. cap. 'Olim[16],' tunc enim non fuit adinventa distinctio papae et cardinalium, patriarcharum et archiepisco-

In ecclesia apostolica duo tantum ordines clericorum fuerunt, presbyteri atque diaconi.

[1] justo] sancto, A.B.C. ed. pr. [2] solemni] om. B. secundae manus, C. [3] spirituale] speciale, A.B.C.; episcopale, ed. pr. [4] dat] det, ed. pr. [5] degradetur] degradaretur, A.C.B. primae manus, ed. pr. [6] reservatur] manet, A.B.C. ed. pr. [7] characteris] characteris illius, ed. pr. [8] mortali] scil. peccato; motali, ed. pr. [9] et salvandis] om. A.B.C. [10] spirituale] spetiale, ed. pr. [11] multis] om. A.B. [12] nec in ratione] nec in oratione, B.C.—Ed. pr. om. 'nec in ratione.' [1] diaconus] dyaconus, libri MSS. [14] secundo] similiter, ed. pr. [15] apostoli] Pauli, A.B.C. ed. pr. [16] 'Olim'] Epistola, 85 dist. C.D.; Hieronymi verba ad Tit. i. 7 prolata in Decreti parte I. dist. xcv. c. 5. repetuntur.

porum, episcoporum et archidiaconorum, officialium et decanorum cum ceteris officiariis[1] et religionibus privatis, quorum non est numerus neque ordo. De contentionibus autem circa ista, quod unumquodque istorum est ordo, et in ejus acceptione gratia Dei ac character imprimitur, cum aliis difficultatibus quas nostri balbutiunt, videtur mihi esse tacendum, cum sic loquentes nec fundant quod asserunt nec probant. Sed ex fide scripturae videtur mihi sufficere, esse presbyteros atque diaconos servantes statum atque officium quod Christus eis imposuit, quia certum videtur quod superbia Caesarea hos gradus et ordines adinvenit; si enim fuissent necessarii ecclesiae, Christus et sui apostoli non in expressione eorum ac detectione[2] sui officii reticerent, sicut blasphemant illi qui papalia jura magnificant supra Christum. Officium autem istorum clericorum capere debet catholicus ex fide scripturae in epistolis ad Timotheum et Titum, nec adinventiones novas Caesareas sub poena peccati gravis debet admittere. Unde non dubito quin in consensu admissionis hujusmodi sunt plurimi[3] maculati.

Perturbatio ecclesiae inde orta est, quod clerici pauperiem Christi abhorrentes mundo implicati sunt.

Nam loquendo *secundo modo* de ordine, certum est quod est dare ordinem militarem et regalem et imperialem, qui sunt magis fundabiles quam praedicti ordines nunc adjecti. Radix autem blasphemae[4] perturbationis ecclesiae in hac parte ex isto suboritur, quod clerici abhorrentes Christi pauperiem sic implicant se cum mundo. Ex hoc enim perit[5] eorum ordo, cum ubi generarent[6] filios imitationis Christi et apostolorum, adulterative[7] generant filios antichristi, et per hoc fortificatur regnum suum et regnum magistri sui diaboli supra proximos[8]. Feci autem alias evidentias ad declarandum regis et ordinis militaris officium. Nam ut dicit *Augustinus*, sicut papa est vicarius Christi, sic rex est vicarius Dei: quod[9] sic intelligo; sicut papa debet sequi humanitatem Christi in moribus, vitam pauperem more Christi et apostolorum vivendo, opprobria et contemptus supra ceteros patiendo, sic rex debet esse vicarius Deitatis,

[1] officiariis] officiatibus, B. secundae manus. [2] detectione] detentione, B. ed. pr. [3] plurimi] plurimum, B. [4] blasphemae] blasphemiae, D. ed. pr. [5] perit] patet, ed. pr. [6] generarent] i e. generare debeant. [7] adulterative] adulterine, D. ed. pr. [8] proximos] Christum, A.B.C. ed. pr. [9] quod] et, A.B.C.

Clericos vitam pauperem debere agere, testimoniis veteris Testamenti comprobatur.

rebelles et dirumpentes Dei ordinem severe cum coactiva potentia coercendo, cum secundum apostolum Rom. xiii. 4, non sine causa portant gladium, hoc est habent[1] a Deo potentiam coactivam. Feci autem alias rationes multiplices, quod *clerici debent vivere vitam pauperem* more Christi, primo ex lege veteri, nam Numer. xviii. sic habetur: 'Dixit Dominus ad Aaron, in terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos; ego pars et haereditas tua in medio filiorum Israel. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo foederis.' Si igitur praelati nostri et viventes de decimis fundant se in secunda parte hujus dicti Dominici ad avide accipiendum decimas quae lucrum sapiunt, cur non primam partem auctoritatis Domini pro amore Christi pauperis adeo amplectuntur? Similiter[2] Deuteron. xviii. sic habetur: 'Non habebunt sacerdotes et levitae et omnes qui sunt de eadem tribu, partem et haereditatem cum reliquo populo Israel, quia sacrificia Domini et oblationes ejus comedent, nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum; Dominus enim ipse est haereditas eorum, sicut locutus est illis.' Si ergo tam acute negativae legis veteris de possessione clericorum ex verbis Domini sunt mandatae, et cum hoc Christus et sui apostoli tempore legis gratiae hoc idem mandatum strictius observarunt, quis foret major haereticus aut antichristus quam ille clericus, qui supra patres legis veteris contradiceret istis verbis? Similiter[3] Ezech. xliv. sic habetur 'non erit sacerdotibus haereditas, quia ego haereditas eorum; et possessionem non dabitis eis in Israel, ego enim possessio eorum; victimam pro peccato et pro delicto ipsi[4] comedent, et omne votum in[5] Israel ipsorum erit, et primitiva omnium primogenitorum et omnia libamina[6] ex omnibus quae offeruntur, sacerdotum erunt, et primitiva ciborum vestrorum dabitis sacerdoti, ut reponat benedictionem domui tuae[7].' Si ergo pro tempore legis veteris, quando populus magis fuit affectus temporalibus tanquam[8] juvenis et non sapiens coelestia, clerici sic fuerant in temporalibus ex praecepto Domini coartati,

[1] habent] habet, A.B.C. [2] similiter] sicut, D. [3] similiter] sicut, D. [4] ipsi] om. ed. pr. [5] in] om. ed. pr. [6] libamina] libamenta, ed. pr. [7] tuae] libri MSS. atque, ed. pr. habent *suae* pro *tuae*. [8] tanquam] quam, B. primae manus, ed. pr.

quanto magis succedente Christo Deo et homine in vita pauperrimo, et mandante tam verbo quam vita[1] apostolica haec servari? Patet ergo quod si aliqui ex praevaricatione in lege[2] Domini sunt haeretici, apostatae vel blasphemi, sunt illi clerici, etiam episcopi qui tam notabiliter offendunt in praevaricatione[3] harum legum. Duae aliae leges declaratae sunt ex Gen. ii. et Ezech. xvi. Si ergo episcopus in mitra sit cornutus, ad denotandum quod noscit et observat utrumque testamentum, quis magis blasphemando mentitur in Christum, quam ille qui dotatur et ditatur in possessione temporalium etiam supra reges?

## CAP. XVI.

*Contra divitias clericorum.*

*Alithia.* Frater mi, acute[4] cibasti nostros episcopos cum quinque panibus hordeaceis, pentateuco Mosaico, ut dicitur figuraliter Johannis vi. Sed quia nostri praelati false fingunt, quod haec dicta de lege veteri fuerunt ceremonialia et cessare pro lege gratiae debuerunt, ideo rogo te, si quidquam habes de lege gratiae, confirma hanc sententiam quam dixisti.

*Phronesis.* Videtur mihi quod non oportet confirmare episcopos in fide instructos ulterius pro ista sententia, cum per locum a majori sequitur, si episcopi in lege veteri sic fecerunt, quod episcopi pro lege gratiae hoc servabunt, specialiter cum Christus et ejus apostoli tam facto, quod plus docet, quam verbo quod satis obligat, hoc servarunt; sed quia Christus in secundo suo convivio pavit quattuor milia hominum cum septem panibus et paucis pisciculis, ut patet Marc. viii.[5]; ideo ex habundanti adducam tibi septuplex testimonium de lege gratiae ad hoc idem. Nam Luc. xiv. post parabolam Domini sic subjungit, 'sic ergo[6] omnis ex vobis, qui non renunciaverit omnibus quae

Eadem sententia confirmatur testimoniis evangelicis,

[1] vita] opere vita, B., A.C. primae manus, ed. pr. [2] lege] legem, ed. pr. [3] praevaricatione] praevaricantia, D. ed. pr. [4] Frater mi, acute] Frater, acute, ed. pr. [5] Marci viii.] Matth. xv., Marc viii., ed. pr. [6] sic ergo] sic, A. ed. pr.

possidet, non potest esse meus discipulus[1].' Quomodo autem Christus intelligit renunciationem in hoc verbo evangelico, ipse et ejus apostoli per conversationem pauperem satis docent; nam opera Christi et suorum discipulorum sunt interpres optimus legis suae. Similiter 'non est servus major Domino suo' nec discipulus super magistrum[2]: sed sufficit discipulo ut sit sicut magister suus[3], ut dicit Christus Matth. x. Et cum[4] Christus sit magister optimus et Dominus dominorum, et omnes praelati debent esse servi hujus Domini atque discipuli, patet quod non debent supra Christum extolli in dominio seculari; sed Christus dicit Matth. viii. quod Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet[5], etc., hoc est non habet humanitus seculariter et proprietarie dominando. Qua ergo fronte episcopi nostri Caesarii audent in dominio civili se sic extollere supra Christum? sicut Lucae xxii. magister optimus istam sententiam sic decidit, quando 'facta est dissensio inter discipulos Jesu, quis eorum videretur esse major,' et ut apparet, dicit fides evangelii 'videretur' ad denotandum, quod loquitur de majoritate sensibili quo ad mundum. 'Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non sic! sed qui major est in vobis, fiat minor, et qui praecessor est, fiat sicut ministrator[6].' Ex quibus verbis evangelicis[7] patet luce clarius, quod Christus distinguit de majoritate mundana et majoritate simpliciter quo ad Deum, cum primam majoritatem notat per dominationem[8] regum gentilium: et cum propter antiquam consuetudinem et bona de genere vel moralia quae immiscent, vocantur benefici[9], et specialiter ex hoc quod bona temporalia dant subjectis, et subtrahunt de maleficiis quae exercere poterint, licet saepius sint tyranni. Sed secundam majoritatem *apostolicam* exprimit, cum simpliciter negat illam viris evangelicis debere competere, cum subjungit, 'vos autem non sic!' Unde illam negativam notat *Bernhardus* multum ad papam *Eugenium*. Sed consequenter Christus declarat, penes

[1] non renunciaverit—discipulus] om. A. ed. pr. [2] nec—magistrum] om. A.B. ed. pr. [3] sicut magister suus] om. A.B. ed. pr. [4] Et çum] cum, B.C. ed. pr. [5] ubi—reclinet] om. A. ed. pr. [6] et qui —ministrator] om. A.B. ed. pr. [7] evangelicis] om. A.B.C. [8] dominationem] denominationem, ed. pr. [9] benefici] beneficiati, B. primae manus, ed. pr.

quid attendi debet virorum apostolicorum majoritas, quae est simpliciter majoritas quo ad Deum, et docet quod quicunque eorum est in mente humilior et ex majori caritate ministrator diligentior, hic[1] est major, ut patet de humilitate ex dictis superius. Et secunda pars patet notando spiritualia opera misericordiae, et qua ratione Petrus fuit praefectus ceteris[2]. Ideo cuicunque fideli, cujus sensus non replent sensibilia, patet ista sententia. Sed postquam clerus fuit mundo deditus et contempsit legem Domini, ac viluit[3] Christi diffinitio in hac parte, dixerunt discipuli antichristi tacite, quod Christus est contrarius operibus nostris, humanitatem quam mundus requirit, non docuit, sed miserabiliter vixit et inhonorabiliter ut mendicus, quis ergo sequeretur ejus vestigia nisi stultus? Et ex isto triplici[4] testimonio evangelico patet praedicta sententia confirmata de veteri testamento. Sunt autem alia testimonia ex scriptis[5] apostolorum quae testificantur eandem sententiam. Nam apostolus qui raptus fuit usque ad tertium coelum, dat[6] praelatis pro regula; 'habentes,' inquit, 'alimenta et quibus tegamur, his contenti simus[7]' 1 ad Tim. vi.; et notant fideles quomodo apostolus dicit simpliciter 'alimenta,' non lautitias plus corpus hominis nutrientes; et dicit 'quibus tegamur,' non pannos de scarleto meminens, nec cameras sumptuosas; per hoc quod docet nos de talibus contentari, prohibet superfluitates talium ad onus ecclesiae et dimissionem nostri spiritualis[8] officii. Similiter Petrus princeps apostolorum praecipit 1 Petri v., quod non simus dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo voluntarie facti humiles ad gregis ministerium et non discentes quomodo poterimus[9] subditis dominari. Numquid, rogo, praelati quaerendo sibi castella et praedia non[10] dominantur in clero[11], et machinantes quomodo vestiri poterint[12] solemnius, et dimissa consideratione onustationis ecclesiae splendidius praeornari? Vita autem Christi et

atque apostolicis.

[1] hic] om. ed. pr. [2] ceteris] om. A.B. [3] viluit] i.e. vilis habita est. [4] triplici] tertio, A.C. [5] scriptis] scripturis, B. ed. pr. [6] dat] dicit, A.C.; dixit, B. primae manus, ed. pr. [7] et quibus—simus] om. A.B. ed. pr. [8] spiritualis] om. ed. pr. [9] poterimus] posterius, C. [10] non] om. D. ed. pr. [11] in clero] verba 'forma facti—dominantur in clero' desunt in Cod. B., A. primae manus, occasione data per similitudinem vocabulorum 'dominantes in clero' et 'dominantur in clero.' [12] poterint] potuerint, ed. pr.

apostolorum docet quomodo intellexerant ista verba. Similiter apostolus 2 Cor. viii. supponens ut fidem, quomodo omnes debemus sequi Christum in moribus, sic subjungit; 'scitis,' inquit, 'gratiam Domini nostri Jesu Christi, qui[1] propter vos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis[2].' Cum ergo non valet negare, quin oportet omnes fideles sequi Christum in moribus, patet quod in gradu summo[3] oportet clericos specialiter in paupertate humili sequi ipsum. Unde religiosi nostri, utinam non false, confitentur concorditer tanquam substantiam religionis suae obedientiam servandam[4] Christo, paupertatem et castitatem quam servabant virgines huic sponso. Similiter Act. vi. ex decreto apostolorum post missionem Spiritus Sancti dictum est publice: 'non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis[5].' Et hinc ordinaverunt septem diaconos ad hoc opus. Sed quis dubitat quin ille praelatus magis secularibus negotiis se implicat, qui relicto Christi officio in vita, quam mundus exigit, se intricat? Apostolus tamen dicit 2 Timoth. ii., quod 'nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus[6].' Ideo cum 'nemo sumit sibi honorem sed qui vocatur a Deo[7],' patet quod praelatus habet illum honorem a diabolo cui se probavit; et sic juxta primum verbum Lucae xiv. talis non potest esse Christi discipulus, sed discipulus antichristi. Et sic[8] cum praesumit esse major Domino Jesu Christo, patet quod non est ejus discipulus sive servus, sed potius discipulus antichristi[9]. Et ex istis septem panibus, licet non hordeaceis sed satis asperis, potest satis satiari populus praelatorum, et supradicta sententia confirmari. Alia autem 'fragmenta[10]' doctorum et rationes quas in ista materia quidam multiplicant, non oportet nos ad hoc colligere, cum haec integra de lege nova et veteri sufficiunt fidelibus ad istam sententiam confirmandam.

[1] qui] quoniam, ed. pr. [2] vos—essetis] nos—essemus, A.B.C. [3] summo] suo, ed. pr. [4] servandam] observandum, A.B.C. [5] nos—mensis] om. A.B. ed. pr. [6] Deo—secularibus] om. A.B. ed. pr. [7] cf. Hebr. v. 4. [8] sic] om. A.B.C. [9] antichristi] verba 'et sic cum—antichristi' omisit Cod. B. [10] cf. Matth. xiv. 20.

## CAP. XVII.

*De possessione temporalium clero concessa.*

Argumenta contra sententiam illam cum ex ratione tum ex canonisatione Silvestri aliorumque prolata

*Pseustis.* Licet haec verba saepe contra caput tuum protuleris, videtur tamen quod tam ratio quam sanctorum canonisatio tuae sententiae contradicunt. Quis enim dubitat quin lex Christi nedum tolerat sed exigit, ut ejus servo praecipuo debite in temporalibus ministretur? Deus enim qui non deficit in majoribus ut bonis gratiae et naturae, non deficit servis suis in minimis[1], cujusmodi sunt bona fortunae. Similiter licet evidentiae tuae tollant, quod praelatus in clericis non debet ista requirere, sed de paucis temporalibus contentari, tamen non praesumes asserere, quin licet dominis temporalibus clericis suis titulo eleemosinae ista dare, quia sic extingueres quamlibet eleemosinam corporalem. Similiter clerici possunt aliquantulum habere haec temporalia et satis parce vivere, nec citra omnia erit status; ergo possunt habere haec temporalia servando parsimoniam, sicut fecerunt apostoli. Et sic creditur *Silvestrum* fecisse et multos alios, quos canonisavit ecclesia. Cum enim haec temporalia sint creaturae divinae[2] et per consequens valde bona, quid nocet habere ipsa cum bonis maximis, cum multum per accidens prosunt[3] illis?

diluuntur.

*Phronesis.* Claret mihi ex decupla fide scripturae allegata superius, quam credimus os Domini locutum fuisse, clericos nostros et specialiter tempore legis gratiae debere sic vivere, et cum Christus Deus et homo istud praecipiat, patet quod non diligit Dominum Jesum Christum, qui notabiliter haec contemnit, et per consequens excommunicationem horribilissimam incurrit, cum apostolus dicat 1 Corinth. ultimo, 'si quis non amat Dominum Jesum Christum, sit anathema.' Et cum idem sit amare Christum et legem suam implere, patet quod isti praelati specialiter sic inobedientes legi Domini incurrunt grave[4] anathema. Ista autem excommunicatio a Spiritu Sancto inflicta

[1] minimis] nummis, ed. pr. [2] creaturae divinae] creatura Dei, A.B.C. ed. pr. [3] prosunt] prosint, A. [4] grave] gravius, ed. pr.

non capit aufugium per cautelas hominum, sed eo ipso infligitur quo reatus incurritur, et istud est gravius quam damnatio vel haereticatio, quam praelati Caesarii sciunt infligere.

Et ad *primam* instantiam tuam[1] respondeo concedendo, quod saepe contra caput meum et prosperitatem meam mundanam protuli istam sententiam; sed cum Christus et ejus apostoli sic fecerunt et ex hinc credimus quod jam sunt in patria gloriosi, quis fidelis dubitare debeat promulgare et defendere verba Christi? specialiter cum dicat ipse: 'qui me erubuerit et sermones meos coram hominibus, hunc et Filius hominis erubescet coram angelis Dei.' Nec dubito quin nec ratio nec[2] vera[3] canonisatio contradicent praedictis verbis Domini et doctrinae, cum veritas non potest contradicere veritati. Et quantum ad canonisationem *Silvestri*, *Gregorii* et aliorum, qui dotationem ecclesiae acceptarunt, dicitur non scandalisando vel depravando hos sanctos, quod[4] reputamus sed non ex fide credimus illos fuisse in via ex Dei gratia a macula temporalium depuratos. Sed quis stultus dimitteret Christi monita atque consilia propter hoc quod unus praevaricans ex Dei gratia sit salvatus? Si enim unus ex praecipitio vel supposito[5] periculo ex causa nobis incognita liberatur, quis exponeret se frontose[6] majori periculo propter istud? et dico majori periculo[7], quia nostri praelati longe magis illicite et nefande haec temporalia amplectuntur? Et sic concedo tibi, quod tam ratio quam lex Dei exigit, quod praecipuo Dei servo debite in temporalibus ministretur, cum Deus non potest in isto deficere, sed tam ratio Dei quam utilitas servi[8] requirit, quod non nimis istis temporalibus oneretur. Sed cum haec temporalia non prosint habentibus, nisi de quanto habilitant eorum officium quo ad Deum, patet quod vir evangelicus de quanto pauperius supplet suum officium, de tanto plus ceteris paribus placet Christo. Ideo sicut non proficit quod navis portetur ab itinerantibus postquam aquam fluidam navigarunt, sic[9] non prodest nobis quod animo[10] portemus temporalia plus

De canonisatione Silvestri, Gregorii, aliorum.

[1] tuam] om. ed. pr. [2] nec ratio nec] ratio vel, B. primae manus, ed. pr. [3] vera] recta, C. una, A.B. primae manus, ed. pr. [4] quod] quos, C., B. secundae manus. [5] supposito] supino, ed. pr. [6] frontose] fructuosa, A.B. [7] propter istud—periculo] om. A.B.C. ed. pr. [8] tam ratio Dei quam utilitas servi] tam ratio quam utilitas Dei servi, ed. pr. [9] sic] sic etiam, ed. pr. [10] animo] in animo, ed. pr.

quam ad navigationem talem sunt necessario requisita. Oportet enim nos in itinerando in aetate nostra infantili[1] atque decrepita navigare, sed in aetate media, in signum quod debemus aspirare ad coelestia, debemus viare in sicco itinere. In prima navigatione sustentamur a nostris parentibus, et in ultima de bonis quae[2] temperate collegimus[3] vel de eleemosynis corporalibus fratrum nostrorum; in media autem aetate de nostro labore debemus vivere vel[4] de temporalibus quae nobis acquirimus virtuose. Et iste status est propinquus statui innocentiae quem apostoli observarunt; et sic intelligunt aliqui dictum Christi Matthaei x.: 'nihil tuleritis in via neque peram neque baculum neque calceamenta in pedibus habeatis' etc. Non enim debent viri apostolici tardari cum aliquo temporali, quod vel eorum affectionem vel occupationem quo ad suum officium impediret[5]; nuda autem et moderata habitio per virgam gestam in manibus potest intelligi. Unde sicut oneratus multiplici vestimento est saepe per hoc indispositior[6] ad iter, sic oneratus temporalibus est saepe indispositior ad prodessendum ecclesiae. Et ad istum sensum dixit Christus ubi supra, 'neque duas tunicas habeatis,' et ista lex Christi est fundata in lege naturae, cum qua nemo poterit dispensare.

Eleemosynae pauperibus moderate conferendae sunt.

Ad *secundum objectum* tuum patet, quod nimis false assumis, cum domini temporales debent sic moderare suas eleemosinas, quod nullo modo Christi ordinatio extinguatur[7], quia aliter non forent eleemosinae sed praesumptiones proditoriae maledictae; Christus enim docet in evangelio Lucae xiv., quomodo debemus corporaliter eleemosinare pauperes caecos, pauperes claudos et pauperes debiles, et per consequens alios mendicantes validos astringere ad laborem. Oportet enim quod in Christi regula sit paupertas in triplici sequenti particula tripliciter intellecta, quia Christus non docet eleemosinare divites mundo, licet sint caeci, claudi, debiles, docet autem[8] eleemosinare tres tales pauperes moderate. Sed quomodo universalis et perpetua dotatio eccle-

[1] infantili] infantuli, B. primae manus, ed. pr. [2] de bonis quae] quasi quae, A.; quasi, B.; quae, C. [3] collegimus] colligemus, A.B.C.; colligimus, ed. pr. [4] vel] om. A.B. [5] impediret] impedirent, B.C. ed. pr. [6] indispositior] indispositus, ed. pr. [7] extinguatur] extinguitur, ed. pr. [8] autem] enim, ed. pr.

siae consonat cum hac regula Christi? Ideo sententia ista implicat et docet, quomodo fructuose et provide corporalis eleemosyna debet dari, et quomodo injuriatio facta his tribus egentibus rectificari debet et corrigi; sed dona mihi istam injuriam.

Quo titulo et modo clericis liceat habere temporalia.

Ad *tertium objectum* tuum dictum est saepius, quomodo duplici titulo stat hominem habere temporalia, scilicet titulo originalis justitiae et titulo mundanae justitiae. Titulo autem originalis justitiae habuit Christus omnia bona mundi, ut saepe declarat *Augustinus;* illo titulo vel titulo gratiae[1] justorum sunt omnia, sed longe ab illo titulo civilis possessio. Unde Christus et sui apostoli spreta dominatione et possessione[2] civili fuerunt de habitione pure secundum primum[3] titulum contentati. Ideo regula Christi est quod nullus suorum discipulorum praesumat pro temporalibus suis contendere, ut patet Matthaei vi.: 'qui aufert quae tua sunt, ne repetas.' Sed longe sunt leges civiles et consuetudo dominantium seculariter ab ista sententia. Et haec ratio quare leges istae mundanae et executio furiosa illarum sunt tam culpabiliter etiam inter clericos introductae. Et patet quod conclusio, quam infers, est concedenda, sed habitio distinguenda. Nam habere civiliter, cum necessitat ad sollicitudinem circa temporalia et leges hominum observandas, debet omnino clericis interdici. Et quantum ad *Silvestrum* et alios, est mihi probabile quod in recipiendo taliter dotationem graviter peccaverunt; sed possumus supponere, quod de hoc fructuose posterius poenitebant. Et sic concedo tibi quod licet clericis habere temporalia, sed titulo et modo habendi quem Deus instituit, et non illo modo cupido, quem Caymitica institutio[4] adinvenit. Nam chorda est creatura bona Dei, sicut et collum hominis, et tamen modus habendi illam circa collum hominis strangulati est satis odibilis. Ideo nuda est tua argutia peccans in fallacia consequentis, 'si licet clericis habere haec temporalia, ergo illo modo.'

[1] illo titulo vel titulo gratiae] illo titulo gratiae, A B.C. secundae manus.
[2] et possessione] om. ed. pr.
[3] primum] illum, ed. pr.
[4] Caymitica institutio] institutio a Caym sive Caim inventa, i. e. a quatuor ordinibus mendicantium, qui per literas nominis Cain s. Caim significari dicebantur, scil. Carmelitae, Augustinenses, Jacobitae s. Dominicani, Minores s. Franciscani.

## CAP. XVIII.

*Reges ac dominos hac ipsa de causa reprehendendos esse.*

*Alithia.* Placet, frater, de ista sententia, quia apparet mihi quod satis acute et quodammodo clare invehis contra avaritiam sacerdotum. Et cum secundum apostolum 1 Timoth. vi. 'radix omnium malorum est cupiditas,' et sacerdotes debent esse radix justitiae vehens seculares ad coelum, videtur quod invehis contra radicem totius peccati ecclesiae. Sed dic rogo, *utrum seculares sint*[1] *propter dotationem* hujusmodi *increpandi.*

*Phronesis.* Placet quod istam materiam pro ulteriori declaratione secundi objectus tui taliter introducis. Et quia saepe impeditus sum[2], quod non reprobavi peccata temporalium dominorum, ideo in excusationem[3] omissionis istius dicam tibi fidem in isto quam habeo, et si Deus voluerit, veniet ad aures temporalium dominorum. Tene firmiter et nullatenus dubites, quin temporales domini in isto graviter peccaverunt; et hinc credo quod justo Dei judicio taliter in suis mundanis divitiis sunt puniti. Ex hoc enim orta sunt bella contentio et paupertas multorum secularium dominorum[4]; in hoc enim in quo peccaverunt, justum est quod poenaliter patiantur. Ratio autem movens ad fidem conclusionis praedictae est ista: non solum operantes nequiter sed consentientes suae nequitiae sunt culpandi, ut patet Rom. i.[5]; sed domini temporales non solum cooperati sunt ad istam dotationem, sed et[6] multipliciter consenserunt; ergo cum ista dotatio sit ordinationi Christi contraria, quam patens[7] est, quod domini temporales ex dotatione hujusmodi sunt culpandi. Si enim sunt sex modi consensuum, ut includit metricus in his versibus,

Domini seculares ecclesiam dotando graviter peccaverunt.

'Consentit operans[8], defendens, consilium dans,
Ac auctorisans, non juvans, nec reprehendens,'

[1] sint] sunt, ed. pr. [2] saepe impeditus sum] certus sum, B., A. primae manus. [3] excusationem] excusatione, ed. pr. [4] dominorum] om. A.B.C. [5] Rom. i.] Johannis i., B. primae manus, ed. pr. [6] sed et] sed, ed. pr. [7] patens] omnia potens, ed. pr. [8] operans] cooperans, A.B., C. primae manus, ed. pr.

patet luce clarius, quod domini temporales in omnibus istis sex se indicant irretitos, et specialiter in duobus ultimis, eo quod vecorditer subtrahunt adjutorium et reprehensionem, quibus rectificata foret ista Christi et ecclesiae suae injuria, cum tamen illorum sit ex causa multiplici hanc Christi injuriam emendare: primo quia illi sunt qui in commissione illius injuriae peccaverunt[1], ideo illorum est satisfacere pro peccato; secundo quia Deus ad regendum suam ecclesiam eis talem contulit[2] potestatem, ut patet Rom. xiii., ideo ne otientur in[3] potestate ista vel ea culpabiliter abutantur, exercenda est in tanta Christi injuria more suo; Christus enim in reprobando sacerdotes templi usus fuit saepe[4] ista regia potestate, cum in persona sua ejecit ementes et vendentes de templo, ut patet Johannis ii. Et saepe praedicando[5] ac reprobando Christus verbaliter corripuit sacerdotes, ut patet in sua captione et passione, ac post ascensionem anno 42, in servis suis Tito et Vespasiano sacerdotes suos dire corripuit, sicut Lucae xix. prophetavit: 'quia si cognovisses et tu' etc. Et istam sententiam pulchre declarat beatus *Isidorus*, ut notat Decretum xxiii. quaest. 5, capitulo 'Principes seculi[6].' Si enim tenent[7] temporalia sua a Christo ut rege regum[8] propter servitia inde debita, quod, rogo, servitium foret eis pertinentius quam vindicando Christi injuriam et ordinationem suam tam rationabilem defendendo? Cum enim idem sit Christum diligere et legem vel sermones suos servare, ut patet Joh. xiv., patet, quod si domini temporales diligunt Christum super omnia, ordinationem suam praecipuam[9] debent potestative defendere. Quis rogo temporalis dominus in reversatione ordinationis suae praecipuae non offenderetur? Et specialiter si ista reversatio sponsam suam violat et dissipat regnum suum, multo magis est hoc verum de prima justitia, Jesu Christo[10]. Recolerent ergo domini temporales, quomodo Christus in conversatione

[1] peccaverunt] peccaverant, ed. pr. [2] contulit] concessit, B. primae manus. [3] in] om. A.B.C. [4] saepe] om. A.B.C. [5] praedicando] patiendo, A. secundae, B. primae manus, D. ed. pr.; probando, C. primae manus. [6] cf. Decreti Part II. caus. xxiii. quaest. 5, C. xx., ex libro III. Sententiarum Isidori Hispalensis. [7] tenent] habent, A.B.C. [8] a Christo ut rege regum] om. A.B.C.; a Christo rege regum, ed. pr. [9] praecipuam] praecipuam ordinando, B. primae manus, ed. pr. [10] Jesu Christo] Jesu Christi, ed. pr.

fuit eis gratissimus indubie propter servitium rependendum. *Sex* autem *gratitudines* aliquando collegi ex fide evangelii, quas Christus[1] dominis temporalibus ostendebat. *Primo* quod Christus, qui est Dominus temporis et qui potuisset nasci quandocunque voluerit, elegit nasci quando magis floruit dominium seculare, ut patet[2] Lucae ii.: 'exiit edictum a Caesare Augusto,' etc. *Secundo* quia Christus potuisset dominari, si voluisset, supra omnia regna mundi, noluit in minimo diminuere dominium seculare, cum Matth. viii. scribitur: 'Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet.' *Tertio,* quia Christus, ut seculare dominium redderet integrum ad dominos seculares, fecit sacerdotes templi sui de suis dominiis spoliari, ut patet supra ex Luc. xix. *Quarto* quia Christus pro se et suo pusillo grege solvit tributum Caesari, ut patet Matth. xvii.[3] *Quinto* quia Christus dedit judicium summe autenticum, quod bona Caesaris forent ex summa eleemosina[4] sibi danda, ut patet Matth. xxii.: 'reddite quae sunt Caesaris Caesari,' etc. Et *sexto,* quia Christus tenentes pauperes dominorum secularium pavit, sanavit, et in obedientia facienda illis[5] multipliciter instruxit, ut patet ex[6] decursu evangelii et scriptis apostoli, quomodo servi debent dominis suis obedire, et quod est infinitum plus quam aliquid istorum, quae[7] mundani praeponderant, Christus dominos temporales fecit, redemit et finaliter praemiavit. Quid ergo ultra debuit eis[8] facere, et non fecit? Recolerent ergo pro omnibus istis istius verbi apostoli ad Coloss. iii.: 'grati estote.' Sed notet, rogo, fidelis, quantam ingratitudinem sensibilem Domino rependerunt. Nam cito post ascensionem ejus, quia intra[9] annum quadringentesimum, ejus ordinationem praecipuam in dotando ecclesiam reversarunt, et per consequens antichristum in deturpationem[10] sponsae suae multipliciter procrearunt. Unde narrant Chronicae, quod in dotatione ecclesiae vox angelica audita est in aëre tunc temporis[11] sic dicentis: 'hodie effusum

Quaenam beneficia Christus quondam in dominos temporales contulerit.

Domini vero cum ecclesiam dotarent, quae res multorum malorum causa extitit, ingratissimos se exhibuerunt.

[1] Christus] Christus fecit ac, A.B.C. ed. pr. [2] ut patet] nam patet, ed. pr. [3] Matth. xvii.] Matth. xviii., ed. pr. Invenitur locus Matth. xvii. 24 sq. [4] eleemosina] obedientia, C. primae manus. [5] illis] illos, A.B.C. [6] ex] om. A.; in, B. ed. pr. [7] quae] quae tamen, ed. pr. [8] eis] om. B. ed. pr.; cf. Jesa. v. 4, defuit eis, D. [9] quia intra] quia infra, B.; qui infra, ed. pr. [10] in deturpationem] ut videtur paratiorem, B. secundae manus. [11] tunc temporis] talis temporis, A.

est venenum in ecclesia sancta Dei!' Unde a tempore Constantini qui sic dotavit ecclesiam, decrevit Romanum imperium et in ipso dominium seculare. Nec valet excusatio in peccato, quod imperator et alii dotantes ecclesiam[1] putaverunt ex devotione hujusmodi multipliciter promereri, quia ex minori caecitate sic credidit apostolus membra Domini[2] prosequendo, ut patet prima Timoth. i., et tamen[3] non obstante hac ignorantia et evidentia capta ex veteri testamento apostolus vere confitetur, quod fuit blasphemus in hoc et peccavit graviter contra Christum; quare ergo non imperator et alii domini ex magis crassa ignorantia post tantam gratitudinem delinquerent contra Christum? Unde eis denuntio, quod nimis durum est eis contra stimulum calcitare[4]. Ideo si volunt habere dominia sua integra, non diabolice lacerata, pacem ecclesiae reformatam, et tenentes suos secundum legem Domini validos non rebelles, studeant propere[5] et attente ad ordinationem Christi quo ad suam ecclesiam quantum sufficiunt reformare, quia ex fide habemus[6], quod sub illa ordinatione foret prosperrime regulata; tunc enim extingueretur Simonia in clero, circa temporalia implicatio et nefandissima ignorantia, desidia et haeresis cleri Christi; et per consequens[7] cessarent bella et regnorum translatio per conquestus, et sic longe foret[8] inaequa[9] tenentium pauperum spoliatio, existente integro mundano dominio in manu brachii secularis; et quod maximum est, currente libere et spissim sermone Christi plures ad patriam volitarent; tunc autem cessarent blasphemiae de spirituali potestate paparum quantum ad absolutionem a poena et culpa et infundabilem concessionem indulgentiarum, etiam supra hoc quod Christus vel ejus apostoli unquam[10] concesserant, cum ceteris blasphemiis infinitis. Nec potest fieri a Pseuste vel aliis antichristi discipulis evidentia perfunctoria, quod dominis temporalibus non licet ista corrigere, quia idem esset hoc asserere et dicere illis, quod non potentes[11] pro peccato suo

Ideo oportet ad bonam frugem redeant atque temporalia ab ecclesia auferant.

[1] ecclesiam] om. A.B.C. [2] Domini] Christi, ed. pr. [3] tamen] cum, ed. pr. [4] cf. Act. ix. 5. [5] propere] i.e. properanter; proprie, ed. pr.; properare, A. secundae manus. [6] habemus] debemus supponere, D.; supponere habemus, ed. pr. [7] per consequens] per consequens secundo, ed. pr. [8] foret] om. A.B.C. ed. pr. [9] inaequa] iniqua, ed. pr. [10] unquam] nunquam, ed. pr. [11] non potentes] non sunt potentes, ed. pr.

commisso satisfacere necessario sunt damnandi. Nos autem dicimus illis, quod nedum possunt auferre temporalia ab ecclesia habitualiter[1] delinquente, nec solum quod *licet* illis hoc facere sed quod *debent* sub poena damnationis gehennae, cum debent de sua stultitia poenitere et satisfacere pro peccato, quo Christi ecclesiam macularunt. Et si objicis, quod dare tales eleemosinas literatorie[2] et solemniter promiserunt, quomodo ergo licet illis frangere votum suum? quaero a Pseuste, si voverit non substrata[3] causa fratrem suum occidere, numquid debet illam injustitiam adimplere, quin potius de voto improvido poenitere? Sic in proposito quaerat discretus secularis dominus, si tot oratores habeat quot sufficerent ex data eleemosina sustentari, et indubie vel oportet ipsos concedere, quod ex implicatione cum mundo sunt ad orandum inutiles, vel omnino quod deficiunt de illo numero nimis multi. Cum ergo rex mittens exercitum ad bellandum in Francia prudenter et sedule facit bellantes ostendi, providens quod[4] sint completi in numero, in valetudine[5] corporis et armis, quanto magis circumspiceret magis sollicite de oratore, qui bellaret contra diabolum et sibi adquireret regnum Dei.

## CAP. XIX.

*Quam vera et salutaris sit sententia de ecclesia temporalibus liberanda.*

*Alithia.* Frater mi, satis dixisti de ista sententia clericis[6] et specialiter superioribus[7] odiosa, et eo magis quo non doces, quomodo tua sententia foret sine nimis magna perturbatione ecclesiae practisata. Ideo descendas ad materiam de sacramento matrimonii, consimilem ordinem observando.

*Phronesis.* Nunquam, soror, habui aliquam materiam scholasticam magis cordi[8], quia videtur mihi, quod praecipue cedet[9]

[1] habitualiter] habitudinaliter, ed. pr. [2] literatorie] i.e. literis et instrumentis publice exhibitis. [3] substrata] substracta, A.B. primae manus, ed. pr. [4] quod] quot, A.B.C. ed. pr. [5] valetudine] vallitudine, valitudine, libri manu scripti. [6] clericis] de clericis, ed. pr. [7] superioribus] superbientibus, B.C. [8] cordi] om. B. secundae manus. [9] cedet] cederet, D.

Ecclesiae nihil salutarius evenire potest quam quod possessionum atque negotiorum secularium expers reddatur.

ad honorem Dei et utilitatem universalis ecclesiae. Unde videtur mihi, quod notabiliter deficit a caritate perfecta et amore regis sui et regni, qui prae[1] timore amissionis temporalium et amicitiae satraparum, imo qui propter amissionem vitae corporis haec obmittit. Nec dubium quin apostoli et alii cordati Christi discipuli usque ad mortem istam sententiam promulgarunt[2]. Rex autem et regnum in isto[3] sunt damnabiles ex consensu. Quis ergo fidelis ejus legius[4] in hoc peccato maximo reticeret? Auctorisat enim rex peccatum maximum cleri sui et sic radicem peccati, per quod regnum quod regeret[5], est infectum. Et cum ad verum seculare dominium requiritur justitia dominantis, quae repugnat huic crimini, videtur quod rex et regni sui proceres nimis perfunctorie dominantur. Si enim secundum legem Angliae, tenente frustrante servitium sui capitalis domini per biennium, licet capitali domino de jure regis Angliae capere illud dominium ad usus sibi proprios tanquam[6] indigne per suum subditum occupatum, quanto magis licet regi regum confiscare dominia regnorum, si debitum suum servitium per multiplex biennium sit dimissum; cum debent servire Christo non consentiendo[7] proditorie antichristo, sed operibus suis Christo contrariis quantum sufficiunt adversando; patet, per quantum tempus tante debitum Dei[8] servitium est obmissum. Et ut videtur mihi, quod ille legius regis, qui detectionem talem dimitteret, foret vecors proditor[9] regis, regni et Dei. Et quantum ad istud quod invehis, quod timor perturbationis regnorum retrahit ab executione istius sententiae, considera[10] quomodo antichristus per suos principes caecavit et vecordavit[11] nostros milites in hac parte. Nam ad invadendum regna alia in causa propria et satis ambigua sunt audaces, sed ad complendum onus leve et juvandum caritative incolas regni sui, quos magis debent diligere, in causa Domini sunt vecordes. Nec dubium quin antichristus cum suis principibus istam vecor-

[1] qui prae] quia pro, ed. pr. [2] promulgarunt] promulgarent, C.D. ed. pr. [3] isto] isto peccato, A.B.C. ed. pr. [4] legius] longius, A. secundae manus, B.C. [5] regeret] regerat, ed. pr. [6] sibi proprios, tanquam] sibi proprios sibi, A.B.C.; suos proprios, sibi, ed. pr. [7] non consentiendo] in non consentiendo, D. ed. pr. [8] Dei] ei, A.B.C. [9] proditor] debitor, A. [10] considera] considero, A.B.C. [11] et vecordavit] vecorditer, A.B.C. ed. pr.

diam introduxit. Facilitatem autem faciendi hanc eleemosinam et debitum sic potes cognoscere[1]: constat ex regalibus regis Angliae, quod decedente episcopo vel abbate aut quocunque notabiliter dotato de Anglia, temporalia sua ad denotandum regalia regis cadere debent in manu sua, et non procedetur ad electionem, nisi obtenta regis licentia, nec habebuntur[2] ab electo mortificata regni dominia, nisi rege noviter approbante. Contineat ergo se rex ab innovatione delicti[3] maximi progenitorum suorum, et in brevitate[4] erit totum regnum purgatum a mortificatione stolida bonorum temporalium, quae jam sunt in manu mortua. Quis, rogo, praesumeret vel auderet occupare talia dominia, non obtenta regis licentia? Nec oporteret regem aut regnum suum, pro sedanda ista magna injustitia[5] ferro percutere, quenquam occidere vel praesumptuose exercitio laborare. Sed sicut natura odiens mutationes subitas ordinate continue procedit, sic sicut istud delictum maximum paulative inordinate[6] processit, sic si successive et paulative secundum mortes occupantium decrescat debite, quantumlibet parva[7] prudentia, non contingeret regi[8] vel incolis nocumentum[9]. Qui autem de clericis vel aliis contrariantur isti sententiae, sunt falsarii legis scripturae, et sic Dei et regis maximi proditores, nam Psal. xviii. per regem David dicitur, 'si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero et emundabor a delicto maximo[10],' quod ex sensu Spiritus Sancti pertinenter potest intelligi ac si rex quicunque hoc diceret, qui multos clericos in regno suo haberet et clericos illos 'suos' vocaret; 'si mei,' hoc est sacerdotes et clerici, secundum quod Deus instituit, 'non fuerint dominati, tunc immaculatus ero' a consensu peccati extrinseci, 'et emundabor a delicto maximo[11],' quo contrariando contra ordinationem Christi clerus ex protectione secularium insurgit communiter contra Christum. Nec audiendi sunt clerici vel laici regi et suo consilio inimici, qui detegunt et promulgant

[1] cognoscere] convincere, A.B.C. [2] habebuntur] ed. pr.; libri MSS. habebunt. [3] delicti] derelicti, ed. pr. [4] brevitate] brevi tempore, D. [5] magna injustitia] materia in justitia, ed. pr. [6] inordinate] et inordinate, ed. pr. [7] quantumlibet parva] quantum ad non et regulante parva, ed. pr. [8] regi] regni, B.; regno, A.C. [9] quantumlibet—nocumentum] om. D. [10] tunc—maximo] om. A.B.C. ed. pr. [11] cf. Ps. xix. (xviii.) v. 14.

sibi vel suis proceribus[1] contrarium hujus sententiae, quibus applicari potest illud Psalmi xvii.: 'filii alieni[2] mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt et claudicaverunt a semitis tuis.' Et ex istis colligitur, quod rex et regnum suum debent pauperes presbyteros promulgantes istam sententiam defendere et contra quoscunque et contra fratres suos protegere, quia aliter 'ex sanguinibus vel ex voluntate carnis vel ex voluntate viri nati sunt et non ex Deo[3]' et per consequens non nati sunt filii Dei vel regni coelorum sed regis Tartari, cum plus amant filios patris mendacii, qui machinantur sui dispendium[4], quam filios veritatis. Potest enim esse quod pseudofratres et alii potentes clerici regnorum contra promulgantes sententiam istam conspirent[5] et quod[6] mortem eorum per commenta falsissima machinentur. Sed quis fidelis non[7] horreret corruptionem[8] sententiae hujus veridicae? Unde si non sperarent in defensione Christi et protectione Dei, promulgare istam sententiam evangelicam non auderent. Quicunque enim contrariatur huic sententiae, acceptandus est indubie tanquam antichristus verbis Christi contrarius. Unde vae illis, qui impugnant istam sententiam catholicam et tam cunctis fidelibus salutarem! Non enim est fidelis aliquis praescitus sive diabolus, quin sententia ista sibi proficeret, quia cuilibet praedestinato proficeret non solum ad bonum viae sed ad bonum patriae impetrandum, quia timentibus Deum omnia cooperantur in bonum[9], et cuilibet praescito, etiam diabolo, prodesset in illo, quod demeritum eorum abbreviaret et poenam inferni quodammodo mitigaret.

[1] proceribus] partibus, A. [2] alieni] alienigeni, C.; cf. Ps. xviii. (xvii.) 45 sq. [3] cf. Joh. i. 13. [4] dispendium] stipendium, C.B. secundae manus. [5] conspirent] conspicerent, ed. pr. [6] quod] quomodo, A.B.C. secundae manus, ed. pr.; quod, C. primae manus. [7] non] om. ed. pr. [8] corruptionem] casum, D. secundae manus. [9] cf. Rom. viii. 28.

## CAP. XX.

### *Matrimonium quid proprie sit.*

*Phronesis.* Sed redeundo ad materiam *de sacramento matrimonii*, ut superius tetigisti, videtur mihi esse dicendum, quid sit matrimonium, ut habita ejus quidditate de ejus passionibus securius procedamus. Potest autem dici, quod matrimonium est conjugum legitima copulatio, qua[1] secundum Dei legem licet eis sine crimine[2] filios procreare. Ordinavit enim Deus, quod Adam et Eva et per consequens quod cuncti duo conjuges in procreatione carnali taliter copulentur. Unde Matthaei xix. Christus sic determinat istam sententiam contra scribas et Pharisaeos ab ipso quaerentes, 'si licet homini dimittere uxorem,' quibus respondit: 'quod Deus conjunxit, homo non separet[3].' Ex quibus verbis evangelicis patet autenticatio hujus venerabilis sacramenti. Ideo dicitur communiter, cum a Deo ordinatum fuit in mundi principio et in paradiso, quod ratione privilegii multiplicis matrimonium[4] excedit alia sacramenta. Cum enim natura ordinavit in conjugibus media procreandi, certum est quod post contractum legitimum possunt licite procreare. Et iterum certum est quod Christus intendit quod mariti[5] debent esse una caro, tam corpore caritate conjuncto quam etiam consensu prolem legitime procreandi, quia certum est, quod contra Pseustem omnes[6] duo homines sunt impugnabiliter una caro. Ideo Christus asserendo hanc negativam excludit vitam extraneam a sic matrimonialiter copulatis; ideo dicitur communiter ex testimonio *Augustini*, quod tria sunt bona conjugii in communi, scilicet fides proles et sacramentum. Rationabilitas autem hujus sacramenti ex hoc evidet quod, cum naturale et ex ordinatione divina sit homines procreare, ac multi ex pronitate peccati nolunt servare fidelitatem conjugii, rationabile est quod

Matrimonii vis ac ratio definitur.

[1] qua] quia, ed. pr. [2] sine crimine] om. B. secundae manus. [3] Cod. C.D. cuncta verba Matth. xix. 3—6 repetit. [4] matrimonium] matrimonii, A.B.C ed. pr. [5] mariti] jugati, ed. pr. [6] omnes] quod omnes, ed. pr.

ex lege matrimonii ad hanc fidem conjugii sunt artati. Si enim quilibet prolificus ex qualibet, quae sibi placeret, procrearet, foret consanguinitatis confusio, hereditatis paternae destructio, parentum inhonoratio, hominum contentio atque occisio cum multis aliis inconvenientiis, quas vident philosophi naturales. Ideo lex naturae cum facto Dei docet ecclesiam, quod conjuges copulati legitime pro suo perpetuo conjungantur; et satis modicum est et necessarium, quod uterque conjugum pro suo perpetuo alteri servet fidem, quia cum tantum uniuntur virtute matrimonii in principio, quod sunt taliter una caro, et si alter eorum dimitti deberet propter[1] infortunium, utroque superstite, sequeretur matrimonii infidelitas et inconvenientia superius recitata.

*Pseustis.* Videtur mihi, quod false et imbrigabiliter loqueris in hac parte. Videtur enim primo, cum tam mulier quam vir sit conjux, quod quorumcunque talium copulatio sit matrimonium; et sic duo viri uxorati et caritative sociati ex hoc contraherent conjugium, et sic de uxoribus. Similiter nihil est licitum nisi possibile, sed multi copulantur matrimonialiter satis licite, qui non possunt filios procreare, ergo descriptio est minus valida. Similiter procreatio est non solum appropriate in masculo, sed saepe stat matrimonium, quando procreatio talis deest. Videtur ergo non solum, quod eo ipso quo est unum[2] matrimonium sunt et duo, sed[3] quod bona matrimonii valde accidentaliter sibi insunt.

*Phronesis.* Valde captiose invehis, sed scias certitudinaliter, quod succumbes. *Ad primum argumentum* tuum respondeo concedendo, quod quorumcunque duorum conjugum copulatio sit matrimonium. Sed nota quod non sequitur, 'A est conjux C, et B est conjux D, ergo A et B sunt conjuges;' quia ad hoc quod illi sint conjuges, oportet quod sint distincti in sexibus, et quod alter reliquo[4] ad finem matrimonii copuletur; ut non sequitur in simili, si iste canis qui est pater illius catuli, sit tuus, quod sit propterea pater tuus. 'Conjuges' ergo cum dicunt relationem ad invicem fundatam in fide taliter relatorum, secun-

[1] propter] om. B., A. primae manus. [2] unum] verum, C. secundae manus. [3] sed] secundum, ed. pr. [4] reliquo] *relicui* (quasi a qui cujus, cui) A.B.C.

dum logicam relativorum[1] non dicuntur conjuges, nisi unus sit conjux alterius et e contra; concedo tamen tibi, quod conjux dicit generalius copulationem talium[2] quam societatem sodalium vel copulationem carnalem aut matrimonialem, cum stat tales duas personas ex consensu abscondito copulari.

Ad *secundam* tuam *instantiam* videtur mihi probabile, quod tales qui non possunt procreare carnaliter, quodammodo illicite copulantur. Unde antiqui qui[3] ex cupiditate temporalium, ex spe mutuorum juvaminum aut ex causa excusandae libidinis, licet desperent de prole, copulantur[4] ad invicem, non vere matrimonialiter copulantur, et[5] juvenes aetate sed improportionabiliter conjugati ex peccato priori, deficiunt a ratione plena[6] hujus venerabilis sacramenti. Multi enim in proportione sunt inepti ad gignendum, qui cum aliis satis gignerent, ideo non deficeret suae copulationi Dei regimen, nisi peccatum anterius sit in causa. Utrum autem tales permanent graves adulteri ex falsa palliatione matrimonii, relinquo aliis perscrutandum[7], certe asserens, quod non est legitimum matrimonium, nisi Deus approbando conjungat taliter conjugatos, cum Christus pertinenter praecipiat, 'quod Deus conjunxit, homo non separet[8],' et quia sumus[9] incerti de conjunctione approbata per Deum, ideo multi homines in talibus conjugiis de vita sua meritoria sunt incerti. Ideo benedicta sit conversatio virginum sine tali copula! Et cum frequenter tales apud Deum indispositi saepe in facie ecclesiae matrimonialiter copulantur, patet, quam spissim peccatum committitur in tali copula, et specialiter in ficto divortio celebrato. Nam pseudofratres, capitulares clerici et alii cupidi faciunt saepe *divortium* de personis, quas Deus approbative conjunxit; sed vae illis! Nec delector in multiplicatione[10] causarum divortii, cum multae sunt infundabiliter humanitus ordinatae, ut patet specialiter de cognatione. Nam tempore primi hominis fratres et sorores fuerunt ex ordinatione divina taliter conjugati, et tempore patriarcharum, ut Abraham,

[1] relativorum] relatorum, B. secundae, C. primae manus; om. C. [2] talium] om. A.B.C. [3] qui] si, A.C. secundae manus. [4] copulantur] copulentur, A.B.C. ed. pr. [5] et] et sic, C. ed. pr. [6] plena] poena, ed. pr. [7] perscrutandum] pertractandum, B. primae manus; perscrutantibus, C. [8] cf. Matth. xix. 6. [9] sumus] fuimus, ed. pr. [10] multiplicatione] multitudine, A.B.C. ed. pr.

Isaac et talium, satis propinque[1] cognati. Nec superest ratio, quare non sic liceret hodie, nisi humana ordinatio, quae dicit non solum ex cognatione sed ex affinitate amorem inter homines dilatari, et causa haec hominum est nimis debilis.

Ad *tertiam* tuam *instantiam* dico, quod procreatio vel active vel passive est[2] in femina. Nec video quare gignere sit commune ad marem et feminam, quin ratione consimili procreare, cum utrique conveniat prolem producere. Nec est inconveniens[3], quod sint duo matrimonia se ad invicem consequentia, sicut sunt duae similitudines, si est una; verumtamen utrumque[4] matrimonium principaliter est in viro, ideo uxor[5] debet honorare virum diligentius quam e contra, in cujus signum mulier facta est ex viro, non vir ex femina, ut patet Gen. iii.; debet tamen inter ipsos esse mutua dilectio socialis, in cujus signum non ex capite vel pede viri facta est mulier sed ex costa, ad denotandum quod non debet esse viro ancilla nec domina sed socia lateralis. Et sic concedo tibi, quod bona conjugii sunt sibi accidentalia. Sed noscas, quod satis est esse prolem in aliquo tempore etsi non continue stante conjugio, sicut non oportet quod vir semper solvat debitum, sed satis est quod solvat in tempore opportuno. Alias autem difficultates de legibus humanis pertranseo credens, quod multi ex affectione indebita conjunguntur, sicut multi indebite separantur. Primum patet Tobiae vi., nam septem viri per Asmodeum diabolum cum copula filiae Raguel Sarae fuerant jugulati[6], unde sexto capitulo sic habetur: ‘Dixit angelus Raphael Tobiae, ostendam tibi qui sunt, quibus praevalere potest daemonium’ etc.[7]

[1] propinque] propinqui. D. [2] est] est et, D. [3] inconveniens] conveniens, ed. pr. [4] utrumque] om. ed. pr. [5] uxor] mulier, B. primae manus. [6] copula filiae Raguel Sarae fuerant jugulati] copularentur filiae Raguel Sarae jugulati perierunt, A.B.C. ed. pr. [7] libri C. et D. cuncta verba versuum 17 et 18 capituli sexti libri Tobiae repetunt.

## CAP. XXI.

*De divortio.*

*Alithia.* Cum causa separationis conjugum exprimitur in scriptura, decens est, frater Phronesis, quod de illa et de difficultatibus aliis hic loquaris, cum specialiter in illa materia fit dissensio generalis.

*Phronesis.* Parum nosco in ista materia, et ideo propono me tenere in limitibus fidei scripturae, sciens quod dicta in illa sufficiunt, et alia inventa humanitus communiter non fundantur. Dixit autem Christus, ut recitatur Matth. v.: 'Dictum est antiquis: quicunque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii; ego autem dico vobis, quod omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit[1], adulteratur.' Istum autem textum sic intelligo, non quod libellus[2] ex lege Domini est excerptus[3], sed quia tempore Moysi homines fuerunt proni ad occidendum feminas quas odierunt, et aliunde mala plurima ex malorum copula contigerunt, ideo Moyses ad tollendum culpam istam sollicitus toleravit libellum repudii, et a mihi probabili ad excludendum utrimque injurias libellum repudii ordinavit. Multi quidem verecundarentur causam exprimere quae non valet, qui subticendo causam ad separationem nefandam procederent; super haec potest esse[4] hortatio judicum monens ad facinus dimittendum. Dicitur autem communiter, quod libellus repudii fuit charta, in qua causa separationis conjugum fuit inscripta et data fuit communiter a maritis; Christus autem excipit fornicationem dictam communiter, quae includit adulterium. Quando enim alter conjugum committit infidelitatem in isto, et reliquus conjugum manet fidelis, cum fides ista sit praecipua in matrimonio, licet conjugium dissolvere, saltem quo ad thorum, utraque persona inconjugata pro suo perpetuo remanente. Ideo dixit

De separatione conjugum scripturae sacrae sententia sequenda.

De libello repudii secundum legem Mosaicam exhibendo.

[1] suam—duxerit] om. A.B [2] libellus] libellus repudii, D. [3] excerptus] receptus, D. [4] super haec potest esse] super haec autem potest esse, B.; et super haec potest esse, ed. pr.

Christus, 'qui dimissam duxerit adulteratur,' cum de lege Domini mulier sic separata debet ab actu carnali conjugii abstinere; nec dicat, quod sibi sine causa sit injuria, quia privatio a bono conjugii, eo[1] quod illis[2] existentibus una persona alter[3] inficit personam compositam, et sic ex infidelitate maculavit[4] conjugium quo ad thorum. Quod si mulier delectatur in procreatione prolis, non video quin si voluerit, licet sibi stare cum conjuge taliter delinquente, et licet sibi, si continere voluerit, a conjuge separari. Sed difficultatur ulterius, utrum propter causam aliam quam infidelitatem adulterii licet divortium celebrare; et videtur quod sic, quia non solum servanda est fides conjugum in procreando prolem, sed in servando ex integro legem Dei, quia aliter liceret alteri conjugum esse ad reliquum[5] omnino[6] infidelem. Hic videtur mihi, quod licet conjugi in casu alio a reliquo conjuge separari, ut posito quod alter conjugum percipiat[7] reliquum esse in crimine aliquo induratum sic quod desperet de sua conversione, et timeat de sua contagione ex cohabitatione, tunc videtur mihi, quod licet illos[8] ab invicem separari; sed si alter conjugum speret conversionem sui conjugis per suam exhortationem, tunc debet cohabitare cum illo conjuge ad hunc finem. Et iste videtur mihi esse sensus apostoli 1 Corinth. vii., quando dicit, 'his autem qui in matrimonio conjuncti sunt, praecipio non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si[9] discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari; et vir non dimittat uxorem.' Et sequitur: 'nam ceteris ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit cum illa habitare, non dimittat virum, sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem et e contra.' Ex isto textu[10] apostoli videtur[11] mihi, quod primo alludit verbis Domini praedictis in evangelio Matthaei ubi[12] supra exposui. Nec oportet timere Pseustis instan-

[1] eo quod] et quod, B. ed. pr. [2] illis] illi, ed. pr. [3] alter] aliter, B. primae manus, ed. pr. [4] maculavit] maculat, A.B.C. [5] reliquum] maritum, C. primae manus. [6] omnino] omnium hominum, ed. pr. [7] percipiat] praecipiat, ed. pr. [8] illos] illis, B.; om. ed. pr. [9] quod si] si, A.B.C. [10] textu] sancto textu, D. [11] videtur] videretur, ed. pr. [12] Matthaei ubi] Matthaei v., ed. pr.; Matth. ut supra, D.

tias, quod textus apostoli contradicit explicite sibi ipsi quando dicit, 'praecipio non ego sed Dominus,' ubi videtur exprimere, quod ipse praecipit et non ipse praecipit; sed sciat talis sophisticans sensum catholicum et pertinentem scripturae imponere, et cesset a sua stulta blasphemia. Videtur enim apostolum sic sentire in ista scriptura Corinthiorum[1], 'non praecipio ego principaliter, sed Dominus in evangelio Matthaei expresse sententiam supradictam declarat, quam recitative vobis commemoro.' Et sic tollenda est secunda apparentia repugnantiae, quando dicit, 'praecipio ego, non Dominus.' Videtur enim Pseusti, cum Deus necessario agit in qualibet actione, quod si apostolus quidquam praecipit, tunc et Dominus[2] specialiter, cum sine principali auctoritate[3] Domini non valet praeceptio. Patet quidem ex serie verborum apostoli, quod[4] intendit, se in evangelio suo superaddere expresse sententiam quam Dominus in praedicto evangelio non expressit. Sed absit credere quin apostolus intendebat[5], quod Dominus principaliter praecepit[6] sententiam, quam apostolus hic inculcat. Patet quidem ex serie verborum apostoli, cum bene scivit quod sententia sua non valeret aliter, et quod 'si quis loquitur, quasi sermones Dei debet loqui[7].' Et istum modum loquendi vellem Pharisaeos[8] nostros attendere, qui negant infideliter quod hostia consecrata sit panis, quia *Ambrosius* et alii doctores videntur[9] dicere, quod post consecrationem non panis sed corpus Domini est dicendum. Numquid tales blasphemi volunt negare fidem scripturae apostoli et verbum[10] Christi propter sinistrum intellectum verbi doctoris apocryphi[11]? Intelligit enim[12] more apostoli, quod post consecrationem non principaliter erit panis; et tales sunt multae negativae quas in scriptura poteris reperire. Sed dimittendo istud videtur mihi, quod apostolus in propositione sua secunda inculcat[13] sententiam quam dixi superius, quod 'si infidelis discedit, discedat; non est enim servituti subjectus frater aut soror in

[1] Corinthiorum] Corinthiis, D. [2] tunc et Dominus] et tunc et Dominus, ed. pr. [3] auctoritate] auctorisatione, D. [4] quod] quia, A.B.C. ed. pr. [5] intendebat] intendat, ed. pr. [6] praecepit] intendebat, A. [7] cf. 1 Petri iv. 11. [8] Pharisaeos] philosophos, A. et B. primae manus. [9] Ambrosius et alii doctores videntur] Ambrosius videtur, A.B.C. [10] verbum] verbis, ed. pr. [11] apocryphi] ypocrisi, B. [12] enim] om. B. [13] inculcat] includit, A.B.C. ed. pr.

hujusmodi. In pace autem vocavit nos Deus. Unde enim[1] scis mulier, si virum salvum facies vel e contra[2]?' quasi diceret, 'cum Deus ordinavit matrimonium ad fidem servorum suorum sibi fideliter reservandam, non vult quod matrimonium taliter sit servatum, quod faciat in aliqua persona oppositum; sed oportet in talibus cum prudentia[3] providere, ne carnalis affectio vel peccatum praecedens indisponat taliter conjugatum, quod non faciat quod magis beneplacitum foret Deo. Nam ordinatio Dei est nobis abscondita, ideo oportet quod simus filii Dei, et ejus Spiritu simus ducti.' Et ista credo ex evangelio sufficere fidelibus quo ad legem matrimonii regulandum[4].

## CAP. XXII.

*Quibus verbis matrimonium contrahatur.*

Proponitur quaestio, quibus verbis vel signis rite contrahatur matrimonium.

*Alithia.* Placet, frater, de ista sententia ex scriptura tantum autentica reserata. Sed dic, quaeso, cum quibus verbis vel signis debet matrimonium celebrari; dicitur enim communiter, quod cum verbis de praesenti[5], et non cum verbis de praeterito vel futuro, imo expressa affirmatione de futuro, ut 'quod te capiam in uxorem' et alia persona postmodum verba exprimit de praesenti, 'ego te capio in uxorem,' verbum istud de praesenti[6], eo quod notet expressiorem et efficaciorem affectum[7] dirimit[8] verbum[9] prius dictum. Verumtamen dicitur a legistis, quod expresso contractu per verbum de futuro et sequenti copula carnali aeque valet[10] ac si contrahentes verba exprimerent de praesenti. Sed ultra cum surdi et muti possunt contrahere, videtur quod alia signa sufficiant praeter verba.

Quaestio ista parvi penditur, cum neque

*Phronesis.* Non delector multum labi in ista materia, specialiter cum sit humanitus et saepe infundabiliter instituta. Veritas

[1] enim] om. ed. pr. [2] cf. 1 Corinth. vii. 15 sqq. [3] prudentia] providentia, ed. pr. [4] regulandum] regulandi, D. [5] de praesenti] de praesenti, ego te capio in uxorem, verbum istud de praesenti, ed. pr. [6] ego—de praesenti] om. B., A. primae manus, ed. pr. [7] affectum] effectum, A B.C. [8] dirimit] diminuit, ed. pr. [9] verbum] om. A.B. [10] aeque valet] ut aeque valet, ed. pr.

quidem mihi videtur, quod assistente consensu conjugum[1] et Domino approbante, subducto quocunque signo sensibili foret satis; ideo lex conscientiae et consensus Domini in bene viventibus in contractu hujusmodi rectissime regularent. In verbis enim qualitercunque[2] aptatis extrinsecus potest esse deceptio, ut dicendo de praesenti[3], 'capio te in uxorem' potest esse quod mens dicat oppositum propter complendam voluptatem[4]. Cum ergo verbum mentis sit praeponderantius verbo oris, et ad verum matrimonium requiritur consensus, videtur quod non sit matrimonium per verba hujusmodi de praesenti. Judices ergo qui ex nudis verbis judicant pro matrimonio, judicant contra judicium legis Dei; sed maledicta sit lex hujusmodi, qua judex coartabit per censuras suas fictas jugum personarum, ut faciant[5] contrarie legi Dei! Similiter videtur quod omnia talia verba de praesenti sint falsa, et sic contractus falsus quem Deus non approbat, sicut nec verba. Falsum quidem est quod nunc 'te capio in uxorem,' quia sic subito matrimonium foret completum, et non ulterius adimplendum, quod contradicit legistis istius sententiae et usui communi ecclesiae. Si enim per verba illa de praesenti fit matrimonium, ita quod illis rite pronunciatis fit primo matrimonium, tunc sequitur oppositum in adjecto, quia cum vox quando desinit esse, non est, verba ista de praesenti non faciunt matrimonium[6] nec sunt sibi compossibilia, quomodo ergo matrimonium fit per illa? Nec dubium quin illa *verba* consensum non faciunt, sed illud quod movet *animum* ad consensum, nec sufficienter testantur, ut ex illis solummodo judicetur, nisi forte illi judici antichristo, qui non timet false contra Deum judicare; quomodo ergo servat talis judex regulam istam catholicam, 'nemo debet contra voluntatem Domini repugnare,' sicut fit communiter in hoc caeco judicio?

verba neque signa sed consensus animorum Deo approbante matrimonium perficiant.

Similiter haec convertuntur[7] ut hic supponimus, 'te *accipio* in uxorem' et 'te *accipiam* in uxorem;' cum ergo secundum sit certius et minus imbrigabile, videtur quod ipsum sit eligibilius ad homines matrimonialiter copulandum. Si enim 'accipio te

[1] conjugum] conjugii, ed. pr. [2] qualitercunque] quantumcunque, B. [3] de praesenti] om. B. primae manus, ed. pr. [4] voluptatem] voluptatem carnalem, A.B.C. ed. pr. [5] faciant] faciat, D. [6] matrimonium] om. D. [7] convertuntur] differunt, A.C. secundae manus.

in uxorem,' tunc per ante est verum, quod 'te accipiam in uxorem;' et si sit verum quod 'te accipiam pro uxore[1],' tunc pro tempore suo est verum quod 'te accipio in uxorem.' Cum ergo cum verbis de futuro sit consensus compossibilis, et verba illa sunt vera atque in Domino[2] ordinata, quomodo licet verba illa frustrare per verba sequentia de praesenti, quae non sunt tantae efficaciae? Judex ergo capitularis sic judicans divino judicio contradicit. Et eodem modo videtur mihi mirabile quod carnalis copula, quae communiter est peccatum, confirmet vel faciat matrimonium, cum Deus non dignatur ad complendum suum opus habere tale adjutorium, et specialiter cum consensus sit in anima, et secundum philosophorum principia materiale non agit in immateriale; qua ergo regula foret idem[3] matrimonium bis completum, primo in contractu conjugum per se facto, et secundo in solenni ritu ad ostium ecclesiae a sacerdote per verba nugatoria et falsa communiter celebrato[4]?

*Alithia.* Videtur mihi quod induis Pseustis habitum et capitulares leges ecclesiae non admittis, quod non est viri prudentis facere.

*Phronesis.* Dixi tibi in principio, quod a me non expectes fundationem harum legum vel rationabilitatem earum; sed placet mihi quod ex facto et deductionibus satis certis cognoscam versutias et infidelitates in illis, ut sic eas cautius caveam et doceam quod a fidelibus caveantur. Nec video quomodo diabolus istas versutias introduxit, nisi ut suspendat hortationem sanctam et praedicationem praelati, quae legem conscientiae adjuvarent.

Cum matrimonium effigies sit matrimonii spiritualis, quod Christus cum ecclesia iniit, quaeritur quomodo Christus ecclesiam sibi desponderit.

Ideo suspensa tota hac lege capitulari, notandum est[5] quomodo Christus est cum sua ecclesia desponsatus. Ecclesia enim quandoque accipitur[6] reputative[7], modo quo solemnisantur multi praelati ecclesiae; et istum sensum vel modum loquendi non approbo. Sed vere dicitur *ecclesia* corpus Christi mysticum[8], quod verbis praedestinationis aeternis est cum Christo

[1] pro uxore] in uxorem, D. [2] in Domino] a Domino, D. [3] idem] illud, B. secundae manus. [4] celebrato] celebrata, A.B.C. [5] notandum est] notandum tibi est, ed. pr. [6] accipitur] recipitur, B. secundae manus; capitur, B. primae manus, ed. pr. [7] reputative] solum reputative, D. [8] mysticum] mixtum, ed. pr.

sponso ecclesiae copulatum; et talis est triplex ecclesia, scilicet militans, dormiens et triumphans. *Militans* est corpus praedestinatorum, dum hic viat ad patriam; ecclesia *dormiens* est praedestinati in purgatorio patientes; et ecclesia *triumphans* est beati in patria quiescentes. Una autem magna ecclesia fiet de omnibus illis in die judicii. Nec est inconveniens sed consonum, quod beati angeli sint pars ecclesiae. Ex istis videtur, quod non solum quantitatem ecclesiae sed ejus quidditatem communiter ignoramus; et hoc prodest nobis, ne hic stulte de qualitate personarum nobiscum militantium temere judicemus. Sicut ergo nemo nostrum scit modo, utrum alius sit praedestinatus filius ecclesiae vel praescitus, sic non debet judicare aliquem[1] esse membrum ecclesiae, vel ipsum damnare excommunicare, canonisare vel aliter declamare[2], nisi forte hoc fuerit sibi revelatum. Reputare tamen debemus recte nobiscum viventes esse filios sanctae matris ecclesiae, et contrarie viventes esse filios synagogae Satanae[3]. Et cum nemo faceret contra conscientiam[4] filios[5] diaboli nutriendo, videtur quod nemo tribueret temporalia praelatis vel aliis conversantibus malitiis criminalibus notorie irretitis[6]. Et haec regula extingueret praelatias[7], sic quod sacerdotes simpliciter studeant quomodo prodessent sanctae matri ecclesiae, sicut fecerunt apostoli tempore[8] ecclesiae primitivae; secundo excuteret leges hominum, et specialiter censuras Caesareas[9] jam regnantes. Nam ut patet ex dictis de quidditate ecclesiae, judices errant communiter in factis istis, ac si de praedestinatis ac diabolis judicarent; et sic tertio staret lex scripturae per se sufficiens et foret debite adornata[10], et leges profanae extraneae, quae sunt ad onus et perturbationem ecclesiae, forent penitus extirpatae. O si[11] in via videbimus illum finem[12], quia certus sum, quod in alio seculo illum exitum cognoscemus. Matrimonium autem hominum scimus a matrimonio Christi et ecclesiae exemplandum[13].

[1] aliquem] aliquod, ed. pr. [2] declamare] declarare, B. primae manus, ed. pr. [3] synagogae Satanae] cf. Apocal. ii. 9. [4] conscientiam] conscientiam suam, B.C. ed. pr. [5] filios] plus, ed. pr. [6] notorie irretitis] vel peccatis spiritualibus notorie irretitis, ed. pr.; partim ad verba codicis C. correcta. [7] praelatias] praelatias Caesareas, D. [8] tempore] om. A.B. [9] Caesareas] ecclesiasticas, ed. pr. [10] adornata] adorata, D. [11] O si] si, A.B.C. [12] si—finem] om. B., A. primae manus. [13] exemplandum] extrahendum, A.B.

## CAP. XXIII.

*De sacramento poenitentiae et ejusdem partibus.*

Ratio scholastica distribuendi poenitentiam in tres partes, contritionem, confessionem, satisfactionem, dijudicatur.

*Alithia.* Video quod institutiones humanae, quae vocantur leges matrimonii, modicum placent tibi. Ideo dic[1], rogo, sententiam tuam *de sacramento poenitentiae.* Et primo videtur mihi difficile ipsum describere propter aemulos captiosos. Cum enim dicitur communiter, quod poenitentia habet tres partes ut cithara, scilicet cordis contritionem, oris confessionem et operis satisfactionem, videtur difficile signare genus poenitentiae, cum ista tria sint diversa in genere.

*Phronesis.* Non imagineris, quod istae sint partes quantitativae qualitativae vel quidditativae poenitentiae, ut ratio tua innuit; sed poenitentiam intelligo formam, qua contritus dicitur formaliter poenitere, et sic apparet mihi poenitentiam in mente consistere. Alia autem, quae vocantur partes poenitentiae, sunt sibi accidentia, ipsam ut communiter complentia, et juxta illud psalmi, 'confitebor tibi in cithara Deus meus[2],' signantur communiter per partes citharae corporalis; ita quod[3] suprema pars citharae, in qua infiguntur clavi, notet cordis contritionem, et grossa ac concava pars citharae quae sonum causat, significet oris confessionem, tertia autem pars citharae, quae connectit has duas ad invicem, significet operis satisfactionem; et sic lyrae[4] sunt quasi particulares expressiones peccati hominis quod commisit, ad quod prosunt digiti praelatorum. Et sic est multiplex poenitentia aggregata, prima est solum in animo et insensibilis, qua[5] contritus Domino confitetur; illa autem licet sit parvipensa, est tamen virtute maxima, sine qua aliae nihil valent. Secunda vero est poenitentia aggregata ex illa et expressione vocali singulariter facta Deo, et sic tam patres legis veteris quam patres novi testamenti[6] communiter sunt confessi. Sed tertia

[1] dic] modicum dic, B. ed. pr. [2] Ps. lxxi. (lxx.) 22. [3] ita quod] ista, ed. pr. [4] lyrae] D.: lirae; breviter, A.B.C. [5] qua] quia, ed. pr. [6] patres novi testamenti] fratres novi testamenti, D.

est poenitentia aggregata ex duabus prioribus et promulgatione secreta private facta presbytero; et ad istam poenitentiam nimis[1] attendimus propter lucrum. Utrum autem ista poenitentia tertia sit de necessitate salutis, vel qua auctoritate introducta fuerat, est dissensio apud multos. Sed oportet credere *Johanni de Deo* in hac parte, qui in glossa ordinaria Decretorum dicit post multas opiniones quas reprobat, quod *Innocentius tertius* hanc invenit, et pro ejus confirmatione hanc legem statuit, 'Omnis utriusque sexus,' quae in quinto Decretalium expressatur[2]. Mihi autem videtur, ut explanavi diffusius, quod foret ecclesiae utilius, ut de prima poenitentia et secunda ecclesia contentetur[3]; sed licet tertia multis noceat et multa mala utrique parti ingerat[4], verumtamen facit ecclesiae multa bona. Ideo cum *posset* bene fieri, videtur mihi quod sit ex suppositione necessaria et sic est simpliciter necessaria[5], quia aliquibus quos Deus ad hoc praeordinat taliter confiteri, cum multi ex erubescentia Deo[6] confitendo peccatum commissum, et ex completione[7] poenitentiae injunctae, cum timore alias taliter confitendi, a peccato iterum committendo communiter se praeservant; sed non credat aliquis, quin sine tali confessione auriculari stat hominem vere conteri et salvari, cum Petrus injunxit generalem poenitentiam, ut patet Act. ii.[8], et suffecit; imo aliter omnes mortui a tempore ascensionis Christi usque ad *Innocentium tertium* forent damnati, quod nefas est credere, cum supponimus, quod sub ista lege papali et ejus servantia plures damnantur quam damnati fuerant sine illa. Similiter nemo absolvens communiter scit gravedinem peccati confessi, sicut nescit si confitens sit contritus, et bene scit quod aliter non deletur peccatum; quomodo ergo mentiendo super Christum tam frontose absolveret, et poenitentiam, cujus proportionem ad peccatum ignorat, injungeret? Similiter non licet onerare ecclesiam cum novis traditionibus et specialiter suspectis, cum priores sufficiant[9]. Sed leges de confessionibus in scriptura expressae

Num confessio oris coram presbytero ad salutem necessaria sit, disputatur.

[1] nimis] magis, A.B.C. ed. pr. [2] cf. Decretalium, lib. V. tit. xxxviii. c. 12. [3] contentetur] contentaretur, D. [4] ingerat] ingerit, ed. pr. [5] necessaria] necessarium, B.C. ed. pr. [6] Deo] de, ed. pr. [7] ex completione] expletione, A.B. primae manus, ed. pr. [8] Act. ii.] Act. iii., A.; cf. Act. ii. 38. [9] sufficiant] sufficiunt, ed. pr.

per mille annos et amplius suffecerunt, quomodo ergo est lex de poenitentia tertia tam improbabilis introducta? Videtur[1] mihi, quod ista observantia hujus legis papalis debet admitti praecise de quanto discretio confitentis judicat ipsam[2] sibi proficere.

*Alithia.* Video, frater, quod istam legem papalem parum ponderas, et videtur mihi, quod per idem confessiones factas limitatis confessoribus modicum ponderares[3], et sic absolutionem a poena et a culpa et plenam remissionem concessam a papa et per idem peccati gravedinem, quam praelatus fulminando excommunicationem horribilem saepe generat[4]. Et sic diffinitio Romanae curiae in talibus deperiret.

*Phronesis.* Non video quin multa vera innuis[5], cum in fide scripturae sine novis additionibus de Romana curia satis exprimitur, quomodo quis debet vivere; quo servato sequitur ex fide, quod vitam illam perficiens sit salvandus. Unde omnes dictae[6] fictitiae sunt ut communiter promulgatae ad subjectionem et fallacem obedientiam papae[7] reservandam. Et sic certum est quod[8] blasphema cupiditas est damnabilis radix hujus. Prospiciamus igitur in lege perfectae libertatis[9], quid praecipitur et mandatur a Domino, et illud perficiamus et a vetito abstineamus absque attendentia ad leges ordinatas noviter, et est satis. Unde quod super est, nedum[10] *a malo* est, sed[11] *est malum*, communiter caecans multos. Et sic de omnibus votis, promissionibus et aliis privatis observantiis consideret fidelis omnipotentiam[12] Jesu nostri, et trahat[13] totam intentionem animi ad futurum vivendo perfectius, ut prodest ecclesiae, et de vita mala praeterita poeniteat, confirmans in ipsomet[14] propositum non ulterius sic peccandi. Et ut videtur mihi, sufficit ad culpam delendam et ad salvationem, quomodocunque superiores contrariantur isti sententiae. Sed in omnibus istis debet fidelis cavere ne cum Deo sophisticet. Et quantum ad illud dictum

[1] videtur] videtur ergo, ed. pr. [2] judicat ipsam] indicat ipsa, ed. pr. [3] ponderares] ponderas, A.B. secundae manus. [4] generat] gravat, A.B.C. ed. pr. [5] innuis] minus innuis, ed. pr., B. primae manus. [6] dictae] illae dictae, A.B.C. ed. pr. [7] papae] populi, ed. pr. [8] certum est quod] om. ed. pr. [9] cf. Jac. i. 25. [10] nedum] nondum, C. primae manus, ed. pr. [11] sed] et, A. B. [12] omnipotentiam] opinionem, A.B.C. secundae manus. [13] trahat] trajiciat, ed. pr. [14] ipsomet] ipso, A.B.C.

De potestate clavium.

Christi Matthaei xvi., 'quodcunque ligaveris' etc., quaerat fidelis a pseudo episcopo dictum hoc Domini allegante, si ex sanctitate vitae suae, quae sit vitae Petri similis, sit verus Petri vicarius; quod si praesumptuosus hypocrita frontose sic asserit, quaeratur prudenter similitudo vitae illius ad Petrum, et specialiter in gratia faciendi miracula et humili paupertate. Petrus enim non praesumpsit se habere hujusmodi potestatem; a quo signo ergo hypocrita talis sic asserit, cum contentiosa et defensata assertio contradicit? Et cum non probat nec sufficit probare, quod sit verus Petri[1] vicarius aut membrum ecclesiae, quid ad illum, quod Deus beato Petro potestatem hujusmodi repromisit, cum ille nec est Petrus nec ex humilitate et vita sancta ejus vicarius? Si autem vicariam Petri non sic stulte in se asserit vel praesumit, quid hoc allegatum ad ipsum, ut praesumat taliter supra Petrum? Non enim videtur hoc dictum in Petro ulteriorem sapere potestatem, nisi quod omne quod ligaverit vel solverit super terram conformiter ad Christi judicium et ecclesiae triumphantis[2], erit solutum et in coelis. Quod si erraverit in solvendo subditos vel ligando, quid sibi et hujusmodi dicto Petro[3]? Quod si propter talem repugnantiam excommunicat vel damnat vel comburit sic loquentem tanquam haereticum infidelem, quis dubitat quin ista foret caeca praesumptio antichristi? Non enim est fides ecclesiae, quod ipse sit[4] verus Petri vicarius vel salvandus. Nec sequitur, si talis antichristiana praesumptio omnino cessaverit, quod pereunt claves vel salus ecclesiae, quin potius omni[5] tali pompa cessante et omni tali absolutione et excommunicatione Caesarea, in personis nobis incognitis Christum humiliter confitentibus staret ecclesia. Quid, rogo, magis haereticum, quam quod tales[6] personae sic vivendo forent ex pacto, propter consensum Simoniacum, vicarii sancti Petri? Talem ergo pompam haereticam per antiphrasim allegatam potest Deus fidelibus suis ostendere et extinguere quando volet. Vivamus ergo in fide filii Dei, hoc est in lege scripturae Domini Jesu Christi, et conformemus nos illi quantum sufficimus et contemnamus praesumptivas pompas hujusmodi antichristi, et

[1] Petri] Christi, A.B.C. ed. pr. [2] triumphantis] om. A.B.C.
[3] Petro] Petri, A.C. [4] sit] om. ed. pr. [5] omni] om. A.B.C.
[6] tales] om. A.

Deus providebit fidelibus suis ex perfidia ista passis. Nam passos ex timore nocturno a sagitta volante in die[1] et negotio perambulante in tenebris[2], credimus esse martires gloriosos, quare ergo non passos ab incursu et daemonio meridiano, quod est quartum[3] et maximum matris nostrae periculum permissum a Deo in manifestissimo antichristo. Tales inquam antichristi discipuli habent claves inferni et non coeli, cum claves regni coelorum sunt potestates ligandi et solvendi in humilitate et ceteris virtutibus fundatae et limatae per fidem scripturae a rubigine antichristi.

## CAP. XXIV.

### *De signis verae contritionis.*

*Alithia.* Dic rogo, frater mi Phronesis, a[4] quo signo capere possumus veram[5] contritionem vel peccati deletionem, quia acute, licet obscure, antichristi versutiam detexisti. Et numquid illae sectae Caesareae et novellae, quae dimittunt[6] Christi regulas et attendunt appretiantes novas regulas adinventas, in hoc peccant aut vere poenitent, dum acutissime et fortissime istas[7] servant?

Quid ad veram cordis contritionem atque ad remissionem peccatorum requiratur.

*Phronesis.* Tam fideles nostri quam adversarii, discipuli antichristi, concorditer[8] confitentur, quod ad peccati deletionem requiritur habere veram cordis contritionem. Unde dispositionem primam doloris, quae non sufficit ad deletionem peccati, vocant *attritionem*, et sequentem dolorem sufficientem vocant *contritionem*. Sed nec inter istas sciunt distinguere vel contritionem cognoscere[9]. De contritione autem dixi in tertia parte sermonum LXIV., quod est dolor sufficiens ad deletionem peccati, quem oportet esse majorem de amissione gratiae, quam de amissione[10] cujuscunque commodi temporalis. Et quam diu talis gradus de dolore peccati peccanti defuerit, non contritione

[1] in die] om. A.B.C. ed. pr. [2] cf. Ps. xci. (xc.) 5, 6. [3] quartum] probatum et, A.B.C. om. ed. pr. [4] a] de, C.; in, B. primae manus; ex, ed. pr. [5] veram] veram cordis, D. secundae manus. [6] dimittunt] dimittunt tunc, D. [7] istas] ista, D. ed. pr. [8] concorditer] conformiter, B. primae manus, ed. pr. [9] Sed nec inter istas sciunt distinguere vel contritionem cognoscere] om. A.B.C. [10] amissione] amissione dolor, ed. pr.

de amissione sponsi ecclesiae[1] plene dolet. Nec est doloris quantitas attendenda penes intensionem solummodo, vel solum penes extensionem temporis, sed oportet ad ista duo et *modum*[2] *dolendi* simul attendere. Ex quibus videtur, quod[3] quam diu sumus in via, oportet habere dolorem peccati in actu vel habitu, cum dolorem pro temporalibus continuamus[4] per tempus notabile. Ex istis etiam videtur ulterius, quod vere contritus peccatum praeteritum iterum non committit, quia, si committeret, quantitatem doloris debiti vel extensive vel intensive amitteret. Et sic vere dicunt doctores, quod poenitere est peccata praeterita plangere et plangenda[5] iterum non committere. Et ex istis videtur ulterius, quod solum praedestinatus de peccatis praeteritis est contritus; praescitus enim interrumpendo dolorem docet non adesse contritionem. Et ex istis videtur ulterius, quod sicut papa et confitentes ceteri ignorant qualitatem praesciti vel praedestinati, sic ignorant, qui homines sunt contriti. Et ex istis patet ulterius, quod Luciferina foret praesumptio, homines adinvenire noviter sine fundatione, quod hunc vel illum per impositionem manuum capiti absolvunt[6] simpliciter a peccato. Quid, rogo, facit hoc signum sensibile, bulla cum plumbo, vel datio pecuniae, ad contritionem animi peccatoris? Revera non plus facit ad deletionem peccati, quam ad sanctificationem peccatoris[7]. Ideo tales confessores communiter mendaciter se ipsos decipiunt et confessos. Et patet quod in spe[8] misericordiae Jesu Christi et doloris firmi ac sancti propositi, potest viator topice capere in se ipso, quod peccatum suum deletur vel quod in animo sit contritus.

Ulterius quantum ad quaestiones[9] ulteriores firmiter tene[10] et nullatenus dubites, quin istae sectae novellae peccant graviter contra Christum in hoc quod ordinationem ejus contemnunt et in ordinatione sua frivola plus delectantur[11]. Unde provide videtur ac si praevaricarentur in aliquo mandato decalogi, et praevari-

Monachi atque fratres mendicantes Christi regulam deserentes novas vero regulas acriter observantes magnopere peccant.

[1] cf. Matth. ix. 15. [2] et modum] in modo, A.B.C. ed. pr. [3] quod] om. A.B.C. ed. pr. [4] continuamus] continemus, A.B.C. secundae manus. [5] plangenda] plancta, A.B. primae, C. manus. [6] absolvunt] absolverent, A.B.C. ed. pr. [7] quam—peccatoris] om. A.B.C. ed. pr.; habet, D. secundae manus. [8] spe] spem, ed. pr. [9] quaestiones] conclusiones, A.B.C. ed. pr. [10] tene] crede, A.B. secundae manus, C. [11] delectantur] delectant, D. ed. pr.

cationem illam pertinaciter contra Deum defenderent. Sed ubi foret major haeresis aut plus damnabilis? Debent enim possessionati nostri cognoscere tam ex vita Christi et apostolorum quam ex lege scripturae, quod dotatio talis repugnat statui, quem nomine tenus, licet false et intentione subdola profitentur; et tamen cum isto fraudulento nomine machinantur sollicite, quomodo possessiones illas possunt augere, in mundo defendere et impugnantes extinguere. Repugnat autem divinae justitiae mentes hujusmodi non punire. Et eadem est consideratio de fratribus, qui blasphemant in Deum et partem suam defendunt magis sollicite, ac in nomine Domini detegentes earum fraudes asperius persequuntur. Et idem est judicium de amore status aut legis Caesareae vel papalis, statu vel lege Domini praetermisso. Istud, inquam, peccatum gravissimum non potest deleri verbis floridis vel pomposis aut signis sensibilibus, absolutionibus vel indulgentiis adinventis, specialiter dum affuerit satisfaciendi opportunitas et possibilitas, et durandi in peccato pertinacitas. Quis ergo prudens et videns animum mentientis quod non vult ultra delinquere, et cum hoc[1] manum[2] suam extentam ut parate malefaciat, peccatum commissum dimitteret[3], et sic parantem se ad peccandum ulterius in corde diligeret? Deus autem intuetur corda et intentiones hominum ac quantitates et circumstantias passionum. Ideo non expedit blasphemare in eum, quod ipse propter signum sensibile adinventum simpliciter deleat maculas praescitorum; quae enim[4] foret magis blasphema praesumptio quam hosti Dei false promittere, quod faciat Deum sibi placatum[5] licet Deus[6] secundum legem aeternam et plenam[7] justitiam contradicat? Per hoc enim dant falsi confessores et praelati membris antichristi audaciam ad sua crimina defendendum et partem suam contra Christum nimis pertinaciter usurpandum, ac si magis praesumerent[8] dominari in Christum, quam[9] Lucifer vel ejus discipulus antichristus. Considerent ergo

[1] hoc] om. B. primae manus, D. ed. pr. [2] manum] videns manum, D. secundae manus. [3] commissum dimitteret] commissum omitteret, A. secundae manus; dimittet commissum, ed. pr. [4] enim] ergo, B. primae manus, ed. pr. [5] Deum sibi placatum] Deum ejus amicum, A.B.C.; Dominum sibi placitum, ed. pr. [6] Deus] Dominus, ed. pr. [7] plenam] planam, ed. pr. [8] praesumerent] praesumeret, ed. pr. [9] quam] quoniam, ed. pr.

saeculares domini, quomodo episcopi habentes a rege terrena dominia et cum hoc custodiam latronum in carcere, ne aufugiant et regnum furtive maculent[1], dum haec fecerint episcopi debent pro illis furibus respondere; quanto magis, si papa episcopi et frivoli confessores habent a Deo limitatum carcerem, cum ceteris donis Dei, ad maleficos castigandum, et cum hoc proditorie Deo et regnis animant verbis suis haereticis ad ulterius[2] contra Dei justitiam regnum ejus et populum maculandum. Nonne credimus, quod tales praelati respondebunt Deo pro istis furibus, quos tam false et proditorie[3] animant contra legem Christi ad ejus populum maculandum et ejus regnum quo ad fructus virtutum diabolice destruendum? Radix autem istius malitiae est superbia antichristi et praesumptio contra pauperiem Christi et discipulorum suorum, qua[4] ordinationem Christi occasione caecae ordinationis Caesareae diruperunt; suggessit enim illis diabolus, quod cum sic mundane dominantur in clero, oportet ad fundandum[5] suum falsum dominium, quod blaspheme[6] fingant eis potentiam spiritualem. Nec est qui impugnet illam potentiam, cum non sit[7] sensibilis, et habent potestatem de regibus ad omnes suos adversarios tanquam haereticos comburere[8]. Sic, inquam, fuit praetensa potentia antichristi subdole introducta.

## CAP. XXV.

*De sacramento extremae unctionis.*

*Alithia.* Sufficiunt, frater Phronesis, dicta de ista materia. Sed dic rogo parum de ultimo sacramento, quod vocatur *extrema unctio.* Fundatur autem[9] in illo dicto Jacobi v., 'Infirmatur quis ex vobis' etc.

Num sacramentum extremae unctionis loco Jacobi v. 14. quasi sufficienti fundamento nitatur.

*Phronesis.* Ista videtur nimis levis fundatio sacramenti, cum fidelis posset dicere satis probabiliter, quod iste sanctus apostolus

1 maculent] maculant, ed. pr. 2 ad ulterius] om. ed. pr. 3 proditorie] proditorie Deo et regnis, A.B.C. ed. pr. 4 qua] contra, C., B. primae manus, ed. pr.; qua contra, D. 5 fundandum] fundendum, ed. pr. 6 blaspheme] blasphemiae, ed. pr. 7 sit] om. ed. pr. 8 comburere] comburendum, ed. pr. 9 autem] enim, A.B.C. ed. pr.

non specificat[1] infirmitatem finalem, sed consolationem faciendam a presbytero, dum aliquis infirmatur; et quia per viam naturae oleum habundans in illis partibus valet ad corporis sanitatem. Ideo talem meminit unctionem, non quod illud oleum agat in animam, sed quia oratio effusa a sacerdote devoto mediat[2] quandoque, ut Deus infirmati[3] animae suffragetur. Si enim ista corporalis unctio foret sacramentum, ut modo fingitur, Christi et ejus[4] apostoli ejus promulgationem et executionem debitam non tacerent. Concedo tamen tibi, quod ista corporalis unctio est aliquibus caeteris paribus sacramentum, sed[5] oportet tunc, quod presbyteri mereantur[6] suis devotis orationibus infirmatis. Cave tamen ne nimis leviter[7] verba apostoli sic intelligas. Potes enim[8] ad tantum errare ut credas, quod eo ipso quo sacerdos oraverit pro infirmo, si aliquod peccatum habuerit, remittetur, cum tamen multi infirmantur saepius et saepe unguntur, qui ad damnationem perpetuam sunt praesciti. Nec est credendum quod in quantum presbyter sic facit, oratio suae fidei salvabit infirmum, cum tunc foret fides ecclesiae, quod quicunque in extremis istud receperit[9] sacramentum, ex fide Christi salvabitur, et tunc foret summe necessarium[10] inter omnia sacramenta, cum recipiens alia potest decedere[11] finaliter impoenitens et damnandus, et sic potest indubie istud recipiens sacramentum. Ideo debet subintelligi, quod si sacerdos, quem Deus ad salvationem infirmi sic ordinavit, conformiter ad istam ordinationem Dei oraverit, tunc salvabitur taliter infirmatus. Non enim est fides, sed in casu spes, quod iste sacerdos salvabitur; quomodo ergo foret fides presbytero, quod iste infirmus salvabitur, et specialiter cum sacerdotes regulariter carent revelatione de salvatione infirmi. Et sic in sacramento baptismatis, in sacramento confirmationis et cunctis aliis antichristus ritus infundabiles adinvenit, et ad onus ecclesiae extra fidem scripturae supra fideles subditos cumulavit, sacramenta autem alia

[1] specificat] specivocat, ed. pr. [2] mediat] medicat, A.C. ed. pr. [3] infirmati] infirmitati, B. primae manus, ed. pr. [4] ejus] ceteri, B.C. ed. pr. [5] sed] et, A.B.C. [6] mereantur] mererentur, ed. pr.; merentur, A.B.C. [7] leviter] levis leviter, ed. pr. [8] enim] tamen, ed. pr. [9] receperit] recepit, B.; reciperet, D. ed. pr. [10] summe necessarium] necessarissimum, A.B. primae manus, D.; necessitatissimum, ed. pr. [11] decedere] decidere, A.B.C. ed. pr.

necessaria praetermisit, ut patet de septem operibus spiritualis misericordiae, quae debent apud fideles et specialiter presbyteros esse sacramentum. Sed hoc[1] sacramentum, licet sit valde necessarium, quia tamen[2] caret lucro temporalium et est praepositis taediosum, ideo est infideliter praetermissum. Unde videtur mihi singulos, qui instituunt tales privatos ordines et dant generaliter regulas, ut talia sacramenta universaliter a subditis sint accepta, in Deum blasphemare, specialiter cum Deus vult salvare multos sine acceptione hujusmodi sacramenti. Quae ergo antichristiana praesumptio, praelatum asserere et infundabiliter confirmare, quod nemo salvabitur sine acceptione hujusmodi sacramenti! Utrum autem licet sic uncto infirmato postmodum incedere super terram, et utrum oportet presbyterum habere evidentem notitiam, quod sic unctus terram amplius non calcabit, et utrum reiterari poterit hoc sacramentum[3], est dubitabile apud multos. Sed relinquo stolidis hujusmodi difficultates inutiliter[4] pertractandas, unum asserens a mihi probabili[5], quod sic infirmatus et unctus ac postmodum in corpore convalescens, cum vivit tempus posterius, non tunc recipit sacramentum ultimum[6] unctionis.

## CAP. XXVI.

*De ministris ecclesiae, praesertim de mendicantibus.*

*Alithia.* Dic, rogo, frater, *de speciebus ministrorum eccclesiae*, quia videtur mihi quod in ista materia superflue tempus occupas et derides.

*Phronesis.* Constat mihi, quod irrisio in casu sit licita et meritoria irridenti, cum Christus, Helias et apostolus[7] irriserunt. Quare ergo non licet nobis in declarationem fidei haereticos irridere? Quia tamen virtus istius irrisionis consistens in medio

[1] hoc] hoc est, B. secundae manus. [2] tamen] cum, ed. pr. [3] hoc sacramentum] hoc sacramentum extremae unctionis, D. ed. pr. [4] inutiliter] om. A.B.C. [5] a mihi probabili] probabile, ed. pr. [6] ultimum] ultimae, ed. pr. [7] apostolus] apostoli, B.C. secundae manus.

est rariter[1] invenibilis atque difficilis, ideo volo ab hujusmodi irrisionibus me servare, et loqui tibi de speciebus ministrorum ecclesiae. Christus autem fuit summus minister ecclesiae[2], cum secundum apostolum fuit minister circumcisionis[3]. Nec credo quod aliquis sit minister matris nostrae laudabilis, nisi in conversatione Christi fuerit exemplatus. Ideo videtur mihi nimis difficile, istos novellos ordines stabilire. *Tria* autem ponuntur *genera ministrorum* ecclesiae sub se multas species continentia, quorum primi et infimi sunt simplices laborantes. Secundi medii[4] sunt potentatus ordinationem[5] Christi in ecclesia defendentes. Sed supremi et ultimi sunt sacerdotes Christi recte ejus evangelium praedicantes; et isti debent[6] esse quasi anima corporis[7] matris nostrae. In istis autem est major deceptio, cum antichristus habet sub specie cleri procuratores duodecim contra Christi ecclesiam machinantes, cujusmodi ponuntur communiter papae et cardinales, patriarchae et[8] archipraesules, episcopi et[8] archidiaconi, officiales et[8] decani, monarchi et canonici bifurcati, pseudofratres introducti jam ultimo et quaestores. Omnes autem isti duodecim, et specialiter praelati Caesarei et fratres infundabiliter introducti, sunt manifesti discipuli antichristi, quia libertatem Christi tollunt ac onerant sanctam ecclesiam et impediunt ne lex evangelii currat libere sicut olim.

De ecclesiae ministris eorumque generibus.

Sed quia inter octo pericula quae Paulus meminit, periculum maximum et ultimum est in *falsis fratribus*[9], ideo de ipsis aliquid est dicendum. Unde cum ipsi fingunt mendaciter, quod ante incarnationem Domini fuerant introducti, videndum est, quomodo sunt catholice[10] describendi. Ponit autem *Lincolniensis* in quodam sermone, quod generaliter claustralis[11] privati ordinis, sed specialiter frater, est 'cadaver mortuum de sepulchro egressum, pannis funebribus[12] involutum, a diabolo inter homines agitatum.' Est, inquit, '*cadaver mortuum*,' quia licet vivat vita valida corporali, tamen est mortuus in[13] anima, quod est plus et verius

Separatim fratres mendicantes describuntur.

[1] rariter] rarenter, D. ed. pr. [2] Christus autem—ecclesiae] om. A. primae manus, B.C. [3] cf. Rom. xv. 8. Cod. B. addit verbo 'circumcisionis:' Hebr. viii., et Rom. viii. [4] secundi medii] secundi et medii, ed. pr. [5] ordinationem] ordinationum, ed. pr. [6] isti debent] ista pars debet, A.B.C. ed. pr. [7] corporis] corpori, ed. pr. [8] et] om. ed. pr. [9] cf. 2 Corinth. xi. 25 sqq. [10] catholice] om. A.B. [11] claustralis] claustrales, B. ed. pr. [12] funebribus] funeralibus, B.C. [13] in] om. ed. pr.

mors, quam mors hominis corporalis, juxta illud 1 Timoth. v.: 'vidua, quae in deliciis versatur, ea vivens mortua est.' Est autem cadaver putridum atque foetens, quia vita corporis naturalis de lege Dei deberet[1] esse a vita spirituali animae derivata. Sed secundo '*egreditur de sepulchro*,' quia ut asserit, quattuor claustri sui parietes ipsum includunt tanquam mundo mortuum et clausum inibi ac sepultum. Sed quia claustrum animae est infinitum praestantius quam claustrum hominis corporale, ideo notandae sunt quattuor virtutes cardinales, scilicet justitia fortitudo prudentia et temperantia, et notandum est ecclesiae, quomodo fratres istas quattuor parietes lacerant et disrumpunt, et per consequens egrediuntur de claustro animae, fideles ecclesiae perfide maculantes. Et quia irreligiose[2] attendunt ad signa sensibilia, fructus eorum nimium dimittentes, ideo Christus et suus apostolus vocaverunt eos hypocritas, et hinc ad decipiendum ecclesiam utuntur ultra religionem Christi *pannis funeralibus*[3]. Et cum secundum Jacobum 'sapientia mundi sit terrena animalis diabolica,' duplicant[4] isti hypocritae in triplici vestimento: quidam enim russeto signante laborem eorum desuper sunt vestiti, et vestimento albo signante mentis munditiam intrinsecus vestiuntur; alii autem pannis funebribus nigris desuper sunt vestiti, quos dicunt signare suum moerorem ac dolorem continuum pro peccato, vestimentis autem albis induuntur interius[5] ut priores; tertii vero induuntur vestibus albis quo ad apparentiam mundi extrinsecus, et intrinsecus ad denotandum laborem suum in ecclesia russetis vestimentis vestiuntur; sed quarti vestiuntur ut secundi nigris vestibus atque albis, sed in figura habitus et forma sculpturae[6] variantur a duobus sequentibus sicut primi; dicunt enim quod figurae difformitas attestatur sui corporis vilitatem, et zona qua cinguntur nodaliter, signat in eis, ut referunt, poenam anxiam et continuam corporalem. Sed revera signata ista non vidimus, cum jam non sunt prophetae sed hypocritae false[7] populum seducentes. Et sic claustrum corporis supra claustrum animae plus attendunt,

[1] deberet] debet, A.B.C. [2] irreligiose] religiosi, A. [3] funeralibus] funebribus, C. ed. pr. [4] duplicant] diversificant, A.C. secundae manus. [5] interius] internis, ed. pr. [6] sculpturae] sepulturae, ed. pr. [7] false] falsae, ed. pr.

fingunt enim quod in claustro corporis, cui[1] coelum et coelestia suo conspectui praesentantur, herbae crescentes in claustro signant in eis virorem[2] virtutum supra alios mundiales, et arbor in claustro medio signat scalam, secundum quam gradibus virtutum aspirant ad coelestia acquirenda. Sed ubi est major falsitas hypocritica adinventa? cum comedunt de illo ligno vetito in medio paradisi, et intoxicant radicaliter totum genus hominum ipsos sequens. Et quantum ad ultimam[3] *Lincolniensis* particulam, quod tale cadaver sit '*a diabolo inter homines agitatum*,' non dubium fideli, quin tales disrumpentes claustrum animae a diabolis agitantur, cum ipsi diaboli plus amantes hypocrisim et talem deceptionem humani generis necessario concurrunt ad istam fallaciam haeresis[4] vigorandam. Peccatum enim hypocrisis cum sit[5] veritati primae contrarium, et plus populi seductivum, est attente per diabolum confirmatum. Et patet ista quarti membri[6] descriptio, quam ponit iste sanctus episcopus et declarat. Et idem declarat beata *Hildegardis* in prophetia sua expressius, antequam isti fratres fuerant introducti.

## CAP. XXVII.

### *De fratrum haeresibus:* I. *super Eucharistia.*

*Alithia.* Rogo te, frater, dicas diffusius, quomodo istae sectae commiscent[7] haereses blasphemas in Christum ad ejus ecclesiam seducendum.

Monachorum mendicantium sententiae tres acerrime impugnantur.

*Phronesis.* Tres blasphemias de multis ostendi populo de istis fratribus in vulgari: prima est de quidditate sacramenti altaris; secunda de mendicatione Christi, et tertia est[8] de literis fraternitatum falsissimis, per quas acquirunt quasi reditus a

[1] cui] tantum, ed. pr. [2] virorem] veriorem, B.; viror i.e. color virens, succus et vis nativa. [3] ultimam] ultimam quartam, B.C.; quartam, D. ed. pr. [4] fallaciam haeresis] falsam haeresim, B.C. primae manus. [5] sit] sit principium, A.B. primae manus; sit praecipuum, ed. pr. [6] quarti membri] quadrimembris, C. primae manus; quadruplici membri, ed. pr. [7] commiscent] comminiscent, ed. pr. [8] est] om. ed. pr.

plebe paupere, et cum hoc confoederationem a potente populo, per quam subdole[1] in Christi ecclesia defendantur.

Doctrina de transsubstantiatione in sacramento eucharistiae de errore haeretico atque blasphemia rursus accusatur.

Dixi autem superius in principio hujus quarti[2] per novem capitula, quanta blasphemia utuntur fratres in hoc venerabili sacramento. Ponunt enim, ut ad partem satis didici, quod ipsa consecrata hostia sit accidens sine substantia subjecta, sive[3] nihil, et hoc publicarunt, sed tacite, *Londoniis* in generali eorum *concilio terraemotus;* posuerunt enim ibi publice, quod in sacramento altaris sit accidens sine subjecto, quod accidens non possunt fingere nisi ipsam hostiam consecratam, aliter enim nescirent dicere hujus hostiae quidditatem, nec fingere quomodo virtute benedictionis suae sit[4] accidens sic miraculose sine subjecto, nisi ipsum accidens foret ipsum sensibile sacramentum, cum fingunt ut fidem, quod ipsum non potest esse panis vel corpus Christi, nec habere aliquam substantiam quae ipsi naturaliter sit substrata. Sed istud summum miraculum faciunt quotidie ex pacto cum Domino, contra formam verbi Christi evangelici, quando[5] Christus asserit, 'hoc est corpus meum;' et sic oportet ipsos dicere, quod Christus in verbo sacramentali praecipuo impossibiliter est mentitus. Quod autem alii fratres ut praedicatores dicunt, quod hoc sacramentum vel ista hostia[6] sit aggregatio[7] talium accidentium sive[8] nihil, tendit haeretice in eandem sententiam, et sic nedum Christum haereticaverunt in suo concilio, sed praecipuos sanctos Dei ac totam ecclesiam militantem, quae a tempore promulgationis evangelii recte credidit, quod hoc sacramentum vel ista sacrata hostia sit naturaliter verus panis, et sacramentaliter corpus Christi. Fratres autem qui subvertunt hanc fidem[9], nesciunt docere fidem aliam de quidditate hujus[10] hostiae, cum vel dicunt quod non adorant sed venerantur hoc sacramentum, vel quod 'adorant illud quod nesciunt[11].' Videtur autem mihi, quod haeretici isti habent dicere consequenter, quod quemcunque nodulum straminis vel quodcunque corpus signabile est major ratio adorandi, eo quod haec hostia non est in natura sua, vel propter bonitatem naturalem quam in se continet,

[1] subdole] sub dolo, ed. pr. [2] quarti] quarti libri, C., B. secundae manus; cf. iv., c. 2—10. [3] sive] sine, ed. pr. [4] sit] sic, ed. pr. [5] quando] qua, ed. pr. [6] vel ista hostia] ut isti, A.B. [7] aggregatio] aggregatum, A.B.C. [8] sive] sine, ed. pr. [9] hanc fidem] om. A.B. [10] hujus] om. ed. pr. [11] cf. Joh. iv. 22.

taliter adoranda. Adorari enim debet ex hoc praecipue, non quod ipsa est corpus Christi aliqualiter, sed quia ipsa[1] continet in se abscondite corpus Christi. Cum ergo in qualibet creatura realius sit Trinitas increata, quae est longe perfectior quam hoc corpus, videtur quod propter contentum absconditum quaelibet creatura sit amplius adoranda. Dicunt enim, quod hoc sacramentum in natura sua sit pejus quam panis furfureus, vel corpus aliquod venenosum. Nec dubito quin debent consequenter dicere, quod corpus Christi sit in quolibet tali corpore cum sit utique spiritualiter in quolibet corpore regni Christi. Non ergo fingenda est illis ratio, quin per locum a sufficienti similitudine quodlibet corpus signabile sit tantum vel amplius ut haec hostia adorandum, cum in natura sua[2] sit melius, et aeque realiter vel realius continet in se corpus Dominicum et etiam Trinitatem.

Unde videtur multis fidelibus, quod fratres isti in hoc blasphemantes in Christum infinitum[3] plus, quantum[4] in eis est, inficiunt hoc venerabile sacramentum, quam si linirent ipsum cum corporali veneno et intoxicarent personam praecipuam ecclesiae militantis, quia[5] blaspheme mentiri in Christum est majus peccatum, quam foret talis intoxicatio Caesaris sive papae. Quomodo ergo timerent tales sectae mentiri super alios simplices Christianos, quando non timent mentiri tam publice super Christum et Dominum[6] veritatis? Si ergo fidelis tenens[7] temporalis domini offenditur et[8] offert se ad pugnam propter hoc quod alius[9] mentitur in diffamationem super suum dominum temporalem, quanto magis fidelis quilibet, qui debet Christum summe diligere, offenderetur et impugnaret spiritualiter[10] contra talem quemlibet pseudofratrem. Si autem experiri voluerit fidelis populus, utrum tales sectae sic credunt et defendunt ut ipsis imponitur, videat diligenter et prudenter, quid ipsi ponunt hoc venerabile sacramentum. Quod si nolunt, nesciunt vel non audent dicere, quis non habebit ipsos suspectos, cum pars illis contraria sciat, velit et audeat ex fundatione evangelii dicere

1 ipsa] ipse, ed. pr. 2 sua] om. ed. pr. 3 infinitum] filium, B. primae manus, ed. pr. 4 quantum] quam, A. primae manus, B. ed. pr. 5 quia] nam, A.B.C. 6 Dominum] Deum, A.C., B. primae manus, ed. pr. 7 tenens] servus, A. secundae, C. primae manus. 8 et] om. ed. pr. 9 alius] aliquis, C. ed. pr. 10 impugnaret spiritualiter] pugnaret specialiter, A.B.C. ed. pr.

fidem suam? Ista ergo est haeresis fratrum, quam blasphemando in papam et ceteras partes ecclesiae nimis diu fidelibus occultarunt.

## CAP. XXVIII.

*De fratrum haeresibus: 2. super mendicatione.*

*Alithia.* Frater Phronesis, de ista materia satis dixisti superius, sed vellem quod *de mendicatione fratrum* aliquid ecclesiae Christi ostenderes. Videtur enim multis, quod Christus taliter mendicavit, et certum est quod super mendicatione hujusmodi fratrum religio est fundata. Et ista[1] opinio de mendicatione Christi videtur eo coloratior, quo in psalmo de Christo dicitur, quod Ischarioth[2] 'persequutus hominem inopem et mendicum[3];' et ut beatus Petrus asserit, Actuum primo, ista prophetia David de Christo et Ischarioth fuit dicta. Nec videtur sufficere quod Christus mendicavit solum in membris suis, quia certum est quod psalmus loquitur de persona Christi, quam Ischarioth taliter fuerat persecutus.

*Phronesis.* Dixi alias in lingua multiplici, quomodo mendicatio est[4] satis aequivoca, sicut oratio. Aliqua enim est innuitiva, (aliqua enim est insinuitiva[5]) et aliqua declamatoria, aliqua etiam est mendicatio a solo Deo, et alia est[6] mendicatio ab homine. Unde alias descripsi mendicationem, quod est petitio egeni pro eleemosina corporali, pure titulo misericordiae ad suam egentiam relevandam; et sic Christus mendicavit humanitus a Trinitate et per consequens a se ipso, cum dixit Patri orationem Dominicam, quam fundavit. Et ut saepe asserit *Augustinus* in *De verbis Domini*, quilibet, dum orat orationem illam, necessitatur a Domino mendicare. Potest autem dici quod Christus mendicavit humanitus, sed solum *innuitive* a suis fratribus, cum dixit illis in facto, quomodo pro amore illorum factus est tam pauper et egenus, ut Deus dicit in apostolo

[1] ista] ita, ed. pr. [2] quod Ischarioth] om. A.B.C. [3] cf. Ps. cix. (cviii.) 16. [4] est] sit, ed. pr. [5] aliqua—insinuitiva] haec verba, etsi in omnibus libris manu exaratis exhibentur, pro glossa habenda sunt. [6] est] est etiam, B. secundae manus.

secunda[1] Cor. viii.; et talis realis mendicatio sine petitione et insinuatione vocali[2] est summe perfecta mendicatio et faceta. Talem ergo[3] mendicationem decebat Christum habere, ad utilitatem ecclesiae. Quod si fratres ex tali mendicatione sophisticant et mendicant valide a populo clamorose et populo onerose, quis dubitat, quin ista mendicatio sit diabolica, nimis sophistica ex facto Christi tam virtuoso et ecclesiae ita grato? Super isto[4] autem addunt fratres definitionem sui mendacii, quod nedum licet[5] sed est simpliciter meritorium sic voluntarie mendicare. Feci autem contra hoc in vulgari multiplices rationes; primo ex hoc quod[6] Christus, 'qui non venit legem solvere, sed implere,' dicit Deuteronom. xv., 'omnino indigens et mendicus non erit inter vos.' Ad quid ergo[7] oportuit Christum praevaricando in hanc legem a suo populo taliter mendicare? Sicut Proverbiorum xxx. Solomon ita rogat, 'divitias et mendicitatem ne dederis mihi[8]' etc. Christus ergo non fuit necessitatus disrumpere hanc virtutem consistentem in medio, cum fideles ecclesiae omnia talia necessaria[9] paratissime sibi dabant. Similiter Job. xxix. imprecative orat sanctus[10], 'Quis det mihi ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me, quando splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulavi in tenebris, sicut fuit in diebus adolescentiae meae[11]!' Ubi patet luce clarius, quod iste sanctus sancte imprecatus[12] est adesse sibi prosperitatem seculi sicut olim; quomodo[13] ergo foret istud culpabiliter vitiosum? Sicut Act. xx. dicit[14] Paulus 'argentum et aurum et vestem nullius concupivi, ipsi vos scitis, quoniam ad ea quae mihi opus erant et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istae[15].' Ex quibus videtur quod labor corporalis innuitive praecipitur, et mendicatio corporalis interdicitur. Similiter 2 Thessal. ultimo

Varia argumenta ex scriptura sacra proferuntur contra morem mendicandi.

[1] Deus dicit in apostolo secunda Cor.] dicit apostolus in epistola 2 Cor., A.B.C. ed. pr. [2] insinuatione vocali] insinuatione vocabuli, C.; insinuativa vocali, ed. pr. [3] ergo] enim, A.B.C. ed. pr. [4] super isto] similiter, A.B.C. secundae manus. [5] licet] oportet, A.B.C. ed. pr. [6] ex hoc quod] ex hoc Matth. v., quod, ed. pr. [7] ad quid ergo] aliter ergo, A. primae manus; aliter igitur, C. [8] dederis mihi] om. A. ed. pr. [9] necessaria] Christo necessaria, C., B. primae manus, ed. pr. [10] sanctus] sanctus Job., C., A.B. in margine. [11] cf. Job. c. xxix. 2, 3. [12] imprecatus] precatus, A.B.C. [13] quomodo] quando, B.C. ed. pr. [14] dicit] om. ed. pr. [15] et his—manus istae] om. A.B. ed. pr.

sic scribit apostolus: 'si quis non vult operari, non manducet, audivimus enim inter vos quosdam ambulare' etc. Ex quibus verbis patet luce clarius, quod apostolus prohibet mendicationem hujusmodi. Similiter 1 Thessal. iv. mandat apostolus sub his verbis; 'rogamus autem vos fratres ut habundetis magis et operam detis ut quieti sitis et ut vestrum negotium agatis et operemini manibus vestris sicut praecepimus vobis, et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt et nullius aliquid desideretis[1].' Ex quo textu patet, quod fratres in mendicando apostolico mandato et sic mandato Domini contradicunt. Similiter ad Ephesios iv. mandando docet apostolus, 'qui furabatur jam non furetur.' Sed videamus quomodo fratres plene mandato apostolico contradicunt; saepe enim contra voluntatem Domini fraude fratrum seducti[2] pessime rapiunt aliena et laborem suis manibus praetermittunt, cum tamen apostolus, ut patet Act. xviii., ad exonerationem ecclesiae arte scenofactoria[3] fuit usus. Similiter Deus injunxit primo homini peccanti corporalem laborem, ut patet Gen. iii., 'in sudore, inquit, vultus tui vesceris pane tuo[4].' Nunquid intelligimus quod secta fratrum sit praestantior protoplasto aut praedicativior sancto apostolo[5]? Similiter secunda Corinth. vi. mandavit apostolus, 'hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei accipiatis[6].' Quomodo fratres non in vacuum gratiam Dei recipiunt, qui a Deo habent corporalem fortitudinem et opportunitatem, et ad exonerationem[7] ecclesiae negligunt laborare[8]? Similiter cum Christus prohibet mendicationem talem publicam, cum eo ipso, quo sit mendicans, fit[9] populo onerosus, quod Christus in Paulo saepe prohibuit, qua fronte audent novelli ordines mendicationem publicam in personis validis proclamare et devotionem novellam in ordine tali statuere? Numquid Franciscus et alii mercatores idiotae excedunt fidem ecclesiae et Dominum Jesum Christum? Similiter cum pauperes caeci egeni[10] debiles de lege Dei debent habere

[1] ut habundetis—desideretis] om. A.B. ed. pr. [2] seducti] seductam, B.C. ed. pr. [3] scenofactoria] senofactoria, B. secundae manus; senefactoria, A.; schoenofactoria, ed. pr. [4] vesceris pane tuo] om. A.B. ed. pr. [5] sancto apostolo] Paulo, A.B.; sancto Paulo, ed. pr. [6] gratiam Dei accipiatis] om. A.B. ed. pr. [7] exonerationem] onerationem, ed. pr. [8] negligunt laborare] laborandi, D. [9] quo sit mendicans, fit] sic mendicans, fit, C. ed. pr. [10] egeni] aegri, A.B.C. ed. pr.

tales eleemosinas, ut patet Lucae xiv.[1], patet quod valide mendicans, ab illis haec subtrahens, injuriatur illis[2] pauperibus; sed quae rapina nefandior? Similiter talis mendicatio est legi naturae contraria; quae ergo blasphema necessitas imponeret illam Domino Jesu Christo, specialiter cum nec ipsum sic mendicare oportuit, nec lex evangelica in qua est omnis veritas, hoc exprimit? Qua ergo fronte fratres in hoc blasphemant in Dominum Jesum Christum? Christus enim et ejus discipuli abstinendo a mendicatione tali servarunt decimum mandatum decalogi, legem naturae et mandatum veteris testamenti. Cum[3] ergo facillime potuit a praevaricatione hujusmodi abstinere, et cum hoc melius instrueret suos discipulos[4] mereri, mandando[5] eleemosinas et servando meritorius dationem eleemosinae, quid moveret eum ad taliter expetendum[6]? Et haec ratio movebat beatum *Clementem* non sinere pauperes baptisatos publicae mendicitati[7] subjacere, ut patet in vita sua. Quae ergo sequela devota in papa, ut nedum sinat sed instituat mendicos validos, tanquam implerent mandatum Christianae regulae, indifferenter de magis pauperibus mendicare? Ista ergo non est Christi religio, sed, ut creditur, religio antichristi. Quid, rogo, moveret Christum statum innocentiae sine causa infringere, et devotionem populi sic diminuere, cum per se notum sit, quod praeferens relevationem, antequam miser necessitatur ad vocaliter mendicandum, ex pronitate parata meretur, et mendici occupatio in[8] petendo extinguitur.

[1] Lucae xiv.] Lucae xxiv., B. ed. pr. [2] illis] illis tribus, ed. pr. [3] cum] cum Christus, A. in margine, D. in textu. [4] discipulos] conviventes, D. primae manus, ed. pr. [5] mandando] in dando, A. secundae manus, C. primae, ed. pr. [6] expetendum] expectandum, B.C.A. secundae manus. [7] mendicitati] mendicationi, A.B.C. ed. pr. [8] occupatio in] occupationem, B. primae manus, ed. pr.; occupatio, A.B.C.

## CAP. XXIX.

*Prosequitur rem, argumenta pro mendicatione prolata redarguendo.*

Rationes a monachis ductae ex scriptura sacra ad mendicationem commendandam refutantur.

*Alithia.* Fratres in isto mendaciter circumpalpitant, quaerentes quomodo mendicatio vocalis Christi ab homine ex evangelio est fundata[1], cum sciunt quod Christus non praetermitteret punctum tam necessarium ad stabiliendum ordines istos[2] novos.

*Phronesis.* Video[3] ex rationibus adductis et aliis pluribus, si oporteat, adducendis, *quod mendicatio* ista *fratrum* nedum *est infundabilis in scriptura*, in qua non sunt *est* et *non*[4], sed plane ex illa improbabilis et blasphema. Expedit tamen transcurrere per caecas evidentias fratrum ad fundandum mendicationem hujusmodi et ejus oppositum improbandum.

Nam Johannis iv. scribitur, quomodo Christus dixit mulieri Samaritanae ut daret sibi bibere; quis ergo negaret mendicationem talem in Christo, cum fuerat tam egenus? Sed ponderantes istam argutiam in primis cognoscerent, quid descriptive est hominem ab homine mendicare. Quando enim creditor vel ejus procurator petit debitum propter alienationem tituli, non sequitur quod mendicat, et multo magis si dominus petit de suis, quod sibi serviens haec ministret. Ideo generaliter licet Christus dominanter de suis bona sua acceperat, non ex hoc sequitur, quod in hoc mendicavit ab illis, sed potius ministerium boni proprii ab ipsis requisivit ad bonum commodi ministrantium. Et sic videtur quibusdam qui evangelium Christi studuerant, quod Christus petit potum fidei et devotionis a femina ad potandum; non enim videtur, quod Christus aquam materialem poposcit ad potandum jejunus, specialiter cum fuerit hora sexta, et discipuli abierunt in villam ad emendum illis cibaria. Similiter si Christus aquam materialem poposcit[5] a femina ad bibendum, tunc probabile est, quod pro illo potu

[1] fundata] fundanda, D. ed. pr. [2] istos] om. D. [3] video] video quod, A.B.C. ed. pr. [4] cf. 2 Corinth. i. 19. [5] poposcit] poposcisset, D.

instanter et non inaniter institisset. Nam[1] existente femina paratissima ad dandum Christo de aqua sua, Christus bibitionem aquae hujusmodi praetermisit, dicens diu post suis[2] discipulis ipsum manducare hortantibus, 'ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.' Ideo, ut patet ex evangelio, Christus fuit delectatus ex fide et verbis feminae, et sic ex merito ejus[3] et dispositione ad aedificandum ecclesiam spiritualiter, humanitus est potatus. Sancti enim Christum spiritualiter reficiunt humanitus objective, et talem cibum ac ejus esum Christus commemorat. Patet ergo quod fratres in isto sunt stultiores hac femina, quia sicut ista aequivocavit[4] cum Christo propter ignorantiam excusabilem, sic isti discoli damnabiliter aequivocant, de Spiritu Sancto nefarie mentiendo. Ideo vellem ut[5] non mendicarent de suis fratribus[6] nisi aquam, antequam pro isto errore satisfacerent, quae de Deo tam haeretice mentiuntur.

*Secundo* fratres nituntur suum mendacium stabilire per illud Lucae xix., quando Christus dixit, 'Zachaee festinans descende' etc., ex quibus verbis concludunt hi inscii, quod Christus a Zachaeo tam cibarium quam hospitium mendicavit. Sed sciant isti rudes grammatici, antequam sic blasphement, notitiam terminorum, et non mentiantur vel utantur in mendicatione sua mendaciis, quia certum est, ad verba ista denominativa[7] nec intentionem Christi caritativam possunt attingere; Christus enim videns devotionem Zachaei, propter caritatem quam ad ipsum habuit, et non propter miseriam sui sive egentiam ita dixit. Ideo notarent fratres haec tria verba; 'festinans descende quia' etc., et erubescerent in hoc fingendo de Christo mendicationem mendaciter[8], quin potius Christo ascriberent ut summo medico[9] ac liberalissimo, quod ex summa caritate manere cum hominibus delectatur. Unde multi occupati in usu[10] rei delectabilis, dum fratres verba haec illis dixerunt, 'festinans descende' etc. responderent fratribus mendicis[11], 'adhuc potestis humiliter petere si sic velim.'

[1] Nam] nunc autem, D. ed. pr. [2] suis] om. ed. pr. [3] ejus] omnes, ed. pr. [4] ista aequivocavit] aequivocant, B.C.; ista aequivocat, ed. pr. [5] ut] quod, ed. pr.; utinam mendicarent, D. [6] fratribus] om. ed. pr. [7] denominativa] dominativa, A. primae manus, B. ed. pr. [8] mendaciter] om. A.B.C. [9] medico] mendico, C. [10] usu] visu, D. ed. pr. [11] mendicis] mendici, ed. pr.

*Tertio* arguunt hi[1] blasphemi ex textu Matthaei xxi., ubi Christus misit duos discipulos Hierusalem pro asina et pullo ejus, super[2] quibus illuc ascenderet; quomodo ergo non a civitate Hierusalem mendicavit? Sed erubescant illi haeretici, quod ad[3] instar hujus Domini mendicent de hominibus nec petita licentia nec obtenta! Christus enim summus Dominus non indiguit super asinam et pullum sic ascendere, nisi ad verificandum fidem scripturae Zachariae ix., ad figurandum quomodo incessurus foret super gentes ut pullos, et in fine mundi super Judaeos ut asinas[4] stulte legis onera observantes, specialiter dum Christi discipuli vestimenta sua sternerent super istas bestias, hoc est dum virtutes et specialiter humilitatem efficaci exemplo hos populos[5] edocerent. Imo reputo[6] quod Christus sic ascendit has bestias ad damnandum equitationem papae et cardinalium imo inferiorum episcoporum, qui super equos bellicos ornatos auro et serico equitant communiter superflue et pompose.

*Quarto* arguunt hi caeci haeretici, quod Christus pro coena sua mendicavit in Hierusalem hospitium atque panem, ut eliciunt ex evangelio Matthaei xxvi. Sed sciant isti inverecundi haeretici, quod verba evangelii damnant suam haeresim manifeste. Nam verba Christi ita se habent; 'ite in civitatem ad quendam et dicite ei, magister dicit, tempus meum prope est; apud te facio pascha cum discipulis meis' etc.[7] ubi patet luce clarius, quod Christus ibi dominative et non mendiciter est locutus. Sicut enim prius Matthaei xxi. iste Dominus docet discipulos suos, 'Si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos[8],' sic dominative et magistraliter loquitur in praesenti. Solebat enim esse regula postillantium, antequam pseudofratres fuerant introducti, quod *Dominus* simpliciter per se positus sit specificatus[9] ad Dominum dominorum. Videat ergo haereticus hanc consequentiam; 'Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos[10];' ergo Veritas sic eloquens[11] has bestias mendicavit; imponunt enim Christo

[1] hi] filii, D. [2] super] sub, ed. pr. [3] ad] om. ed. pr. [4] asinas] asinos, ed. pr. [5] populos] apostolos, ed. pr. [6] reputo] repeto, ed. pr. [7] et dicite—apostolis meis] om. A. ed. pr.; B. variat verba. [8] dixerit—eos] om. A.B. ed. pr. [9] sit specificatus] sit, om. A.; est specificatus, B.; specivocatur, ed. pr. [10] dimittet eos] dimittent vos, A.B. ed. pr. [11] eloquens] alloquens, A.; loquens, ed. pr.

in utroque istorum locorum rapinam pauperum sive furtum. Christus ergo innuens suos apostolos his verbis generalibus, 'ite in civitatem' etc., et specialiter dum ipsa verba perfecerat virtuose, indicat generalitatem sui dominii et magisterii; quia Johannes xiii.[1] dicit idem, 'vos vocatis me magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim[2].' Et hinc ex doctrina evangelica Christi discipuli non audebant vocare se magistros et dominos, sed servos Domini Jesu Christi. Connectant ergo haeretici haec tria verba Christi ad invicem: *primo* quomodo praecipit suis discipulis in verbis generalibus et fructuosis, quod irent in civitatem ad quendam, ac si innueret 'ex generalitate mei dominii, cuicunque dixeritis de illo quod postulavero est provisum;' *secundo* notarent secundum verbum quomodo dicitur, 'magister dicit;' Christus enim dicens[3] est major in statione quam aliquis homo alius assignandus. Unde ad denotandum constantiam dicti sui et ad figurandum quod doctores sunt digni cibario, subjungit notabiliter ista verba, 'magister dicit.' Sed notet haereticus *tertium* verbum Christi, 'tempus meum prope est' etc. Alii enim homines quos Christus non tantum illuminat, subtrahunt suffragium etiam cum supponunt amicos suos carissimos prope mortem. Ideo cum Christus tam certe et magistraliter sic loquitur, ostendit quod[4] necessitat civem illum ad taliter faciendum.

Ut ergo breviter concludam, patet fidelibus quod veritas evangelii talem mendicationem Christi non innuit sed manifestissime tanquam summae haeresi[5] contradicit. Ista quidem haeresis praesumit a Christo tollere originalem justitiam et statum innocentiae, et auctorisationem mendicationis validae discolorum blaspheme sibi imponere, dum dicunt[6] implicite, quod hic falsus propheta et discolus fuit hypocritice[7] contrarius legi suae; sed ubi magis horrenda blasphemia? Quamvis autem in evangelio legitur de quibusdam, qui in poenam peccati populi satis licite mendicarunt, ut patet Lucae xvi., tamen[8] manifeste patet, quod iste modus mendicandi originali justitiae et statui innocentiae contradicit. Isti autem sunt stultificati idiotae, qui

[1] Joh. xiii.] Joh. xii., A.C. ed. pr. [2] magister—etenim] om. A. ed. pr. [3] dicens] om. D. [4] quod] et, A.B.C. [5] summae haeresi] summe haeresim, ed. pr. [6] dicunt] dicunt sibi, ed. pr. [7] hypocritice] hypocrite, ed. pr. [8] tamen] tam, ed. pr.

nescientes inter paupertatem et mendicationem distinguere, primam, quae perfectionem sonaret, dimittunt, et secundam cupide ut Ischarioth amplectuntur.

## CAP. XXX.

*De fratrum haeresibus : 3. super literis fraternitatum.*

*Alithia.* Satis acute locutus es de ista secunda fratrum blasphemia, sed rogo ut de tertia parum dicas. Nam per *literas fraternitatum* nimis magna pars ecclesiae est decepta.

*Phronesis.* Placet de illis dicere in Latino, quod quondam expressi in Anglico; sed timeo de Pseuste qui mihi imponet, quod[1] superflue lavem laterem, tum quia saepe gemino eandem sententiam, tum etiam quia crescente fratrum invidia facio imprudenter novissima eorum pejora prioribus. Verumtamen istum finem regulante Dei gratia non intendo. Suppono autem, quod aliqui fratres, quos Deus dignatur docere[2], ad religionem primaevam Christi devotius convertentur, et relicta sua perfidia, sive obtenta sive petita antichristi licentia redibunt libere ad religionem Christi primaevam, et tunc aedificabunt ecclesiam sicut Paulus[3]. Procedendo autem ad tractatum de istis falsis literis fraternitatum, oportet supponere[4], te earum seriem audivisse, quo supposito, patet primo[5] earum haeresis Symoniaca[6], cum non dant tales literas[7] nisi sub spe et intentione probabili, quod ex eis lucrum temporalium et confoederationem illicitam reportabunt; quomodo ergo non sunt haeretici Symoniaci in affectu? Unde in confirmationem istius, negato illis adjutorio quo ad temporalia atque defensionem[8], statim remurmurant nec ingeminant tales literas talibus offerendas, et si ipsas[9] perdiderant. Nec dubium quin implicite sit in isto fraudulenta emptio atque venditio, nec dubium quin tale hypocritarum com-

Consuetudo exhibendarum literarum fraternitatis examinatur.

Auctor demonstrat, in ista re esse Simoniam.

[1] quod] ut, A.D. [2] dignatur docere] docere voluerit, A.B.C. secundae manus. [3] cf. infra, iv. c. 39. [4] supponere] om. ed. pr. [5] primo] prima, ed. pr. [6] Symoniaca] Symoniaca manifeste, D. [7] literas] regulas, ed. pr. [8] defensionem] ad defensionem, C. [9] ipsas] personas, A.B.C.

hypocrisin, fraudem, arrogantiam,

mercium Deus odit. Item ex quo fratres supponunt et debent cognoscere, quod fratrum affectuosa concessio tantum valet vel amplius fratri sancto, sicut valet eorum litera quantumcunque subtiliter exarata literis aureis et filis sericis perornata, non superest istius causa, nisi ut populus illusus per fraudes subdolas ad dandum fratribus de suis bonis temporalibus excitetur. Sed quis dubitet[1] quin ista sit damnanda et nociva hypocrisis? Item cavendum est fratribus ne dent occasionem fidelibus ad percipiendum suas fallacias vel introducendum aliquas infundabiles novitates, cum debent scire quod Christus voluit ecclesiam suam esse liberam[2], et cum fratres faciunt in isto oppositum, manifestum est, quod in isto[3] ecclesiam Christi subdole illibertant. Item videtur multipliciter quod fratres cadunt in haeresim ex radice, simulant enim expresse in istis literis, quod personae quibus istas concedunt, participabunt post mortem suis meritis. Sed ubi est major praesumta[4] blasphemia, cum nec ipsi sciunt nec homines cum quibus mercantur, si illi ut praesciti in Tartaris damnabuntur? Quae igitur caeca stultitia, concessionem[5] eis tam ignotam asserere? Videtur autem quod ex[6] innata consuetudine mentiendi non curant contra aeternum Christi[7] judicium asserere se facere quod non possunt. Item nemo debet esse medium per subtractionem sui adjutorii, ut alius sit damnatus; sed ut fratres implicant in ista materia, est in potestate eorum praeservare tam se quam alios ne damnentur; ergo supposita damnatione alterius ex subtractione sui adjutorii sunt culpandi. Si enim concedunt alteri, quod post mortem participabit suis meritis, tunc manifeste implicant ipsum[8] post mortem fore dignum talis participii et ipsos in via beatitudinem promereri, quia si utraque pars sit praescita membrum diaboli, tunc talis concessio excedit potentiam horum[9].

Item fratres servando modum hypocritarum se ipsos damnant patule in hoc facto. Nam secundum doctrinam evangelicam Matthaei vi. tales eleemosinae debent secrete fieri, ne pars sinistra

[1] dubitet] dubitat, C. ed. pr. [2] liberam] liberam ab istis, ed. pr. [3] isto] illo, ed. pr. [4] praesumta] praesumtiva, B.C. ed. pr. [5] concessionem] confessionem, B. ed. pr. [6] ex] om. A.B. primae manus, ed. pr. [7] Christi] om. ed. pr. [8] ipsum] ut ipsum, A. primae manus, B.C. secundae manus, ed. pr. [9] horum] horum fratrum, C.D. ed. pr.

hominis sciat quid faciat dextra. Fratres autem ex ista scriptura sedula[1] et ostensione ejus ad populum manifeste indicant, quod dicunt modo[2] se ipsos[3] esse sanctos in ecclesia et solennes, et plus quam si ante se tuba canerent[4], dant literas confirmantes suam sanctitatem, quae literae forent in cistis hominum perpetuo conservatae. Item cum ex fide evangelii homo debet, cum vocatus sit ad coenam novissimam, in novissimo loco recumbere, fratres ergo[5] cum vocantur, ut inquiunt, ad hanc coenam, dum nec[6] habent confirmationem vel revelationem ut supra omnes alios sint[7] locati, videtur quod alios recte viventes extra hos ordines debent reputare esse ipsis meliores, et non sic[8] frustra concedere literas excellentius supra illos; imo cum lex evangelica Matth. v. doceat, quod 'quaecunque vultis ut faciant vobis homines, facere debetis illis,' videtur quod supposita justitia acquisitionis istarum literarum de fratribus, fratres debent etiam acquirere literas de simplicibus extra hos ordines, cum probabiliter ex suppositione debent supponere, quod tales literae plus eis valerent quam literae laicorum de fratribus impetratae. Item ex parte fratrum videtur esse Luciferina praesumptio, cum nemo nostrum scit, utrum sit dignus amore vel odio, et utrum sit[9] modo larvatus diabolus, ut fuit Ischarioth, vel ex Dei gratia praedestinatus ad patriam. Qua ergo fronte praesumeret superbus Lucifer piscare sic ante rete[10], et concedere[11] alteri quod habebit partem meriti sui in patria, cum nesciat, si[12] nunc noceat et amplius tunc nocebit.

Item juxta leges concessas et cognitas a toto populo nemo debet in corporali commercio decipere fratrem suum; ergo multo magis non in commercio *spirituali* de haereditate perpetua. Cum igitur[13] commercantes in[14] bono temporali requiritur ut habeant[15] certitudinem de mercando, multo magis in tam pretioso commercio spirituali. Cum ergo nec fratres ex parte sui habent certitudinem de suo promisso, nec ementes

[1] sedula] om. B. secundae manus. [2] modo] populo, D.; populo meo, ed. pr. [3] ipsos] om. A.B.C. [4] cf. Matth. vi. 2. [5] ergo] autem, ed. pr. [6] nec] dum non, A.B.C. [7] sint] sunt, ed. pr. [8] sic] om. A.B.C. [9] utrum sit] sic utrum, A.; sic utrum sit, C. primae manus, ed. pr. [10] rete] libri MSS. rethe; ed. pr. rethae. [11] concedere] convenire, ed. pr. [12] si] et si, A. secundae manus; et, B. ed. pr. [13] igitur] igitur inter, A. secundae manus. [14] in] ut, B. primae, C. secundae manus, ed. pr. [15] requiritur ut habeant] requiruntur, A. secundae manus; requirunt certitudinem, ed. pr.

habent certitudinem[1] de bono sperato, videtur utique[2] quod fratres seminant deceptionem frivolam utrobique[3], et faciunt in facto magis fraudulentam commutationem, quam si venderent catum[4] in sacco. Ementes quidem beneficia ecclesiastica[5] Symoniace[6] sunt positi in spe propinqua evidente ex contingentia rei gestae, sed fratribus omnino deficit evidentia in suo commercio; quis ergo sic mercaretur cum fratribus, cui scintilla luminis[7] fidei coruscaret?

blasphemiam.

Item nemo debet[8] praesumere sibi quod Deo est proprium, quia hoc foret manifesta blasphemia; sed concedere[9] indifferenter cuicunque volenti emere participationem meriti fratrum, videtur esse Deo proprium; ergo fratres non debent in Deum taliter[10] blasphemare, non enim boni angeli vel apostatae talem unquam blasphemiam praesumpserunt. Numquid credimus quod propter talem concessionem fratrum maniacam Deus a rectitudine regulae justitiae declinabit? Audivi quidem quosdam maniacos super bono temporali et seculari dominio delirare, sed non audivi alios[11] sic praesumendo se esse Deum tam[12] horride blasphemare. Item ex fide demonstrata a doctoribus nemo potest quidquam alicui rite concedere, nisi Deus prius illud concesserit; quidquid ergo fratres concedunt homini, Deus illud prius concedit; cum igitur concessio divina non dependet a fratribus nec ab eorum cartulis vel sigillis, videtur esse ultra praesumptionem diaboli concedere participium meriti hypocritae sic[13] viantis. Si enim rex terrenus concederet quidquam suo subdito, et confirmando per cartam postmodum sigillaret, quomodo non foret scurra de sua coquina stulto stultitior, qui supra illud quod potest concedere sigillum suum sigillo regis apponeret[14]; et multo magis in literis fratrum ista stultitia habet locum. Item nemo debet stabilitatem fidei in suis proximis[15] infirmare[16], sed hoc fit per tales literas fratrum,

[1] de suo—certitudinem] om. B., A. primae manus, ed. pr. [2] utique] ubique, B. om. D. [3] seminant—utrobique] om. A.B. [4] venderent catum] venderentur catae, A.B. [5] ecclesiastica] ecclesiae, A.B.C. [6] Symoniace] facta Symoniaca, C.; Symoniaci, ed. pr. [7] luminis] om. ed. pr. [8] debet] potest, B. primae manus, ed. pr. [9] concedere] communicare, B.C. ed. pr. [10] taliter] om. D. [11] alios] om. A.B.C. [12] tam] et tam, ed. pr. [13] sic] om. ed. pr. [14] apponeret] apponere, ed. pr. [15] suis proximis] suos proximos, A.B.C. ed. pr. [16] infirmare] infucare, ed. pr.

multi enim plus[1] credunt istis frivolis fratrum literis[2] quam credunt istum articulum fidei de communione sanctorum et salute populi per Dominum Jesum Christum. Quomodo ergo non dat haec[3] haeresis viantibus occasionem publice[4] delinquendi? Quis enim timeret[5] opera voluptuosa vel lucrativa facere[6], si postmodum crederet se[7] propter modicam pecuniam datam[8] fratribus absolvi simpliciter a toto crimine quod commisit? Haec igitur haeresis fratrum supponitur esse causa, quare fides inter laicos sic vacillat.

## CAP. XXXI.

*Prosequitur ulterius, errorem de meritis fratrum communicandis impugnando.*

*Alithia.* Cum sint multi Maeandri fratrum in illa materia, rogo ut radicem eorum destruas, ut hoc crimen penitus ab ecclesia sit evulsum, quia satis video quod fratres promittunt[9] superflue ex ista communicatione[10] sui meriti ultra quam possunt concedere vel etiam sibi ipsis accipere, et specialiter de fucata concessione a signis fratrum vel literis indistincta[11] veritate aut nimietate[12] infinitum plus valida quam hae literae vel aliquod tale signum. Nullus enim frater prae[13] verecundia mentiretur[14], quod concedit homini talem literam non signatam, et illo signato[15] notato manifeste pateret[16] quod fratres innuunt se concedere quod non possunt.

*Phronesis.* Placet mihi quod tantum concipis de erroribus pseudofratrum, et adhuc videbis amplius in suis excusationibus subdolis et responsionibus fraudulosis. Dicunt enim *primo* verbum[17], sed false, quod non possunt quidquam talium alicui

Argutiae, quibus monachi mendicantes consuetudinem exhibendarum literarum fraternitatis excusant atque

[1] enim plus] enim credunt simplices, ed. pr. [2] fratrum literis] talibus literis, ed. pr. [3] haec] om. A.B C.; haec haeresis non praeberet, ed. pr. [4] publice] publicam, B. primae manus, ed. pr. [5] timeret] timet, ed. pr. [6] facere] fratre, B. secundae manus, ed. pr. [7] se] om. B. primae manus, D. ed. pr. [8] datam] dictam, ed. pr. [9] promittunt] permittunt, ed. pr. [10] communicatione] communione, ed. pr. [11] indistincta] et distincta, D. ed. pr. [12] nimietate] immunitate, B. primae manus, D. ed. pr. [13] prae] pro, B.C.D. [14] mentiretur] mentietur, B.C. ed. pr. [15] signato] signato signanter, ed. pr. [16] pateret] patet, A. ed. pr. [17] verbum] verum, ed. pr.

defendunt, exponuntur et redarguuntur.

concedere nisi supposito, quod ille se ipsum dignificet apud Deum, et sic concedunt talia, si Deo placuerit. Sed erubescant isti haeretici et sciant, quod possunt cuicunque concedere, quod sit Deus et quod Deus destruatur, ipso posito in loco Dei, si[1] sic Deo placuerit. Quid ergo stultius hac[2] concessione conditionali? Cum[3] a[4] probabili retrahit stultificatos et fratres in hoc notabiliter demerentes, ne fiant digni nec[5] gratiosi[6] apud Deum ut[7] talia mereantur; Christus enim et sui apostoli nunquam talia concedere praesumpserunt, cum[8] invitis fratribus oportet eos concedere, quod concessio talis sit frivola aliis nihil valens.

Ideo *secundo* dicunt, quod homines, quibus concedunt talia, multipliciter in fratrum subsidio promerentur. Ideo oportet[9] supponi pars melior, quod quicunque tribuerint ista fratribus, erunt participes sui meriti et beati, quia, ut[10] verum inquirunt, semper[11] pars melior debet supponi.

Sed in istis verbis latet Maeander diaboli. Ideo quantum ad *primum*, dico tanquam mihi probabile, quod homines, quibus fratres concedunt talia, multipliciter demerentur; *primo* quia fiunt in fide instabiles, dimittentes fidem catholicam propter mendacia frivola horum fratrum; *secundo* quia tales caecati nutriunt fratres antichristi discipulos, et dimittunt pauperes caecos claudos atque debiles, quibus de jure evangelii debent dare[12]. Et *tertio* quia fraus fratrum hypocritica interimit communiter hos et illos, ideo, cum pars securior atque melior debet supponi, debet capi[13] ut fides, quod[14] religio et consuetudo antiqua per Christum edocta sit longe melior[15] quam consuetudo vel religio fratrum noviter[16] introducta. Et ita supponi debet, quod si omnes fratres essent destructi[17] vel damnati in Tartaris, melius foret ecclesiae quam est modo. Et ita supponi debet, quod licet fratres nullas[18] literas tales concesserint, foret[19] ex concessione Christi simplici melius quam est modo. Ideo tales

[1] si] cum, A.B.C. ed. pr. [2] hac] a, A.B.C. ed. pr. [3] cum] tum, ed. pr. [4] a] autem, B. [5] nec] vel, C.; ut et, ed. pr. [6] gratiosi] gratiose, B. [7] ut] nunquam, ed. pr. [8] cum] tum, ed. pr. [9] oportet] debet, D. ed. pr. [10] ut] om. A.B.C. ed. pr. [11] semper] om. B. primae manus, ed. pr. [12] cf. Luc. xiv. 13, 21. [13] debet capi] supponi debet capi, ed. pr. [14] quod] om. ed. pr. [15] longe melior] melior, A.B.C. [16] noviter] om. A.B. [17] destructi] extincti, D. ed. pr. [18] nullas] multas, A. secundae manus. [19] foret] forent, A.B. primae manus.

stultitiae in quibus fratres balbutiunt, redundant directius contra illos. *Tertio* fratres false arguunt, quod sicut dominis temporalibus licet bona quae habuerint gratis concedere, cuicunque voluerint[1], sic et ipsis participationem sui meriti[2]. Sed ista simialis stultitia ponitur[3] induxisse Symoniacos in commercationem[4] bonorum ecclesiae, quae vocantur beneficia ecclesiastica, licet sint de facto maleficia. Sed adhuc longe ab ista similitudine, quam fratres simialiter[5] introducunt, cum humanae ordinationi subjacet taliter de officiis ecclesiae providere, sed omnino caret[6] ratione similitudinis, quod fratres sic sua merita partiantur, cum nihil potest habere rationem meriti nisi ex Dei gratia speciali. Ideo quod fratres communicent naturas suorum operum, quas vocant merita, est derisibile auditui viri justi; et quod participent rationem secundum quam gratiose sunt merita, excedit omnimode potentiam creaturae, cum secundum veritatem orationes jejunia praedicationes et sex opera, quae fratres communiter exprimunt in suis literis, pertranseunt potestatem eorum, ut servent ea et communicent quibus volunt, et meritum ex operibus istis remanens formaliter intellectum non est nisi hominem sic mereri; et sic unusquisque haberet[7] proprium meritum sive demeritum. Merita tamen[8] quandoque redundant in utilitatem alterius commerentis, sed tunc faciunt novum meritum secundum gratiam acceptationis[9] divinae. Si ergo non licet homini commutare aliquod temporale nisi habita licentia domini capitalis, multo magis non licet fratribus commutare[10] sua merita nisi habita speciali licentia Domini dominorum. Sed certum est quod Deus nunquam licentiat nisi habita dignitate merentis, ad quod cumulantes temporalia fratribus faciunt communiter se indignos, cum inimicos Christi saepe nutriunt et defendunt. Si igitur[11] nihil praeter Deum potest dare virtutes, nec abuti illis communicando aliter quam requirit ratio a pari

[1] cuicunque voluerint] om. D. ed. pr. [2] sic—meriti] sic licet ipsis habentibus super meritis suis aeque verum dominium, gratis concedere cuicunque voluerint, D. ed. pr. [3] ponitur] patet, ed. pr. [4] commercationem] contricationem, B.; communicationem, C.; commertationem, ed. pr. [5] simialiter] similiter, C.; a suo simili, ed. pr. [6] caret] careret, A.B.C. [7] haberet] habet, A.B.C. ed. pr. [8] tamen] nisi, ed. pr. [9] acceptationis] acceptionis, C. primae manus, ed. pr. [10] commutare] communicare, A.B.C. ed. pr. [11] igitur] ergo, A.C.

vel majori, solum Deus potest partiri rationem meriti, secundum quod promerens facit se dignum[1] in vita propria. Est ergo manifesta blasphemia praesumere, quod aliquid non Deus distribuat[2] merita quibus volet.

Sed *quarto* arguunt fratres per locum a simili sicut prius, quod sancti in coelo dant ipsis[3], qui sibi[4] benefecerant[5] hic in via, mensuram bonam confertam coagitatam et supereffluentem, ut dicitur Lucae vi.; ergo[6] per idem licet et[7] fratribus dare suis benefactoribus minus bonum. Sed hic concedi debet conclusio, cum fratres dant communiter fraudulenta responsa et naturas alias vitiatas suis benefactoribus hic in via; quis ergo color, si sancti dant accidentalem beatitudinem[8] benefactoribus suis in patria, ergo per idem licet paria fratribus dare merita hic in via? Beati enim dant objective beatitudinem talem et non subjective vel efficienter sicut Deus, qui illabitur in[9] beatis; et illa est 'mensura bona,' quia bonum supernaturale, 'conferta,' quia replet capacitatem animae bonorum, 'coagitata,' quia sine vacuitate plene firmata, et 'supereffluens[10],' quia supra beatitudinem essentialem plenius cumulata; sed sic dare est infinitum inferius quam meritum impartiri; et sic ubi Lucifer voluit esse similis Altissimo, isti fratres praesumunt implicite Deum a statu suo excludere et in se ipsis assumere statum Dei.

*Quinto* arguunt fratres per locum a simili sicut supra; 'papae,' inquiunt, 'distribuunt merita sanctorum in coelis, ut patet de indulgentiis; cum ergo fratres sint aequales papis quo ad naturam sacerdotii, videtur per locum a majori, quod licet eis distribuere merita propria quibus volent.' Sed hic attende, quomodo fratres primo accusant papas, secundo quomodo usurpant esse eis aequales; et tertio quomodo contendunt eis esse[11] superiores. Papae enim[12] non concedunt tales indulgentias nisi expressa conditione, quod homines, quibus concedunt, sint vere confessi et contriti; fratres autem istam conditionem contritionis non memorant. Scimus tamen quod Deus non potest

[1] dignum] indignum, B. secundae manus. [2] distribuat] distribuit, A.B.C. [3] ipsis] prius ipsis, ed. pr. [4] sibi] om. ed. pr. [5] benefecerant] benefacerent, A.B. [6] ergo] ego, ed. pr. [7] et] duobus, A.B.C. ed. pr. [8] hic in via—beatitudinem] om. A.B. [9] in] et, ed. pr. [10] cf. Luc. vi. 38. [11] esse] om. ed. pr. [12] enim] eis, A.

culpam peccatoris dimittere, nisi veraciter sit contritus. Quae ergo est ista secta, quae tantum se extollit super Deum[1] et quemlibet ejus vicarium?

## CAP. XXXII.

*De indulgentiis, quas papa fratribus adjuvantibus arrogat.*

*Alithia.* Quia, frater mi, hic tangitur *de indulgentiis*, videtur quod earum concessio aequivalet[2] huic praesumptioni fratrum blasphemae. Vellem libenter quod aliquid diceres de illa materia.

*Phronesis.* Quia superbia eorum qui Deum oderunt, ascendit semper, ideo licet fons haeresis et peccati sit in illo principe[3] tenebrarum, tamen rivulus fratrum ab eo descendens nititur, ut dictum est, innaturaliter se extollere supra fontem; fateor quod indulgentiae papales, si ita se habeant ut dicuntur, sapiunt manifestam blasphemiam. Dicitur enim[4] quod papa praetendit se habere potentiam ad salvandum singulos viatores, et quantumcunque viantes deliquerint[5], nedum ad mitigandum poenas[6] ad suffragandum eis cum absolutionibus et indulgentiis, ne unquam veniant ad purgatorium, sed ad praecipiendum sanctis angelis, ut anima separata a corpore indilate ipsam deferant in requiem sempiternam. Et per fratres coloratur ista blasphemia per hoc, quod Christus est omnipotens, excellens cunctos bonos angelos[7], sed papa est plenus vicarius ejus in terris, et ideo potest ibidem[8] quidquid potest Christus humanitus. Unde rudes legistae cum fratribus ut lupi ululant et contradicentes sibi ipsis dicunt, quod considerantes infundabilitatem potentiae hujus Dei in terris non audent ponere os in coelum. Unde ad declarandum papalem potentiam pseudofratres in secretis fidei

Sententiam de thesauro meritorum, quem papa indulgentias praebens dispenset, fratres mendicantes vindicant.

[1] cf. 2 Thessal. ii. 4. [2] aequivalet] consona sit, A.B.C. ed. pr. [3] principe] principio, ed. pr. [4] enim] om. A.B.C. [5] et quantumcunque viantes deliquerint] om. A. primae manus, C. secundae manus; deliquerint, om. ed. pr. [6] poenas] eorum qui deliquerunt, ins. ed. pr. [7] angelos] angelos ejus, B. primae manus, ed. pr. [8] ibidem] idem, A.B.C. ed. pr.

sic procedunt. Supponunt enim primo, quod in coelis sint infinita sanctorum supererogata merita, et specialiter meritum Domini nostri Jesu Christi, quod sufficeret salvare mundos alios infinitos; et super totum illum thesaurum Christus papam constituit, ad[1], secundum quod sibi libuerit, dispensandum; ideo infinitum de illo potest distribuere, cum hoc quod[2] remaneat infinitum.

auctor impugnat atque de blasphemia in Christum commissa accusat.

Contra istam rudem blasphemiam invexi alias, primo sic; nec papa nec etiam[3] Dominus Jesus Christus potest dispensare cum aliquo nec dare indulgentias, nisi ut aeternaliter Deitas justo consilio diffinivit. Sed non docetur, quod papa vel homo aliquis potest habere colorem justitiae taliter faciendi; igitur non docetur quod papa[4] talem habeat potestatem. Item quaero de illis supererogatis meritis sempiternis, in quo membro ecclesiae subjectantur? Si in Christo et membris suis, mirabile videtur quod papa potest a subjectis propriis illa subtrahere, propter multa[5];—primo quia accidens non potest esse sine subjecto; secundo quia nullus eorum jam viat[6], praeteriit illis hora merendi; et tertio quia plene juxta suum meritum praemiantur. Quomodo ergo papa potest per rapinam talem imaginativam facere Deo et illis injuriam?

Item per deducens ad impossibile declaratur, quod si viator in tempore alicujus papae damnabitur, ipse papa est[7] reus damnationis propter hoc quod obmittit ipsum salvare; habet enim sufficientem potentiam ad perficiendum salvationem hujusmodi, nec aliquid obest[8] quod non faciat, nisi forte sua desidia, ergo propter talem desidiam est culpandus. Quis ergo dispensaret cum illo, nisi cum voluerit[9] solus Deus; sed cum Deus non potest revocare papale officium propter pactum absolutum quod cum eo pepigit, videtur infidelibus, quod[10] stante illo officio papa errare non poterit vel damnari, quod sit omnino[11] impeccabilis sicut Christus. Sed ubi major blasphemia, quod ex nuda potestate Caesarea palliata, quae est legi Christi contraria,

[1] ad] et, A.B.C. [2] quod] om. ed. pr. [3] etiam] om. ed. pr. [4] papa] om. A.B. [5] propter multa] om. A.B.C. [6] jam viat] illam desyderat, ed. pr. [7] est] erit, D. ed. pr. [8] obest] subest, A.B. [9] voluerit] fuerit, ed. pr. [10] quod] cum, ed. pr. [11] omnino] animo, ed. pr.

antichristus talem habeat potestatem? Unde videtur multis, quod inter omnes patientias quas Christus[1] de injuriis viatorum sustinet[2], haec est una de maximis, quod permittit antichristum tam diu regnare et populum tantum seducere.

Item videtur quod illa opinio multipliciter blasphemat in Christum, cum extollitur supra[3] ejus humanitatem atque Deitatem et sic super omne quod dicitur Deus, quod declarat apostolus competere antichristo[4], habet enim potestatem Caesaream supra Christum, qui non habuit domicilium ubi caput proprium reclinaret. Et quantum ad spiritualem potestatem, quae humanitati Christi attinet, videtur quod papa superat Jesum nostrum. Oportuit enim Christum pati durissimam passionem pro salvandis hominibus, et super haec[5] oportet de[6] Dei justitia quod virtute Christi passionis homines, quidquid beatitudinis habuerint, mereantur. Sed iste refuga dicit, quod licet sibi quantumcunque voluptuose voluerit conversari, et ex nuda scriptura unius de scribis suis possunt in militante ecclesia infinita mirabilia innovari; quomodo ergo non extollitur super Dominum Jesum Christum? In cujus signum[7] non legitur, quod Christus tales absolutiones vel indulgentias[8] concesserat, nec aliquis de suis apostolis; si tamen talem potestatem haberent, est multis probabile quod non forent in illa simpliciter otiosi, specialiter cum Christus damnat servum pigrum non negotiantem cum talento sibi credito[9], et requirit de manu praelati animam subjecti[10] in desidia sua damnati, ut patet Ezech. iii.[11] Vel igitur oportet negare, quod Christus et sui apostoli talem potentiam habuerunt, vel quod incarcerando ipsam potentiam et non operando cum illa ad utilitatem[12] ecclesiae peccaverunt; sed quae major insania? Et[13] eadem est consideratio, quod papa eadem merita sanctorum applicat vel assignat ad prodessendum homini quantumcunque voluerit. Oportet enim Christum plus facere tam ex parte sui pro complemento justitiae quam ex parte peccantis, quem oportet Chris-

[1] Christus] Christus habet, D. ed. pr. [2] sustinet] om. D. ed. pr. [3] supra] super, ed. pr. [4] cf. 2 Thessal. ii. 4. [5] haec] om. B., A. primae manus. [6] de] credere de, ed. pr. [7] signum] vita, ed. pr. [8] indulgentias] indulgentias tales, D. ed. pr. [9] cf. Matth. xxv. 26, 27. [10] subjecti] sibi, A.B. [11] Ezech. iii. 17—19. [12] utilitatem] humilitatem, B., A. primae manus. [13] et] om. ed. pr.

tum movere et dare sibi gratiam ad merendum digne[1], ut taliter sit adjutus[2].

Et eadem est consideratio de fictitia clavium antichristi. Nam fundationi earum[3] non oportet fidelem insistere, cum patenter non sequitur, Christus concessit Petro imitatori ejus praecipuo talem clavium potestatem, ergo per idem debet concedere antichristo, in vita et verbis sibi magis contrario, tantam vel majorem ecclesiae potestatem. Christus enim dedit Petro et aliis habentibus legis Dei[4] scientiam, potestatem secundum legem illius scientiae judicandi, tam ligando quam solvendo[5] conformiter ecclesiae triumphanti. Sed modo hic refuga non vult per superiorem ecclesiam vel personam aliam regulari, sed tanquam antichristus sibi[6] statuit novas leges, et vult sub[7] poena censurae gravissimae, quod tota militans ecclesia credat illis, sic quod si quid secundum illas diffinierint[8], stabit ut evangelium Jesu Christi. In tales infinitas blasphemias involvitur infatuata ecclesia, et specialiter per caudam hujus[9] draconis, hoc est sectas[10] fratrum, quae ad illusionem istam et alias seductiones ecclesiae Luciferine[11] deserviunt.

Sed eia, milites Christi, abjicite prudenter haec opera[12] atque fictitias principis tenebrarum, et induimini Dominum Jesum Christum[13], in[14] armis suis fideliter confidentes, et[15] excutite ab ecclesia tales versutias antichristi, docentes populum, quod *in ipso solo* cum lege sua et membris debet confidere, et operando illis conformiter ex suo opere bono salvari, specialiter si[16] antichristi versutias fideliter detestetur.

[1] digne] dignum, B. primae manus. [2] Et eadem est—sit adjutus] om. D. [3] earum] eorum, ed. pr. [4] Dei] Dei et, B. primae manus, C. [5] ligando—solvendo] ligandi—solvendi, A.B.C. ed. pr. [6] sibi] om. ed. pr. [7] sub] sibi, ed. pr. [8] diffinierint] diffinirent, B.C. [9] hujus] illius, ed. pr. [10] sectas] sectam, A.; secta, C. [11] Luciferine] Luciferinae, ed. pr. [12] opera] om. ed. pr. [13] cf. Rom. xiii. 14. [14] in] et, A.B.C. [15] et] om. C. secundae manus. [16] si] cum A.B.C.; om. ed. pr.

## CAP. XXXIII.

*De ordinum mendicantium origine.*

*Alithia.* Dic, rogo[1] frater, quomodo isti ordines, quos innuis tantum perturbare ecclesiam, fuerant[2] introducti. Videtur enim multis de populo, quod salvant ecclesiam, cum isti specialiter tenent Christi pauperiem atque vitam, papa episcopis et praelatis ceteris notabiliter declinantibus ab hac vita. Oportet ergo quod quattuor tanti et tales ordines habeant stabile fundamentum.

De ordinum mendicantium origine disputatur.

*Phronesis.* Punctus quem tangis, est in parte historicus; et cum sit[3] extra legem Christi, a multis historiographis, a quibusdam indubie mendaciter, est narratus. Mihi autem probabile videtur quod post solutionem Satanae, quae facta fuit in secundo millenario post Christi ascensionem, ecclesia a sequela Christi notabiliter deviavit, et hinc sancti vel devoti, quibus tamen[4] defecit[5] prudentia, nitebantur resuscitare in se et ipsos sequentibus hanc sequelam; et sic *Dominicus*, *Franciscus* et ceteri fratres inceperunt facere aliqua bona de genere, qui per artem diaboli in multis mendaciis hypocritice[6] sunt fundati, ut dicitur communiter, quod *Dominicus* videns devium canonicorum regularium, qui[7] nimis intenti sunt saeculo, fundando praedicatorum ordinem a canonicis stolide declinavit[8]. Et post illum *Franciscus*, qui licet prius fuit gnarus mercator et cupidus, incepit suum ordinem ex devotione caeca, deficiente prudentia serpentina[9]. Aliae autem[10] sectae fratrum videntes quod in istis sectis multum ponderatur antiquitas, antiquitatem supra illos mendicaliter simularunt, ut fratres *Augustinenses*, cum a[11] magno *Augustino* se asserunt esse fundatos, fingunt quod quadringentis annis et amplius vixerunt in eremo, mundo[12] incogniti, antequam

[1] rogo] om. ed. pr. [2] fuerant] fuerunt, ed. pr. [3] et cum sit] et sic, A.B.C. [4] tamen] cum, B.; non, A. primae manus, ed. pr. [5] defecit] deficit, A.B.C. [6] hypocritice] hypocrite, ed. pr. [7] qui] quod, A.B.C. [8] declinavit] declinat, ed. pr. [9] serpentina] sempiterna, ed. pr.; cf. Matth. x. 16. [10] autem] om. A.B.C. [11] a] om. A. [12] eremo, mundo] uno eremo, A.B.C.; uno eremo mundi, ed. pr.

fratres praedicatores fuerant introducti. Sed quarta secta *Carmelitarum* intuens illam fictionem superaddidit[1] mendaciter[2], quod ante incarnationem Domini sub Helia in monte Carmeli in honorem beatae virginis[3] sint fundati. Sed cum ista sunt ficta mendacia, sicut forma et color sui habitus, patet[4] quam spissim et onerose sequuntur patrem mendacii, sic quod[5] quodlibet filum sui habitus portat mendacium, et hinc praeter mendacia vitae et operis in suis signis[6], quae sibi instituunt, miscent tanquam hypocritae mendacia sui oris. Et istos apostatas videtur Salomon describere Proverb. vi., dum sic dicit; 'homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat,' ut alias particulatim exposui. Alii autem videntes habenas mendacii sic laxatas fingunt, quod in *Caym* fuerunt istae sectae quattuor inchoatae, et sic vox fratris sui Abel, ad figurandum horum fratrum malitiam, de terra clamavit ad Dominum[7]. Et in testimonium istorum, quattuor literae hujus nominis *Caim* inchoant hos quattuor ordines, secundum ordinem temporis, quo finguntur a fratribus incepisse, ita quod C. Carmelitas[8], A. Augustinenses, J. Jacobitas et M. Minores significat, secundum ordinem temporis quem mendaciter sibi fingunt. Sed aggregando suas nequitias videtur mihi, quod licet originaliter in Caim inceperant, tamen[9] post solutionem Sathanae et per ejus cautelam sub figura sanctitatis isti hypocritae sunt excussi.

Religio catholica a Christo

Sed quia homo posset in infinitum labi in istis mendaciis fabulosis, ideo supposita harum sectarum existentia, multa concernentia statum militantis ecclesiae sunt notanda. *Primo* quod ordo vel religio catholica, quam[10] Christus instituit, excellit omnes istos privatos ordines quodammodo infinite; sicut enim patronus ad patronum, sic ordo ad ordinem; sed Christus patronus noster infinitum[11] excedit patronos horum ordinum, ergo

[1] superaddidit] superaddit, A.C. ed. pr. [2] mendaciter] om. A. [3] in honorem beatae virginis] in honore beatae Mariae virginis, A.B.C. ed. pr. [4] patet] per (perquam), A.B.C. [5] sic quod] et sic, A.B.C. ed. pr. [6] suis signis] signis, A.B.C.; suis significantiis, ed. pr. [7] Dominum] Deum, A.B.C. [8] Carmelitas] Carmelitas figuret, ed. pr. [9] tamen] cum, ed. pr. [10] quam] quem, A. [11] infinitum] in infinitum, ed. pr.

etc. Et haec ratio, quare sanctus apostolus, ut patet 1 Cor. i. et iii., non audebat introducere tales sectas. Unde licet fratres ferant graviter quod nostra religio sic excedit suam, quia tunc foret rationabiliter destruenda, circumpalpitant circum confirmationem sui ordinis a Romana curia, et pictacias suae religionis de papa simulant multiformes probantes[1] ex hoc, quod licet a religione saeculari transire ad religiosos possessionatos secundum gradus eorum multiplices, et ab his ad fratrum ordines, sequitur, quod ordines istarum sectarum sunt infinitae auctoritatis ordinis Christiani[2], et sic in quibuscunque ceteris ordinibus spiritualiter altiores; et si quis auderet, posset[3] dicere concedendo, quod istae sectae fratrum sunt infinitae auctoritatis, quia sub non[4] gradu auctoritatis in termino inclusivo[5], et hinc sic expetunt a papa confirmationem sui ordinis et multas innovationes[6] suarum partium, sic quod si mutans[7] hos ordines vel dans eis majorem partem suae vitae[8] debet dici eorum patronus proprius vel fundator, tunc istae sectae quattuor mendicantes debent dici fratres papales, plusquam fratres Dominici vel Francisci; cum, ut dicitur[9], Dominicus apostatavit a suo ordine, vel tenet pure ex integro regulam Augustini; Franciscus autem dicitur compilasse sermones tante incongruos, quod fratres sui erubescunt regulam suam ostendere; sed particulatim colligendo de papis regulas sui ordinis, tanquam scurrae mantellum[10] suum ex pictatiis variis[11] mendicantes collegerunt suum ordinem multotiens innovatum. De duabus autem sectis aliis videtur evidentius, quod saepe mutando suos habitus processerunt instabiliter tanquam naviculae fluctuantes in mari vacui infiniti. Ista ergo est fundatio illorum ordinum; et si debilis fundatio[12] fallit opus, non mirum, si isti ordines defraudant ecclesiam. Unde fratres isti videntes defectum suae fundationis dicunt, quod non habent nisi religionem vel ordinem Chris-

ipso instituta istos privatos ordines infinitum superat.

[1] probantes] procedentes, A.B.C. [2] auctoritatis ordinis Christiani] auctoritatis Christianae, ed. pr.; auctoritatis ordinis, B. primae manus. [3] posset] et posset, ed. pr. [4] sub non] non sub, ed. pr. [5] inclusivo] inclusive, A. ed. pr. [6] multas innovationes] multotiens innovationem, ed. pr. [7] mutans] imitans, ed. pr.; mutant, A.B.C. [8] vel dans eis majorem partem suae vitae] om. A. primae manus; B.C. secundae manus. [9] dicitur] om. A.B. [10] mantellum] metallum, A.B.C. [11] variis] vicariis, A.B.C. ed. pr. [12] fundatio] om. A. primae manus, C. secundae manus.

tianum, sed longe perfectius nobis secularibus, sicut perfectius observant in vita et opere legem Christi. Sed communiter est quaesitum ab eis, quomodo sunt quattuor ordines vel religiones mendicantium distinctae in[1] specie, aut quomodo petunt papam suos ordines et correctiones eorum taliter confirmare, et cum novitas ritus, quem tam singulariter observant, non sit specialis ordo vel religio, quaeritur communiter ab eis, quare ipsum retinent tam constanter et in quo proficit fructus ejus vel stabilitur fundatio, specialiter cum secundum fidem scripturae non licet supra ipsam et[2] religionem quam Christus instituit, gravitates tales novas sic infundabiliter[3] innovare. Et manifeste necessitati sunt ordines suos exprimere et longe sub ordine Christi postponere, cum abbas noster Christus sit patrono eorum dignior, regula nostra evangelica sit regula sua imperfecta longe perfectior, et comitiva sanctorum sub ipsa militans longe nobilior.

Militaris etiam ordo ordinibus mendicantium longe praestat.

Imo si ordinis excellentia ab istis signis capitur, patet quod ordo militaris sit hoc ordine fratrum mendicantium excellentior[4], longe perfectior atque prior. Quis, rogo, inveniet in hoc ordine[5] mendicantium tale collegium quale fuit in Graecia de sancta legione Thebaica, scilicet de *Mauritio* et suis sociis, et sic de ducentis militibus qui tempore[6] sanctae *Catharinae* sequebantur *Porphirium;* et sic est[7] de multis collegiis militum mundanorum, qui antiquitate auctoritate et sanctitate excedunt hos ordines mendicantium. Et patet responsio ad argumenta[8] sororis nostrae in principio hujus capituli fabricata. Falsum enim assumit, licet hypocritae per suam simulationem caecent et decipiant multos homines, ad superficiem vitae et non ad fundationem ordinis attendentes, nec sequuntur Christi pauperiem ac modum vivendi, cum ille magister optimus noluit sic habere domicilia sumptuosa ut castra[9] eis propria, nec annonam de pauperibus sic colligere nec tales fures et[10] praedones tanquam antichristi complices congregare; sed patronus eorum videtur

[1] in] om. A.B.C. [2] et] om. A.B.C. [3] infundabiliter] infundabiles, ed. pr. [4] mendicantium excellentior] om. C. primae manus, D. ed. pr. [5] longe perfectior—ordine] om. A primae manus, B. [6] tempore] merito, A.B.; merito tempore, ed. pr. [7] est] om. ed. pr. [8] argumenta] argumentum, ed. pr. [9] ut castra] nec castra, A.; om. ed. pr. [10] et] nec, ed. pr.

ipsos inficere et e contra. Nec est argumentum, si ipse statuit eis legem dans ipsis privilegium, quod sit bonum[1], cum beatus Clemens prohibuit populum suum taliter mendicare.

## CAP. XXXIV.

*Quibus in rebus fratres legi Christi contrarii sint.*

*Alithia.* Major pars vulgi credit[2], cum fratres sic *celebrant praedicant* atque *orant*, quod sunt necessarii sanctae matri ecclesiae. Ideo dic, rogo, *in quo sunt contrarii legi Christi*, quia tunc indubie sunt haeretici et a clericis spiritualiter[3] lapidandi.

*Phronesis.* Constat quod superficie tenus faciunt haec opera, et propter occultam cordis[4] malitiam tam sibi quam aliis multum nocent; non tamen nego sed suppono, quod boni aliqui sunt in eis. Quantum ad *celebrationem*, certum est quod si in radice sunt haeretici negantes panem esse corpus Christi, sed quod accidens eis incognitum ab ipsis idolatre[5] consecratur, tunc manifestum est quod fit eorum celebratio in peccatum longe evidentius quam sacerdotium Baal vel idolatrarum gentilium[6] pessimorum. Et quantum ad *praedicationem* eorum, rei eventus ostendit quomodo resultat in deteriorationem ecclesiae, ut si curvantes[7] fidem scripturae intendunt rythmisationibus adulationibus detractionibus atque mendaciis, fide scripturae dimissa, et peccato dure reprobando dimisso; quis dubitat quin eorum frivola sermocinatio nocet ecclesiae? Et quantum ad *orationes* eorum hypocriticas[8], eadem est consideratio, secundum *Gregorium*, cum is qui ad intercedendum necessitatur, Deo[9] displicet, procul dubio irati[10] animus ad deterius provocatur.

Fratres mendicantes et in celebrando eucharistiae sacramento et in praedicando verbo

et in orando peccant atque ecclesiae nocent.

De *duodecim* autem *abusionibus fratrum* pauca recitabo in isto

[1] bonum] verum, C. primae manus, ed. pr. [2] credit] tremit, C. secundae manus, A. primae manus, B. [3] spiritualiter] specialiter, ed. pr. [4] occultam cordis] occultatam in corde, ed. pr. [5] idolatre] idolatrie, ed. pr.; idolatre adv. h.e. per idolatriam. [6] gentilium] gentium, ed. pr. [7] curvantes] curantes, ed. pr. [8] orationes—hypocriticas] orationem—hypocriticam, A.B.C. [9] necessitatur, Deo] mittitur, ed. pr. [10] irati] irritati, A.

Varii fratrum errores atque abusus exponuntur, primus in sacramento altaris

capitulo. *Prima* est fratrum blasphema haeresis, qua in sacramento altaris stultificant ecclesiam, sic quod relicta fide scripturae isti quattuor ordines laborant in pluribus quam quattuor rivis[1] haereticis. Et signum evidens est quod a fide deviant, ex hoc quod sunt tantum contrarii sibi ipsis. Et si Templarii destructi fuerant propter defectum fidei nobis incognitum, quanto magis isti ordines propter haeresim tante notam! Mittunt enim ad Tartarum magistro suo et[2] patrono diabolo multas vivas animas annuatim. Taceo vero, quod occidunt corporaliter plurimos fratres suos[3]; et sic pensata tota[4] occupatione eorum est evidens, quod in ecclesia Christi[5] sunt 'viri inutiles[6].' Non enim valet introductio suae haeresis ultra hoc quod ex fide scripturae antiquitus fuit doctum[7], nisi, ut loquar ironice, in hoc quod capiunt occasionem in conclusionibus suis haereticis, quas subtilitates nominant, ecclesiam perturbandi. Fingunt enim, quod quotidie corpus Christi integrum in natura sua devorant, et sub tanta quantitate, quanta est in coelo, inglutiunt[8] ore suo, quia, ut inquiunt, corpus Christi est in natura sua integrum ad quamlibet accidentis particulam, quam sic sacrant. Nec cessant in isto sed praedicant, quod possunt stare extra mundum maximum[9], et ipsum manentem sub tanta quantitate ut est modo, ponere in os suum. Et certus sum, quod infernus licet tantum dilataverit os suum quantum sufficit, non sic potest; et probatio hujus conclusionis est eis facilis, posito quod Deus det[10] eis potestatem ad transsubstantiandum[11] panem sacramentalem in totum mundum, sicut in corpus Christi modo[12] consecrant[13]. Et sic fratres seminantes sua mendacia per patrias per quas vadunt[14], 'ore perverso gradiuntur;' mentiuntur enim non solum de aliis[15] quos odiunt, cum[16] illis benefaciunt, sed de se[17] ipsis et Domino Jesu Christo. Et evidentia est[18] multis fidelibus, sua mendacia pati humiliter, cum sic blaspheme-

[1] rivis] rimis, ed. pr. [2] et] om. C. [3] fratres suos] om. A.B. [4] et sic pensata tota] om. B., A. primae manus. [5] Christi] om. ed. pr. [6] cf. Prov. vi. 12. [7] doctum] detectum, A. [8] inglutiunt] deglutiunt, B.C. [9] maximum] om. A.B.C. secundae manus. [10] det] debet, ed. pr. [11] transsubstantiandum] turbandum, A. primae manus, B. [12] modo] non, A. primae manus, B. ed. pr. [13] consecrant] sacravit, A.B.C. ed. pr. [14] vadunt] vallunt, ed. pr. [15] aliis] illis, A. ed. pr. [16] cum] vel qui, ed. pr. [17] se] om. ed. pr. [18] evidentia est] eadem est evidentia, A.B. secundae manus; *ejusdem*, B. primae manus, C. ed. pr.

mant in Dominum dominorum. Si igitur tenens[1] secularis domini graviter ferret mendacium de illo domino publicatum, quanto magis quilibet fidelis ferret graviter publicatam blasphemiam de Domino Jesu Christo! Nec dubium quin talis frater 'annuat oculis' cupidis et multipliciter vitiosis multiplicitatem[2] nequitiae suae mentis, et 'pede' affectionis animae[3] 'terit' multa virtutum semina quae crescerent in ecclesia militante, et solemnisando argutias 'digito[4] loquitur,' pompans se habere potestatem subtiliter operandi super hoc quod Deus unquam habuit, ut patet de suis miraculis accidentis; nec dubium quin talis 'apostata' sit repletus in mente[5] mendaciis, 'pravo corde machinatur[6] malum' ad damnum ecclesiae. Et cum nihil potest esse magis occasio jurgiorum quam seminatio talis mendacii, manifestum est quod continue 'seminant jurgia' in ecclesia, cum sint sic mendaciis tam corpore quam anima involuti[7].

*Secundus abusus* fratrum est crimen blasphemiae quo imponunt in Christum, quod mendicavit notabiliter ab homine, quod[8] fratres[9] mendicant a pauperibus, ipsos mendaciter spoliando. Sed de isto patet superius, considerando quod si super hoc fundamento fratrum ordines sunt fundati, tunc manifeste innuunt se esse ex parte diaboli. *Tertius abusus* est in blasphemia literarum fraternitatis, in quibus innuunt se velle implicare[10] proximos confoederari tanquam fratres suos et filias diaboli cum patrono sui ordinis, qui videtur esse princeps seculi et seductor pessimus antichristus. *Quartus abusus* fratrum est eorum damnanda extollentia[11] supra Christum, cum ubi Christus, qui est magister optimus atque potissimus, solum duodecim habebat apostolos, ac illos postquam in fide perfecte instruxerat, misit in mundum ad[12] evangelium praedicandum, isti congregant sibi ipsis furando pueros[13] milia multa ad conventum, et praedicando verbum patris sui modo[14] quo prius dicitur claustro suo

secundus abusus ad mendicitatem,

tertius ad literas fraternitatis pertinens,

quartus vertitur in superbia, qua se Christum superare gloriantur,

[1] tenens] servus, A. secundae manus; servus tenens, B. secundae manus; retenens, B. primae manus; retinens, D. ed. pr. [2] multiplicitatem] multiplicitate, B.; multiplicatae, ed. pr. [3] animae] imo animo, ed. pr. [4] digito] de digito, B. ed. pr. [5] in mente] inquiete, C. [6] machinatur] machinetur, ed. pr. [7] cf. Prov. vi. 12—14. [8] quod] sicut, ed. pr. [9] mendicavit—fratres] om. A. primae manus, B.C. secundae manus. [10] implicare] multiplicare, A.B.C. [11] est extollentia] om. A. primae manus; excellentia, B. ed. pr. [12] ad] om. ed. pr. [13] pueros] pueros sibi, A.B.C. [14] sui modo] signum, A. primae, B.C. secundae manus, ed. pr.

quintus error, quod se Christo simillimos esse perhibent,

perpetuo sunt affidati. *Quintus abusus* est, quod fratres mentiuntur se esse Christo simillimos in pauperie et quorumcunque temporalium possessione, et sic in domibus reditibus et quibuscunque temporalibus quae ipsis attinent[1]. Sed certum est quod in hoc committunt in Christum blasphemum mendacium; Christus enim nunquam aedificavit humanitus talem[2] mansum, imo repugnavit statui suae innocentiae quod libros pecuniam et talia visibilia sibi[3] cumularet. *Sextus abusus* fratrum est Symoniaca collectio temporalium per officium sic simulatorie praedicandi. Christus enim docuit suos discipulos Matthaei x., cum gratis acceperant a Deo scientiam evangelisandi atque potentiam miracula faciendi, quod gratis darent ipsa egentibus, sicut Deus et boni angeli dant gratissime sua dona. Et sic istae sectae fratrum sunt multipliciter in haeresi Symoniaca involutae.

sextus abusus avaritia cum Simonia conjuncta.

## CAP. XXXV.

*Persequitur ulterius fratrum abusus.*

*Alithia.* Rogo, frater Phronesis[4], persequere[5] de aliis sex fratrum abusibus, sicut superius promisisti[6], quia non claret mihi quomodo reatum istorum abusuum possent evadere, nisi forte redeant ad legem liberam Jesu Christi, quia regula eorum atque religio, ut mihi videtur, necessitat ad haec mala.

*Phronesis.* Placet mihi quod tam subtiliter concipis radicem malitiae horum fratrum, sed procede studendo ulterius et videbis catenationem[7] diaboli, quomodo sibi sunt multiplicius ligati. *Primus* autem *istorum sex abusuum* potest dici oneratio, qua[8] contra Christum et suum apostolum sunt fidelibus onerosi. Certum quidem est quod multa milia fratrum dispersa in una parva provincia sunt illi provinciae magis subdole onerosa, quam forent in casu mille raptores qui illam provinciam publice

Septimus abusus, quo piis molesti sunt,

[1] attinent] annuunt, A. primae manus, B.C. secundae manus. [2] talem] tale, A. ed. pr. [3] sibi] taliter, D. [4] Phronesis] om. D. [5] persequere] om. B.; dicas, ed. pr. [6] promisisti] prompsisti, B., ed. pr. [7] catenationem] cathenationem, libri manu scripti. [8] qua] quia, A.B.C.

depraedarentur[1]. Ut esto quod in Anglia sint quattuor millia fratrum talium et[2] quilibet consumat annuatim in persona sua de bonis regni centum solidos et totidem in aedificationibus in reparationibus et ornationibus[3] domuum et claustrorum; et tunc patet quod ista secta expendit de bonis regni sexaginta millia marcarum annuatim non dubium quin[4] solicite et cum multis mendaciis perpetratis[5]. Sed quis dominus in Anglia sufficeret tantum expendere ut fratres reptantes in domos vel cameras dominorum[6] et lautiora cibaria consumentes nimis consumunt de bonis regni, qui sua vescibilia sic furantur? Cum enim expensae suae non descendunt eis desuper, nec experti sunt in arte alchimica[7], quia sic forent damnabiles tante populum pauperem onerando, manifestum est quod quidquid temporalium bonorum in regno nostro consumpserunt, est de regno. Quomodo ergo non forent tam pauperes tenentes dominorum secularium insufficientes ad parate dandum eis reditum sicut prius, cum circiter tantum fratres de illis accipiunt annuatim? Et revera totus populus remurmuraret, etiamsi ad magnam relevationem vel defensionem[8] regni etiam ex potestate[9] regia ad tantam pecuniam sit taxatus. Et mirabile videtur multis quod tot antichristi discipuli tam subdole in regno Angliae subtrahunt tam subtiliter de bonis regni et cum placentia populi tantum lucrum, et tamen[10] rex pro defensione regni vix tantam pecuniam in tanto tempore obtineret. Consideret ergo pius[11] populi relevator[12], quomodo vulgus qui daret se labori[13] est complexione debilior, sanitate infirmior et vita brevior quam solebat; coelum tristius respicit haec terrena in perturbando tempora[14], in frustrando terrae nascentia et omniquaque in tardando haec vegetabilia; et super haec omnia populus servientium est carior sumptuosior et falsior quam solebat. Quomodo ergo non ad

[1] depraedarentur] depraedarent, B.; praedarent, ed. pr. [2] et] quod, ed. pr. [3] ornationibus] adornationibus, ed. pr. [4] non dubium quin] non dubium quin nedum, ed. pr.; nondum, A.B.C. [5] perpetratis] propter ecclesiam, A.B.; propterea perpetratis, ed. pr. [6] dominorum] divitum, ed. pr. [7] alchimica] alchimitica, ed. pr. [8] defensionem] dissectionem, A.B. [9] potestate] potentia, ed. pr. [10] tamen] cum, ed. pr. [11] pius] prius, A.C. primae manus, B. ed. pr. [12] relevator] revelator, ed. pr. [13] labori] laboricio, A. primae, C. secundae manus, B. ed. pr.; daret se laboricio, D. [14] tempora] temporalia, ed. pr.

satis magnam destructionem[1] regnorum foret hoc flagellum inflictum a Deo, licet non super istud superaddatur[2] nova afflictio per fraudes insensibiles antichristi? Quomodo ergo sequuntur Christum et suos apostolos in vita et doctrina parcendo ecclesiae, cum Christus legitur fecisse miraculose duo convivia, quae a probabili excesserunt totum prandium quod[3] ipse cum suis discipulis assumpsit a[4] toto populo, praeter haec fragmenta quae sumpserant post plenam ejus cibationem, ut Marcus et Johannes in suis evangeliis contestantur.

Octavus abusus, quod fratres otium pestilentissimum trahunt.

*Secundus abusus* fratrum est, quod in contractis quas habitant contemnentes Pauli laboricium, de quo dictum est superius, ociantur. Et haec videtur ratio quare in Anglia sunt tantae terrae plus[5] steriles quam solebant; imo considerando ulterius, cum corpora supra coelestia[6] agant in terram secundum dispositionem passorum, sic quod tota intemperies ex indebita positione terrestrium est causata, videtur quod fratres ociantes inordinate globate et aggregantes terrestria causant totam intemperiem sublunarem. Et hinc assignant philosophi rationem, quare in civitatibus et locis paludalibus aër communiter est corruptus. Si enim foetiditas inclusa intus foret ut olim[7] per laboricium expurata[8], non plus modo quam prius forent pestilentiae vel intemperies quae contingunt in aëre, ut tangitur in parte sermone secundo primae partis, super illo[9] Lucae xxii.: 'erunt signa in sole et luna et stellis etc.' Fratres ergo[10] ociantes in terrae laboricio et multiplicantes in globo superfluo inordinate terrestria, sunt multa in causa[11] aëriae discrasiae. Et si dicatur quod communitas hominum, etiam rurales causant istam intemperiem sicut fratres, conceditur quod nedum sic[12], sed inficientes aërem cum ingurgitato stomacho et sudoribus evaporatis indebite inficiunt aërem communiter, et inferunt suis confratribus nocumenta: sectae tamen istae[13] fratrum communiter praecipuo, cum debent manere in eremis ut Baptista, et nullo modo conglobari in conventu indebito, sed plus attente dare se laboricio ad profectum ecclesiae sicut Paulus.

[1] destructionem] poenam, ed. pr. [2] superaddatur] superadditur, ed. pr. [3] quod] om. B. [4] a] de, ed. pr. [5] plus] om. A.B.C. [6] supra coelestia] supra terram, A.B. primae manus; supercoelestia, ed. pr. [7] olim] olim foret, ed. pr. [8] expurata] expirata, ed. pr. [9] illo] primo, ed. pr. [10] ergo] autem, C., B. secundae manus. [11] multa in causa] multae causae, ed. pr. [12] sic] sit, ed. pr. [13] istae] om. ed. pr.

*Tertius abusus* fratrum est, quod postponentes legem et ordinationem Christi cum sua sententia adinventiones fratrum frivolas anteponunt. Et istud est magnum facinus ad damnum[1] ecclesiae, cum blasphemant innuitive, praeponentes[2] sensui Christi suas dementias quas diabolus adinvenit. Cum enim fratres sint tantum finitae activitatis et observantiae sicut et erant apostoli, patet, quod[3] in complendo pure legem et ordinationem Christi forent longe melius occupati; ista ergo est inexcusabilis fratrum culpa, quod dimittendo ordinationem evangelicam tam blaspheme praeponderant suam stultitiam adinventam, ac si dedignarentur vel erubescerent sequi[4] Christum patronum, sed unum alium mendacem et grandem peccatorem sibi statuunt, regulam[5] Christi ordinis deserendo. Sed Christus dicit: 'qui erubuerit me et sermones meos, hunc Filius hominis erubescet coram angelis Dei.'

Nonus abusus, quod fratres Christi legem suis inventionibus postponunt.

*Quartus abusus* fratrum est iste quod deserentes executionem legis evangelicae de correptione fraterna infideliter favent diabolo atque mundo, unde[6] Christus dicit: 'qui diligit patrem aut matrem, fratrem aut sororem, etiam animam suam plus quam me, non est me dignus;' fratres autem propter amorem sui corrupti ordinis vel personae, non audent fratres suos, quantumcunque manifeste deliquerint, evangelice corripere vel[7] percepta obstinantia, ut docet Christus Matth. xviii. tanquam publicanum deserere, sed statuunt sibi pro regula expresse[8], quod est contra evangelium, pro sua comitiva diabolica conservanda quod obmittant sic fratres suos corripere vel dicendo ecclesiae castigare, sed saepe in tetro carcere contra legem Christi includere et ad onus ecclesiae, ne[9] malitia vel defamatio[10] sua appareat[11], abscondite contra caritatem occidere. Et cum idem sit diligere personam vel consuetudinem vel legem quam ipse approbat, manifeste patet, quod fratres legem et consuetudinem Domini postponentes et praeponderantes suam mendicam consuetudinem[12] et leprosam, Christum postponunt istis personis miseris in amore; sed ubi rogo tunc est in fratribus regula

Decimus abusus, quod fratres mendicantes correptionem fraternam negligunt.

[1] damnum] damnationem, A.B.C. [2] praeponentes] praeponderantes, D. ed. pr. [3] et observantiae, sicut et erant apostoli, patet quod] om. A.B.C. [4] sequi] om. A.B.C. [5] regulam] regulas, D. ed. pr. [6] unde] ubi enim, ed. pr. [7] vel] de, A.B.; et, C. [8] expresse] om. A.B.C. [9] ne] irae, ed. pr. [10] defamatio] defamantia, A.B.C. [11] appareat] apereat, B.; aperiat, ed. pr. [12] Domini—consuetudinem] om. A. primae manus, B.C.

Undecimus abusus, quod quaestum et honores mundanos plus amant quam homines ipsos.

caritatis? *Quintus abusus* fratrum est, quod omnino subvertentes ordinem caritatis plus amant honores et lucra mundana quam ipsos homines, zelantes per haec media ad honores mundanos et implicationes[1] cum seculo, contra legem Christi 2 Timoth. ii., 'nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.' Quod si fratres haec faciunt, judicent[2] cum mundo de suis operibus vero judicio[3]. Si enim propter honores vel lucra mundana adulantur[4] parcentes veritati catholicae, non dicendo illis[5] sine simulatione veritatem evangelicam tam in prosperis quam in adversis, quis dubitat quin latenter et abscondite descendant in lacum inferni propter exaltationem in seculo? Evangelium enim docet nos[6] tales magistratus vel praeposituras non appetere, nec hominem se negotiis secularibus implicare; quod si fratres faciunt omnino oppositum, non percipientes aliquem tractatum[7] secularis negotii, quo cum velatione[8] suae apostasiae non possunt colorate intromittere quin subdole se ingerant magis legistis, quis dubitat quin diabolus laboret in illis, mundum in suis versutiis[9] diabolicis involvendo? *Sextus abusus* fratrum et[10] pessimus stat in simulatione confessionum, quibus per infinitos Maeandros blaspheme[11] simulant quod confessos suos purgent et omnino faciant mundos a macula quo ad Deum ex praesumpta antichristi potentia, lege et satisfactione Domini[12] praetermissis; et cum illa cautela zelantes pro lucro magistri sui diaboli trahunt nimis multas animas ad infernum. Si enim conversatio justorum propter legis et vitae rectitudinem sit in coelis, per locum a sufficienti contrario est horum fratrum conversatio in inferno; ideo consonantius[13] dicitur quod trahunt ad Tartara quam quod mittunt. Et quod pessimum est super omnia ista duodecim, seducunt capitaliter populum in bonis spiritualibus, qui temere eis credit[14].

Duodecimus abusus vertitur in simulata absolutione confessorum.

[1] et implicationes] ad implicationes, A.; ad multiplicationes, B.; et implicantes se, ed. pr. [2] judicent] om. A. primae manus, B. [3] cf. Joh. vii. 24. [4] adulantur] adulantur hominibus, C. ed. pr. [5] illis] om. A.B.C. [6] nos] om. D. ed. pr. [7] tractatum] om. B., A. primae manus. [8] quo cum velatione] cum quo cum velatione, C.; cum quo cum aliquem velatione, D. ed. pr. [9] versutiis] blanditiis, B. [10] et] om. ed. pr.; est et, B. secundae manus. [11] blaspheme] blasphemiae, C. ed. pr. [12] Domini] Domino, A.B.C. [13] consonantius] constantius, ed. pr. [14] credit] credunt, B. ed. pr.

## CAP. XXXVI.

*Fratres seducunt regna, quae incolunt.*

*Alithia.* Considero quod aspere sed non satis[1] detexisti versutias pseudofratrum; sed dic, quaeso, particularius, quomodo seducunt regna quae incolunt. Videtur enim mihi, quod cum non habent a rege suo licentiam ad mortificandum loca quae habitant, nec recognoscunt regem super suis temporalibus esse dominum capitalem, quod alium dominum habeant antichristum.

*Phronesis.* Videtur mihi quod obmittendo medullam rei et bonum animae infideliter moveris circa peripsema[2] temporale. Certum tamen est mihi, quod hae sectae fratrum in fraudem et praejudicium regnorum, ac si omnia illa vellent destruere, machinantur. Idem enim foret fratres non petita vel obtenta regum licentia, antichristum statuere dominum omnium bonorum quae possident, tam quorumcunque mobilium quam domorum, et inducere ut sit rex regnorum quae incolunt. Quod si antichristus nequior ut *Robertus Gilbonensis*[3] habeat plures fratres sub suo ducatu quam alius Papa bonus, quid impedit nisi gratia Dei cum[4] regni potentia, quin invadat regnum Angliae tanquam suum? Dicitur enim quod habet in Anglia satis ampla habitacula et thesaurum, et ut fratres de sua secta fingunt, foret omnino contrarium rationi impedire dominum[5] ne capiat[6] usum sui dominii super bonis, quae habet a fratribus occupatis, et ille meatus callide introductus praeparet ad totum regni residuum perquirendum. Debet ergo fidelis consulere regi nostro ut prudenter obstaret his falsis principiis; et ars diaboli est eo patentior[7], quo fratres noscuntur contra

Ordines fratrum mendicantium regnis, quae incolunt, multa detrimenta afferunt. Namque nituntur ut antichristum praeficiant regnis.

[1] aspere, sed non satis] non aspere, sed satis, ed. pr. [2] peripsema] peripsima codd. manu scripti, cf. 1 Corinth. iv. 13. [3] Robertus Gilbonensis] sive Genevensis, Clemens VII., Urbano VI. oppositus, quo tempore schisma occidentis ortum est. [4] cum] tum, ed. pr. [5] Dominum] dominium, ed. pr. [6] capiat] rapiat, ed. pr. [7] patentior] potentior, A.B.C.

scripturae logicam sic mentiri. Fabulantur enim ad simulandum suam sanctimoniam, quod nihil habent[1] in proprio vel communi quod non posset efficaciter excusari, nisi dixerint se esse haereticos et membra diaboli, quia certum est quod sicut habent esse naturale et bona naturae, sic habent multa bona fortunae, supposito[2] quod eis insistat gratia hoc permittens[3]. Ideo[4] si vere nihil habuerint, sed tam copiose bonis[5] alienis abusi fuerint, tunc certum est quod sunt membra diaboli, ex titulo habendi aliquid a[6] Christi gratia alieni. Quod si fingunt quod nihil habent civiliter sed solum evangelice in proprio vel communi, tunc certum est[7] cum paribus, quod implicant papam Petri vicarium dominari civiliter, et sic Christum. Et cum eis licet ut[8] inquiunt dominari, quomodocunque Christus fuerat humanitus dominatus, licet eis civiliter dominari. Ad[9] quid ergo imponunt Petri vicario et sic Petro tale dominium, cum nec Petrus nec Christus potuit in statu tali taliter dominari? Numquid credimus quod hi fratres excellunt Christum, ut antichristum praeficiant super regnis et eum constituant dominum dominorum? Si igitur hi fratres verbotenus excludunt a se istud dominium, et imponunt[10] ipsum patri suo, quem dicunt esse Christo proximum, vel oportet ipsos[11] blasphemare in Christum vel asserere, quod patri suo imponunt spiritualem maculam et venenum.

Episcopos seducunt.

Sed praeter istam antiquam toxicam et ex stultitia praetermissam, videtur quod fratres generaliter pro anno Domini millesimo trecentesimo[12] octogesimo[13] secundo recenter et particulariter in suo concilio terraemotus Londoniis intoxicaverunt regnum nostrum. Dicitur enim ex[14] gestis credibilibus[15], et fratres sustinent ac defendunt, quod fratres[16] subtiliores et majores horum ordinum ex communi suo concilio sic traxerunt multos episcopos ad tractatum quod implicarunt Dominum Jesum Christum et multos sanctos ejus, praecipue jam beatos, obiisse

[1] habent] om. C.; possunt, ed. pr.; fortassis ex 'possident' ortum.
[2] supposito] suppono, B. secundae manus.
[3] permittens] promittens, A.
[4] ideo] et ideo, A.
[5] bonis] om. A.B.
[6] a] ex, A.C., B. primae manus, ed. pr.
[7] est] est ceteris, B. primae manus, ed. pr.
[8] ut] om. A.B.
[9] ad] at, ed. pr.
[10] imponunt] imponant, ed. pr.
[11] ipsos] eos, ed. pr.
[12] trecentesimo] om. ed. pr.
[13] octogesimo] septuagesimo, ed. pr.; LXXXII°, A.C. 82°, B.
[14] ex] om. A.B.C.
[15] credibilibus] credibilius, A.B.C.
[16] fratres] om. D.

haereticos; et in majorem blasphemiam non potuerunt isti haeretici corruisse. Olim enim episcopi nostri dicuntur pseudofratres tanquam diabolos odivisse, cum in tempore domini *Armacani* dicuntur ipsum in sumptibus contra hos pseudo-ordines defendisse. Sed modo facti sunt amici Herodes et Pilatus, qui prius inter[1] se fuerant inimici. Duo tamen prognostico in hac parte; primum, cum ista confoederatio non sit fundata in lege Domini nostri Jesu Christi, quod non stabit, sed cessabit[2] ad damnum utriusque partis sive alterius, cum non sit bona societas Christiani[3] ad Belial. Secundum quod ego prognostico est istud, vel quod oportet nostros episcopos et regni proceres opiniones istorum pseudofratrum deserere in hac parte, vel quod cum illis sint in haeresim[4] involuti. Nam in primo articulo diffinierunt hi fratres, ut repugnans haeresi, quod nulla substantia panis materialis vel vini manet post consecrationem in sacramento altaris; oppositum, inquiunt, hujus est haeresis manifesta, sicut est haeresis quod accidentia non maneant sine subjecto post consecrationem in eodem sacramento. Quamvis autem pepigi extra scholam non usurum istis terminis 'substantia panis materialis aut vini,' tamen fides necessitat concedere convertibile propositioni terminorum istorum. Nam ut dicit beatus *Hieronymus*, panis[5] quem cepit Christus in manibus atque fregit, est corpus Domini salvatoris. Sed rogo quis panis fuit ille? Numquid substantia panis materialis vel alia res ignota? Cum ergo Christus dixit hunc panem esse corpus suum, et fratres isti negant idem tanquam summe haereticum, patet quod quantum in illis est, damnant Christum tanquam summe haereticum. Et cum oportet de lege damnationis talis alteram partem esse haereticam, patet cum Christus non posset esse haereticus, quod[6] secta ista fratrum sit omnino haeretica expressis sermonibus vel consensu. Item substantia corporis Christi manet post consecrationem in sacramento altaris, ut oportet fratres concedere[7], et ubicumque est substantia corporis Christi est generalissimum genus substantiae, ergo ipsum manet post consecrationem in sacra-

Sed foederi inter episcopos et fratres mendicantes isto finis imponendus est.

[1] inter] intra, ed. pr. [2] cessabit] cassabitur, A.B. [3] Christiani] om. A.B.; cf. 2 Corinth. vi. 14, 15. [4] haeresim] haeresi, ed. pr. [5] panis] panem, B. ed. pr. [6] quod] sed, ed. pr. [7] concedere] credere, ed. pr.

mento altaris; et cum ipsum sit substantia ac quidditas cujuslibet specialis substantiae, sequitur quod ipsum sit substantia cujuscunque panis aut vini materialis. Et patet stultitia hujus[1] damnationis; non enim repugnat huic sacramento, quod mica panis materialis vel guttula vini imbibatur[2] in poris hujus venerabilis sacramenti. Item, ut saepe tactum est, si ex diffinitione istorum blasphemorum in hoc sacramento sit accidens sine subjecto, oportet illos concedere quod illud accidens sit ipsummet sacramentum, et cum nullum accidens potest esse corpus Domini, relinquitur ipsis concedendum, quod ipsum sacramentum non potest esse corpus Dominicum, et cum Christus dicit hoc esse corpus suum[3] et demonstrat panem ut supra ostenditur, relinquitur quod isti haeretici tam expresse Christo contrarii sunt blasphemi. Et hinc multi fideles pie reputant, quod sicut in alia damnatione Christi per sacerdotes legis veteris quae fuit minus[4] reproba, sic in ista damnatione, ad ostendendum defectum attestationis humanae fuit insolite motus terrae. Quando enim membra Christi deficiunt ad reclamandum contra tales haereticos[5], terra clamat. Ideo consulerem nostris episcopis et omnino secularibus, expellere tales haereticos idiotas, cum diaboli isti vellent seducere per suam haeresim alios fide stantes.

## CAP. XXXVII.

*De fratrum malitia et fraude.*

*Alithia.* Satis[6] dixisti de ista materia; ideo vellem, quod procederes ulterius materiam aliam tractaturus.

*Phronesis.* Cuncti fideles debent instare tam verbo quam opere pro declaratione istius materiae, et constantes catholici viri usque ad mortem ipsam destruere, considerando juxta antiquam sententiam, quod sunt *tres leges* in ista materia atten-

[1] hujus] hujusmodi, C. [2] imbibatur] bibatur, A.B. secundae manus.
[3] hoc esse corpus suum] hoc est corpus meum, B. primae manus, ed. pr.
[4] minus] nimis, D. [5] haereticos] haereticos idiotas, A.B.C. ed. pr.
[6] satis] satis enim, A.B.C. ed. pr.

dendae, scilicet lex Christi et suorum membrorum, lex mundi et hominum mundanorum, et lex diaboli et suorum filiorum. Lex et consuetudo primi principii est bonum pro malo reddere; lex et consuetudo secundi principii est reddere bonum pro bono et malum pro malo; sed lex tertii principii legi Christi[1] contraria est reddere irregulariter[2] malum pro bono. Unde isti filii Belial sic instruendo episcopos ac fideles alios pro beneficio eis dato, ostendunt patenter se esse diabolos.

Monachi mendicantes pro beneficiis mala rependendo diabolum imitantur.

Unde melius fuisset illis, antequam in tales haereses idiote[3] decidissent, studuisse quid sit illud sacramentum, et quid sit propositionis sacramentalis pronomine[4] demonstratum; sed pater eorum in hoc ligavit suas notitias. Cum ergo in hoc concilio terraemotus damnarunt Christum tamquam haereticum et doctores ecclesiae praecipuos et per mille annos ac amplius ab ecclesia approbatos, manifestum videtur quod innuunt se haereticare singulos Christianos. Sed secundo specialiter laborant in eodem concilio ad damnandum regem Angliae, proceres ejus ac regnum tanquam haereticos, et per consequens ad exhaeredandum omnes hos dominos, ac Robertum Gilbonensem cum globo haereticorum fratrum de suo concilio in Angliam inducendum. Assumunt autem istud subdole pro medio ad hunc finem, quod error nimis periculosus est dicere quod domini temporales possunt ad arbitrium eorum auferre bona temporalia ab ecclesia delinquente, et quod populares possunt ad eorum arbitrium dominos delinquentes corrigere. Quamvis autem ista secunda particula sit iners pictatia a fratribus adinventa, tamen fratres laborant assidue ad fundandum illam sophistice. Deus, inquam, potest praecipere populo sic facere, nec est Dei potentia sic exhausta quin posset movere populum ad taliter faciendum; ergo populares possunt sic facere. Similiter personae illae quae jam sunt populares, possunt ex eventibus bellicis et infinitis aliis casibus esse fortissimi conquestores, sicut e contra domini temporales possunt esse miserrimi mendicantes; quomodo ergo negandum est, quod populares possunt corrigere dominos delinquentes? Similiter cum populares sint

[1] Christi] Dei, A.B.C. ed. pr. [2] irregulariter] regulariter, A.B. primae manus, ed. pr. [3] idiote] idiotice, ed. pr. [4] pronomine] i.e. vocabulo 'hoc.'

creaturae Dei sicut et fratres, et habent communiter verba exhortationis plus efficacia, quare non possunt ipsi cooperante Dei gratia corripere et corrigere dominos temporales? Numquid fratres velint tantam indurationem in dominis ipsis ponere, quod sicut ipsi impediuntur a patre suo dominos illos corrigere quin potius ad deterius agitare, sic necessitentur cuncti populares communicare venenum diaboli ipsis dominis sicut fratres. Unde alias dixi, quo ad primam partem sententiae, quod domini temporales habent potestatem a Deo concessam, ut patet ad Romanos xiii., ad viros ecclesiasticos castigandum. Mirabile quidem foret quod domini temporales habeant potestatem ad ecclesiasticorum vitam in Christi pauperie subvertendum, et non habeant potestatem ad stultitiam, in qua contra Deum deliquerant, corrigendum. Fratres enim videntur in hoc similare sibi seculares[1] dominos, quod sint ut[2] illi diaboli indurati; licet autem seculares domini ad tempus ab istis pseudofratribus sint seducti, sic quod quilibet eorum vel multi cum suis uxoribus habeant[3] unum Ischarioth pseudofratrem, tamen[4] ex Dei gratia potest esse quod cognoscant diabolorum istorum[5] versutias, eorum fraudes subdolas deserentes. Supposita autem veritate primae partis conclusionis damnatae per fratres, et relicta illis solutione rationis triplicis, quam veritati priori fatue cumularunt, videamus ulterius quomodo diffiniunt, quod iste error est nimis periculosus; impertinenter autem videntur super tota copulativa taliter diffinire[6] nisi super utraque parte senserint esse errorem atque periculum, et per consequens nisi utramque partem senserint esse falsam[7]. Et cum domini temporales se exercitant communiter in prima parte ad salutem suae animae, ut supponunt fratres imponentes errorem in isto labore, implicant dominos in hoc[8] communiter malefacere, quia in periculum suae animae et damnum rei publicae oberrare[9], et cum ad regalia[10] regis hoc attinet, patet quod fratres imponunt regi et omnibus

Domini temporales potestatem habent a Deo concessam castigandi viros ecclesiasticos delinquentes.

[1] similare sibi seculares] simulare sic illos, B. primae manus; simulare sibi illos seculares, ed. pr.; similare i. e. similes reddere. [2] sint ut] sicut, ed. pr. [3] habeant] habeat, ed. pr. [4] tamen] cum, A. ed. pr. [5] istorum] illorum, ed. pr. [6] diffinire] diffiniri, ed. pr. [7] falsam] falsum, ed. pr. [8] in hoc] om. B. secundae manus. [9] oberrare] ob errorem, ed. pr. [10] regalia] regaliam, B. secundae manus; regulam, ed. pr.

suis consentaneis hunc errorem. Et cum omnis veritas sit in scriptura sacra, patet, quod error iste, quem falsitatem asserunt, sit contrarius saltem implicite alicui parti scripturae sacrae; et cum sit tam pertinaciter defensatus, patet, quod fratres debent asserere errorem istum esse haereticum, et sic regem et suos proceres ipsum taliter defendentes. Et ita ebullit fratrum stultitia, quam ascribunt sibi pro magna prudentia, quod in materia fidei aliquam falsitatem vocant errorem et aliquam haeresim, cum tamen utrobique pertinax defensio sit aequalis. Sciant, inquam, isti stulti antichristi discipuli, quod omnis error periculosus in materia fidei est haeresis manifesta. Sciant secundo, quod non possunt primam partem, quae ad regaliam regis pertinet, dissolvere et per consequens nec damnare, imo si principia sua bene studuerunt[1], non negarent, quin summe[2] possunt corrigere dominos temporales. Sed supponitur fratres in correctione dominorum putantes jacere periculum, quia illa supposita forent libertati[3] de fonte diaboli, et a fraternitate qua fratres confoederantur cum filiis Belial, separati; de hoc autem tanquam periculo timent fratres. Et patet quomodo regaliam regis et totum regni seculare dominium fratres subdole nituntur destruere. Et cum illa perceptio[4] a regis clericis emanaret, rex et ejus proceres forent ad ablationem temporalium, quae occupantur per clericos, amplius animati; patet, quod subdole procurant pro utroque brachio ecclesiae Anglicanae. Unde in illis quae sapiunt eis ad lucrum, licet in haeresim manifestam sonuerint, laborant assidue. Sed ex Dei gratia consilium Achitophel dissipatur, nam tanquam membra diaboli illud quod sibi reputarunt proficere, ad sui damnum tam in corpore quam in anima converterunt, cum undique ex sua[5] malitia fraus eorum diabolica amplius est percepta, et specialiter in hoc, quod tam Londoniis quam Lincolniae laborant[6] assidue ad sacerdotes fideles et pauperes extinguendum, et specialiter propter hoc quod eorum versutias caritative in populo detexerunt[7]; et ut credo ante plenam peccati hujus vindictam Deus super isto

[1] studuerunt] studerent, D. [2] summe] sincere, ed. pr. [3] libertati] derivatum a verbo liberto, pro *liberati*. [4] illa perceptio] illo percepto, B. primae manus, ed. pr. [5] sua] sui, ed. pr. [6] laborant] laborarunt, C. ed. pr. [7] detexerunt] detexunt, ed. pr.

scelere non quiescet. Dicunt enim quod Christum sequuntur in vita praecipue; sed quomodo potest Christus, qui dilexit et oravit pro suis inimicis, fideles illos niti extinguere propter hoc quod laborant caritative proficere membris suis? In hoc ergo fratres manifeste ostendunt, cujus sunt filii et quomodo in reddendo malum pro bono nituntur complere monita patris sui[1]. Revera inter omnia peccata, quae unquam consideravi de fratribus, hoc mihi videtur esse[2] sceleratissimum propter multa: emanavit enim integre ex unicordi consilio et consensu omnium horum fratrum. Hoc enim quod[3] quilibet seorsum rapiat uxorem alterius, et sic de aliis peccatis quae committunt publice vel private, videtur esse peccatum modicum quo ad istud.

## CAP. XXXVIII.

*Domini temporales adjuvare debent populares contra fratres.*

*Alithia.* Videtur mihi quod satis plane detexisti fratrum malitias. Sed dic, rogo, si domini temporales possunt aut debent infimam partem ecclesiae, cujusmodi[4] sunt tenentes sui et alii populares, juvare ac defendere contra fratres, quia certum mihi videtur, quod fratres sunt haeretici et inferunt[5] saltem ex consuetudine suorum ordinum contradictionem qua militant contra Christum. Nec videtur mihi quomodo patentius possent haereticare Christum et singulos Christianos quam damnando istum articulum tanquam haeresim in suo concilio, scilicet quod speciales orationes applicatae uni personae per praelatos vel religiosos non plus prosunt eidem[6], quam generales orationes eidem personae[7], ceteris paribus. Nam ex fide et auctoritate Christi credimus, quod oratio Dominica, de qua Matth. vi., est longe melior quam alia[8] oratio specialis; et sic credimus

[1] cf. Joh. viii. 44. [2] esse] fuisse, A.B. om. C. [3] quod] ideo, ed. pr. [4] cujusmodi] cujus, B.C. ed. pr. [5] inferunt] differunt, B. primae manus, A.; deserunt, ed. pr. [6] eidem] eidem personae, C.D. ed. pr. [7] orationes eidem personae] om. A.B. [8] alia] aliqua, ed. pr.

consequenter, quod oratio illa devote effusa pro populo plus prodest eidem quam aliqua oratio, quam fratres vel praelati sciunt dicere aut unquam postmodum invenerunt. Et numquid[1] applicatio facta per Christum sit[2] melior quam blasphema applicatio quam fratres fingunt se illis personis, quae volunt dare sibi pecuniam, applicare[3]? Et cum[4] beati, sicut ex letania[5] supponimus, orant pro ecclesia militante, videtur quod istorum beatorum[6] oratio sit longe melior nobis quam oratio istorum fratrum[7] vel oratio praelatorum. Et cum[8] isti beati instar Christi plus amant populum quam personam privatam, nec propter talia stercora possunt flecti; satis apparet mihi, quod generalis eorum oratio plus prosit ecclesiae militanti quam fratrum oratio specialis. Non enim praesumunt[9] fratres se extollere supra sanctos. In ista ergo infidelitate videtur mihi quod fratres damnarunt, quantum in eis est, Christum et omnes cives coelestes et per consequens totam militantem ecclesiam, quae plus appretiatur orationem Dominicam quam istas speciales orationes et frivolas a fratribus inventas.

*Phronesis.* Placet mihi, soror, quod[10] istam haeresim[11] fratrum dimissam consideras tam acute. Nec dubito quin ista determinatio sapiat haeresim manifestam[12]; et claret ratio, quare haec haeresis taliter pullulavit. Fratres enim per orationes hujusmodi illudunt populo quo ad Deum, et false spoliant populum quo ad mundum, et hinc orationes illas tante magnificant. Et[13] ut sententia sua habeat majus robur, et minus ex affectione proprietaria sit[14] suspecta copularunt fratres sibi communiter religiosos et episcopos[15], sed Christi et sanctorum in patria subdole[16] sunt obliti.

Sed ulterius accedendo[17] ad quaestionem quam quaeris, non

[1] numquid] om. A. primae manus, B. [2] sit] est, C. ed. pr. [3] quam fingunt—applicare] om. A. primae manus, B.; quam fingunt fratres—applicare, C. ed. pr. [4] cum] om. A.B.C. [5] letania i.e. litania. [6] beatorum] om. A.B.C. [7] fratrum] om. A.B.C. [8] cum] om. A.B.C. [9] non enim praesumunt] praesumunt ergo, A.B.; non enim praesument, ed. pr. [10] quod] quod detexisti, B. A.; et, C. primae manus, ed. pr. [11] haeresim] haeresim manifestam, A.B.C. ed. pr. [12] fratrum dimissam—haeresim manifestam] om. B., A. primae manus. Editio princeps habet 'commissa considerans' pro 'dimissam consideras.' [13] et] om. ed. pr. [14] sit] sic, ed. pr. [15] episcopos] episcopos conjunxerunt, ed. pr. [16] subdole] isti fratres subdole, ed. pr. [17] accedendo] attendendo, ed. pr.

Domini temporales debent etiam ecclesiam adjuvare contra injurias pseudofratrum.

dubito quin domini temporales tenentur juvare infimam partem ecclesiae contra hos pseudofratres, sicut tenentur se ipsos juvare contra possessionatos clericos, ut praedixi. Deus enim non potest[1] accipere a suo subdito vel conferre, nisi gratiose sibi retribuat majus bonum; quomodo ergo licet praelatis vel dominis accipere quidquam de suis subditis, nisi aequivalente adjutorio recompensent? Debent enim, quantum sufficiunt, sequi Christum. Unde praelati falsi et omnes vicarii antichristi vendicant diabolice, se esse liberiores quo ad subditos quam est Christus. Nec video quomodo aliquis posset esse tyrannus seculi, nisi in subtractione vel obmissione hujus adjutorii tyranniset. Christus enim non potest adjutorium et defensionem a suis subtrahere[2]. Quomodo ergo sequuntur hunc Dominum[3], qui subtrahunt defensionem et adjutorium suorum[4] tenentium contra eorum praecipuum inimicum? Nec dubito quin justa defensio eorum cederet dominis temporalibus ad prosperitatem mundanam ac suum meritum et ad gloriam sempiternam. Si autem domini temporales tenentur suos tenentes defendere contra fures, latrones et raptores, imo contra hostes publicos, regnum quod incolunt invadentes, multo magis contra pseudofratres, cum sint in omnibus istis injuriis praecellentes, et eo specialiter quo fratres directius impetunt contra Christum, et quo facilius possent[5] per temporales dominos mitigari.

Nam non oportet, sicut non consulo, quod[6] pugnent cum fratribus eos occidendo, sed[7] ad hoc[8] sane consulo quod homines non foveant eos in suis temporalibus sub mendaci[9] colore eleemosinae, quia sic damnificarent indubie se et illos. Unde recolerent domini, quomodo peccatum eorum proprium est ipsis dominis nimis grave, licet non faciant se participes cum hypocritis istis in crimine, cum ex fide evangelii sit nimis periculosum, sic ponere portionem cum istis hypocritis. Et si dicatur quod temporales domini debent illis credere tanquam sanctioribus militantis ecclesiae, dico cum apostolo, quod non

[1] potest] potuit, ed. pr. [2] tyranniset—subtrahere] om. A.B.; adjutorii, et defensionem a suis subtrahere, C. [3] Dominum] Deum, B. primae manus, ed. pr. [4] suorum] suum, B., A. primae manus, ed. pr. [5] possent] posset, ed. pr. [6] quod] om. ed. pr.; quod homines, D. [7] pugnent—sed] om. B., A. primae manus. [8] ad hoc] om. A.B.C. [9] mendaci] mendici, B., A. primae manus.

credant nimis faciliter omni spiritui[1]; sed debent examinare eos si ex Deo sunt, quod est seculari satis facile, cum faciliter possit a fratre quaerere ex testimonio totius sectae suae cum sigillo suo communi, quid sit hostia consecrata. In quo cum frater necessitatur mentiri, patet quod secularis dominus convincens fratris mendacium in materia fidei debet omnino ipsum repellere ut suspectum. Nam in suo generali concilio decreverunt, sicut et doctores sui a tempore quo Christianismum subintroierunt, quod ista hostia[2] sit accidens sine subjecta[3] sibi substantia sive[4] nihil, quod si istud consecrant, dicunt dominis[5] suam haeresim manifeste, cum non solum debent dicere consequenter, quod ista hostia non possit esse panis vel corpus Christi. Sed ut certe scio omnes fratres mundi non possunt docere aliquem, nec se ipsos, quid sit illud accidens sine subjecto, quod sic consecrant et adorant.

Ordines mendicantium primo examinandi sunt, num ex Deo sint.

Considerent ergo hi domini illud psalmi, ubi Spiritus Sanctus diffinit per sanctum David, quod hi habitabunt tanquam membra in tabernaculo ecclesiae militantis[6] et requiescent postmodum in monte ecclesiae triumphantis[7], in quibus conditiones istae per ordinem sunt completae: primo quod 'ingrediantur sine macula' in statu debite militandi[8], a quo puncto fratres et cuncti[9] Symoniaci patenter deficiunt; secundo quod viator, postquam statum illum intraverit, assidue 'operetur justitiam;' et inter alias justitias hominem juvare proximum suum spirituali juvamine est una praecipua, cum sit singulare opus misericordiae, ad quod omnes homines obligantur; tertio quod sit verax[10] non nude in verbis, sed animo, cujusmodi est viator 'qui loquitur veritatem in corde suo;' et quarto, quod non 'lingua' vel[11] sensibili colloquio sit 'dolosus;' quinto quod 'non injurietur proximo,' vel corporale subsidium vel spirituale, quod magis est debitum, subtrahendo; sexto qui non acceptat et non credit obpropriosa verba dicta de aliis, cujusmodi potissime sunt crimina, ille[12] non accipit[13]

[1] Cf. 1 Joh. iv. 1. [2] hostia] consecrata, ins. ed. pr. [3] subjecta] subjectata, C.; substrata, D. ed. pr. [4] sive] sine, ed. pr. [5] Dominis] Domino, ed. pr. [6] tabernaculo ecclesiae militantis] cf. Ps. xv. (xiv.) 1 seq. [7] in monte ecclesiae triumphantis] in ecclesia triumphante, in monte ecclesiae triumphantis, A.B.C.; in ecclesia triumphantis, in monte ecclesiae triumphantis, ed. pr. [8] militandi] militandum, B.C.; militando, A. [9] cuncti] omnes, A. [10] verax] in se verax, C. ed. pr. [11] vel] sub, A.B.C. ed. pr. [12] ille] ibi illi, ed. pr. [13] accipit] accipiunt, ed. pr.

'obproprium adversus proximos suos,' quales sunt qui non fovent communiter detrahentes; et cum fratres mendaces sunt communiter isto crimine irretiti, omnes fideles debent cavere ne in crimine isto sint[1] illis participes. Sed septimo scit secularis dominus et quilibet fidelis, quantum sufficit quod 'malignum' quemcunque in conspectu[2] suo[3] 'deducat ad nihilum,' cum favendo[4] talibus facit proditorie contra Deum. Sed octavo extollat et 'glorificet[5],' quantum sufficit, fratrem suum, qui operatur juste instantius, et perseveranter et filialiter 'timet Deum.'

Increpando in mendicantes caritas haud violatur, cum Christus ipse Pharisaeos atque alios reprobaverit.

Nec dicant fratres, vel alii, quod[6] sic loquendo contra has sectas a caritate excidimus[7], quia certus sum, quod[8] Christus Dominus non potuit a[9] caritate deficere, cum[10] ipse, ut patet Matth. xxiii., sectam Pharisaicam acutissime reprobavit, cum vae octuplex non solum imprecatus est illis vel prophetavit, sed in illis effectualiter adimplevit. Christus enim ad magnificandum sectam suam, quam ordinavit per se sufficere, omnes tales sectas religionis privatae, ut Pharisaeos Saducaeos et Essaeos[11] ordinavit destruere. Unde Christus in suo apostolo, ad Titum primo, docet sic nos ipsos diligere: 'sunt, inquit[12], multi inobedientes, vaniloqui et seductores, maxime[13] qui ex circumcisione sunt, quos oportet redargui, qui universas[14] domos subvertunt, docentes quae non oportet, turpis lucri gratia.' Et sequitur: 'quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint[15] fide.' Nec dubium quin religiosi nostri privati tam infideliter appretiantes signa sua sunt in isto capitulo, omnes enim tales sunt, 'inobedientes' legi evangelicae, cum plus appretiantur signa sua[16] adultera quam fructum fidei, qui in lege evangelica edocetur. Nec dubium, quin illi regulariter sint 'vaniloqui' simplicem populum seducendo; tales autem desponsantur cum[17] signis suis tanquam infideles tempore legis gratiae, qui despon-

[1] sint] sunt, ed. pr. [2] conspectu] C. conventu, ed. pr. [3] quantum—conspectu suo] om. A.B. [4] favendo] faciendo, B. primae manus, ed. pr. [5] extollat et glorificet] extollit et glorificat, A.B.C. [6] vel alii, quod] nos, A.B.C. [7] excidimus] deficere, A.B.C. [8] quia certus sum quod] quia certus quod, ed. pr.; cum Christus, A.B.C. [9] a] in, C. ed. pr. [10] cum] et cum, C. ed. pr. [11] et Essaeos] et omnes, A.B.C. [12] inquit] enim, A.B.C. [13] maxime] maximi, A. [14] universas] universos, ed. pr. [15] sint] sunt, B. ed. pr. [16] sunt in isto—signa sua] om. ed. pr.; cum B. primae manus. [17] cum] om. A.B.C.

sati fuerunt cum 'circumcisione.' Nec dubium quin hi fratres nimis communiter tam 'domos' corporales temporalium dominorum quam domos spirituales 'subvertunt,' docentes apocrypha atque ludicra[1] propter quaestum. Ideo cum oportet ipsos redargui, debet secundum formam apostolicam 'arguere ipsos dure;' et cum tantum in fide fluctuant, debemus intendere, quod ex nostra reprobatione 'stabiles sint in fide;' a quibus si[2] ignave desistimus, caritatem Christi ecclesiae suae, imo sectarum istarum dimittimus. Et istud[3] videtur mihi damnabile et quo ad regaliam[4] Christi proditio manifesta.

## CAP. XXXIX.

*De rebus novissimis, et primo de resurrectione mortuorum futura.*

*Alithia.* Bone[5] frater, posses in ista materia contendere nimis diu, ideo[6] rogo ut aliquid dicas *de statu hominis* quem accipiet *post hanc vitam,* et sic de statu beatitudinis et statu perpetuae damnationis vellem quod aliquid declarares. Quamvis enim iste[7] finis sit ultimus in executione, debet tamen esse praecipuus et primus in intentione, cum ad finem illud debemus totam vitam istam[8] et laborem prudentius applicare.

*Phronesis.* Considero quod cunctae creaturae Dei prosunt acceptae in suis ordinibus; et sic quilibet tractatus noster videtur mihi debere nobis proficere ad commodum et consolationem, sed tractatus specialiter de his sectis, cum certi sumus quod plus instant pro defensione istorum ordinum privatorum, quam instant pro observantia legis Dei; sed quae major insania, quam ad traditiones frivolas tantum attendere, et legem Dei tam pretiosam dimittere? Et quid scimus nos, si personae istarum sectarum, quas placet Deo ex sua gratia illustrare,

Auctor absolvit commentationem de ordinibus mendicantium.

[1] ludicra] luciferina, A.B.C. [2] si] om. B. [3] istud] sicut, B. primae manus, ed. pr. [4] regaliam] regulam, B.C. ed. pr. [5] bone] bene, B. primae manus, A. [6] ideo] idcirco, ed. pr. [7] iste] ille, ed. pr. [8] istam] om. ed. pr.

dimittant has sectas frivolas et traditiones hominum, sicut Paulus ex Christi gratia dimisit ceremonias legis veteris et traditiones legales, intentus pure et specialiter legi Christi? Multo magis fratres possunt per Dei gratiam illustrari[1]. Unde quidam moralisantes hoc verbum Christi Lucae xxi: 'erunt signa in sole et luna, et stellis' intelligunt per illa signa perturbationes quae fiunt a[2] populo laicali de papa principaliter perturbante ecclesiam, licet debeat[3] esse '*sol*' movens et illuminans atque vivificans totam ecclesiam militantem; per '*lunam*' autem capientem virtutem suam a sole intelligunt tres ordines possessionatos, ut canonicos et monachos et Hospitalares[4], qui viant et illuminantur instabiliter tanquam luna; per '*stellas*' vero intelligunt sectas et personas de ordinibus mendicantium; illi enim tanquam stella cometa[5] fixa in aëre caliginoso, significant certius mortes spirituales ecclesiae militantis. Sed experimento didici, quod tractatus de istis ordinibus dolorem ingerit tam subjectivum quam objectivum. Ideo placet, ut monebas, tractatui isti valefacere et de statu beatitudinis pertractare.

Resurrectionem mortuorum futuram esse demonstratur primo testimoniis scripturae sacrae,

Sed *primo* omnium videtur mihi[6] supponendum catholicis, quod omnis homo resurget in corpore, anima reunita[7] cum ipso perpetuo permansura. Hoc autem docet *fides apostoli* 1 Corinth. xv. declarans pulchre ex resurrectione Christi, qui est frater noster, homo nobiscum univoce, quod omnes et singuli resurgemus: 'tradidi, inquit, vobis quod et[8] accepi, quoniam Christus[9] mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, et quia sepultus est et quia resurrexit tertia die secundum scripturas, et quia visus est Cephae et post hoc undecim discipulis[10], deinde visus est plus quam quingentis fratribus, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Jacobo, deinde apostolis omnibus, novissime autem omnium tanquam abortivo visus est mihi.' Si autem secundum jura legis Dei et legis hominum in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, quod[11] testimonio est probandum[12],

[1] cf. supra iv. 30. [2] a] in, ed. pr. [3] debeat] debet, ed. pr. [4] Hospitalares] Hospitalarios, D. ed. pr. [5] cometa] comata, D. ed. pr. [6] mihi] om. C. [7] reunita] reunito, A. secundae manus. [8] et] om. C. ed. pr. [9] Christus] Jesus, ed. pr. [10] discipulis] om. B. primae manus, C. ed. pr. [11] quod] quo, A.B.C.; quomodo, ed. pr. [12] cf. Num. xxxv. 30; Matth. xviii. 16.

quanto[1] verbum[2] de resurrectione Christi, quod ex causa[3] notoria debet latere sensus hominum, ex tam efficaci testimonio est probatum[4]. Sex enim praedicta testimonia sanctorum tam recte viventium sufficiunt ad dictum fidei articulum attestandum. Et hinc apostolus commemorat istos articulos, qui ex fide scripturae et non experimentali sensatione probari debent, quod sic contingit[5] secundum scripturas, ut vel sic discamus expertam per lucem sensibilem veritatem sequi[6], credamus per fidem scripturae, quod veritas sensibus nostris abscondita est et certa. Cum enim non debemus experiri resurrectionem Christi nec mortem ejus pro peccatis nostris, signanter annectit apostolus ad haec duo quod sic[7] evenit secundum testimonium scripturarum.

Unde *secundo* apostolus per multiplex deducens ad impossibile probat hanc Christi resurrectionem: ‘Si, inquit, Christus praedicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam in vobis dicunt, quod resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides nostra, inveniemur[8] autem falsi testes Dei, qui testificationem diximus adversus Deum quod suscitaverit[9] Christum, quem non suscitavit[10], si mortui non resurgunt. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit; quod si Christus non resurrexit, vana est fides nostra, ergo et qui dormierunt in Christo perierunt. Si,’ inquit, ‘in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium, quoniam quidem per hominem mors et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.’ Et ex isto textu apostoli patet philosophis[11] nutritis in rudimento fidei et rectificatis in logica, quomodo plane resurrectio mortuorum[12] per apostolum est deducta.

[1] quanto] quanto magis, D. ed. pr. [2] verbum] verbo, A. secundae manus, C. [3] causa] sua, B. primae manus, ed. pr. [4] probatum] probandum, C. primae manus, B. [5] contingit] contigit, A. [6] veritatem sequi] veritate serpente sequenti, ed. pr. [7] sic] si, ed. pr. [8] inveniemur] invenimur, A.B.C. [9] suscitaverit] excitaverit, ed. pr. [10] suscitavit] excitavit, ed. pr. [11] philosophis] fidelibus, A.B.C.; omnibus fidelibus philosophis, ed. pr. [12] mortuorum] hominum, A.B. primae manus, ed. pr.

Tertio autem apostolus prima ad Thessal. quarto testatur eandem fidem catholicam sub his verbis: 'Nolumus vos fratres ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut ceteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui[1] residui sumus in adventu Domini, non praeveniemus eos qui dormierunt, quoniam ipse Dominus in jussu et in[2] voce archangeli et in tuba Dei descendet de coelo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino erimus[3].' Et talia sunt multa testimonia evangelica ex lege tam nova quam veteri, quae eandem fidem catholicam contestantur.

deinde rationis argumentis.

Concordat autem *ratio* istis dictis tam ex parte praemiandorum quam ex parte Domini praemiantis. Nam sicut asserit[4] *Aristoteles* et veritas contestatur, multi virtuosi et sancti occiduntur pro veritate catholica, ergo aliquam mercedem Deus justus eis retribuet, sed non in hac vita, cum continue vivunt in poenalitate et etiam usque ad mortem poenaliter patiuntur, ergo relinquitur eis remuneratio post hanc vitam. Et istam rationem fecerunt *Aristoteles* et sanctus apostolus, ex quo deducunt[5] specialiter, quod mali resurgent pro suis demeritis puniendi, cum ab experientia communi convincitur, quod multi per totam hanc vitam vivunt in voluptatibus vitiosis; sed Deus est necessario et universaliter aequus judex, ergo relinquitur quod Deus puniet peccata taliter mortuorum, sed non in hac vita, quia vel vivunt vitiose continue vel in fine involuntarie[6] puniuntur. Non ergo propter hoc quod peccant in hac vita, sed propter hoc quod in fine apponunt nodum blasphemiae super peccata sua praeterita, tantum ut justitia exigit puniuntur. Oportet ergo quod post resurrectionem in vita alia sint puniti[7].

*Ex parte* autem *Dei* idem deducitur, cum Deus sit infinitum

[1] qui] om. ed. pr. [2] in] om. ed. pr. [3] et sic semper cum Domino erimus] om. A.C. [4] asserit] assumit, A.B. primae manus, ed. pr. [5] ex quo deducunt] Aristoteles, cum ex hoc deducit, D. [6] involuntarie] in voluntate, A.B.C. primae manus. [7] puniti] puniendi, ed. pr.

liberalior et munificentior quam aliquis dominus temporalis; sed domini temporales ex ratione sui dominii in fine[1] praemiant servos suos; ergo stante majori ratione[2] cum infinitate[3] virtutis ex parte Dei, sequitur quod ipse servos suos[4] finaliter praemiabit; sed non in hac vita *plene*[5], ut patet, ergo relinquitur talis praemiatio pro futuro. Nec sufficit praemiatio sola in spiritu, quia natura corporis sicut est participative rationalis, sic meretur poenam vel gaudium, ut tactum est de homine. Sicut ergo repugnat divinae liberalitati atque justitiae, quod non erunt personae hominum finaliter praemiatae, sic etiam[6] repugnat quo ad remunerationem naturae corporeae. Unde Job. xix. ille magnus philosophus audenter asserit: 'Scio quod redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra resurrecturus sum, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum.' Et[7] talibus multis testimoniis cum evidentia naturali quietantur fideles in isto articulo fidei, quod cuncti homines sunt tam corpore quam anima surrecturi.

## CAP. XL.

*De judicio ultimo.*

*Alithia.* Satis quietor in isto articulo; sed dic, rogo, clarius, quare oportet esse unum *universale judicium* ultimatum, et ubi erit et quando.

*Phronesis.* Non dubium quin erit unum ultimatum judicium, quod[8] vocatur 'dies Domini' in scriptura, quia sicut adversarii tractantes de pace eorum ascribunt habenti pro die illo victoriam, diem illum[9], patet rationabiliter, cum Dominus tunc[10] finaliter praevalebit contra diabolum ac omnia membra sua, quod illa vocetur 'dies Domini;' et sub ista spe fideles humiliter tolerant injurias sibi factas, credentes quod tunc erunt rectificatae ad plenum et gratiosissime judicatae. Et quantum ad

Judicium universale futurum esse probatur.

[1] in fine] in finem, B. ed. pr. [2] ratione] liberalitate, A.B.C. [3] infinitate] infinitae, B.C. primae manus, ed. pr. [4] suos] om. A.B. [5] plene] om. ed. pr. [6] etiam] et, ed. pr. [7] et] ex, ed. pr. [8] quod] cujus tempus, ed. pr. [9] adversarii—illum] i. e. qui bellaverunt et pacem pepigerunt, ei qui die certo victoriam reportavit, 'diem' illum ascribunt. [10] tunc] om. A.B.C.

*primam quaestionem* quaesitam, non dubium, cum quilibet homo habet spiritum proprium sempiternum, oportet esse finem conversationis hominum, quia aliter esset processus in infinitum in per se substantiis sempiternis. Sed talem numerum Deus non potest causare, qui posuit omnia in mensura numero et pondere[1], ideo necesse est ut expectetur unum finale judicium. Et cum multae animae sint interim in purgatorio expurgandae, nec decet universalem Dominum multiplicare sic suum judicium, patet quod oportet esse unum[2] judicium ultimatum. In illo[3] ergo oportet esse resurrectionem universalem hominum, ad recipiendum mercedem quam hic meruerant.

Verum ubi

Et quantum ad duas alias quaestiones[4], non mireris soror, si per ignorantiam me excuso. Utrum autem *locus finalis judicii* erit in valle Josaphat vel alibi, non contendo, sed scio quod erit ubicunque in regno Christi ubi ipse decreverit, quod est satis credibile. Certum tamen mihi est, quod praedestinati salvandi obviabunt Christo in aëra, ut dicit apostolus prima Thessal. iv. De damnandis autem reprobis hoc non credo. Sed quantum praedestinati distabunt ab aliis, videtur mihi quod sit puerilis et stulta contentio.

et quando futurum sit judicium finale, absconditum nobis est.

Et quantum ad *tertiam quaestionem*[5] respondet evangelium, quod de die illa nemo scit, neque Filius quo ad humanitatem quantum ad se attinet, sed solus Deus. Parcatur ergo istis astronomis et calculatoribus aliis, si nesciunt quantitatem temporis ante diem judicii. Decens quidem est quod illud tempus sit nobis absconditum, sicut decens est quod hora mortis nostrae et multa similia sint[6] nobis incognita. Certum est quo ad tempus illius judicii, quod est prope, ut patet ex multis signis et rationibus quae ex fide scripturae colligimus. Sed quam prope et quo tempore praecise eveniet, nemo se sollicitat[7] nisi stultus; dicit enim beatus evangelista, quod 'novissima hora est[8],' sed quantitatem illius horae, sicut diei[9], cujus est hora, penitus ignoramus. Ad quid ergo occuparet se curiositas

[1] cf. Sap. Salom. xi. 21. [2] unum] om. ed. pr. [3] illo] primo, B.C. primae manus. [4] quaestiones] conclusiones, A.C., B. primae manus, ed. pr. [5] quaestionem] conclusionem, C., B. primae manus. [6] sint] sunt, ed. pr. [7] sollicitat] sollicitet, A.B.C. ed. pr. [8] cf. 1 Joh. ii. 18. [9] diei] Dei, C. primae manus.

intellectus circa ea quae Deus vult nos taliter ignorare? Satis quidem est, quod ex fide credamus illum diem esse venturum; et speremus ex vita nostra meritoria, quod salvabimur illo die.

*Pseustis.* Videtur mihi quod non solum ignorantia occuparis, sed manifesta repugnantia tibi ipsi. Innuis enim, quod secundum idem corpus in numero quod hic gessimus, resurgemus; sed ubi est manifestior contradictio, cum ad identitatem naturalem[1] corporis requiritur identitas numeralis formae materialis, et ad identitatem talem formae materialis requiritur identitas numeralis[2] temporis suae generationis. Cum ergo idem tempus in numero non redibit, sicut nec potest, videtur quod non[3] redibit eadem forma materialis in numero. Similiter ad identitatem numeralem[4] corporis requiritur numeralis identitas suae materiae; sed quis posset tantum discrete colligere atomos combustos aut varie dispersos in aëre? Similiter contigit[5] quosdam homines pasci corpore[6] filiorum suorum, tales ergo ex cibo tali superfluo[7] filios possunt procreare, cum quo ergo resurget materia tam varie distributa?

Dubitationes aliquot a Pseuste allatae

*Phronesis.* Video quod propter defectum materiae contentiosae per tempus non modicum latuisti, sed modo ex causa multiplici oportet nos soliditati intendere. Unum autem suppono te cognoscere, quod ad identitatem numeralem animae remanet eadem persona hominis, et si materia varietur; aliter enim nemo posset crescere vel minui, manere per suam periodum, mutilari, vel ut sentimus in corpore variari; quod destrueret totam philosophiam de homine; sic enim nemo foret animal perfectum, cum non posset generare suum simile, et cum omnis talis generatio ex decisione seminis est causata, imo sic nemo potest abradere partes sibi superfluas, sed quid stultius? Cum experientia certissima docet hominem in hujusmodi actibus naturaliter delectari, et multorum actuum talium memorari. Satis est ergo ad identitatem numeralem hominis persona animae, cuicunque materiae fuerit copulata. Isto supposito

solvuntur.

[1] naturalem] numeralem, ed. pr. [2] formae materialis—identitas numeralis] om. ed. pr. [3] non] nec, ed. pr. [4] numeralem] materialem, ed. pr. [5] contigit] contingit, B.D. ed. pr. [6] pasci corpore] pasci corpore suorum sociorum, D.; depasci corpora sociorum et, ed. pr. [7] superfluo] superfluc, B. ed. pr.

oportet *secundo* cognoscere, quod ad identitatem formae, cum numeralis identitas consistit in gradu multiplici[1], sufficit quod identificatur faciliter[2] et identitas sui subjecti, licet tempus loquendi[3] formaliter varietur. Cum ergo manet idem spiritus causans formam materialem in eadem materia, homine[4] resurgente, quare non remanebit eadem forma, licet tempus suae productionis formaliter varietur? *Tertio* suppono tibi ex fide, quod facile est Dei omnipotentiae atomos, quantumcunque dispersi fuerint, nobis incognite[5] vel immediate per se vel ministerio angelorum secundum quod sibi placuerit, subito vel successive colligere. Et tunc patet fidei nostrae possibilitas atque Deo facilitas, supposita servatione hominis in spiritu tanquam base[6], et supposita eadem collectione multitudinis perpetuae materialium atomorum.

Ad *primum argumentum* tuum respondeo concedendo, quod imponis me innuere[7], scilicet quod secundum idem[8] corpus in numero quod hic gessimus, resurgemus. Si enim portamus idem corpus in numero per totam nostram periodum, propter identitatem spiritus actuantis, quantumlibet materia varietur[9], quanto magis redeunte eadem materia in numero cum eodem spiritu copulata. Nec obest identitati numerali formae materialis vel accidentalis, quod tempus intellectum[10] formaliter varietur, cum servatur eadem absoluta essentia per se possibilis; et toto facto argumentum tuum non plus implicat nisi quod forma materialis et accidentalis secundum abstractionem ultimam intellecta, propter variationem temporis variantur. Sed quid obest hoc resurrectioni verae secundum identitatem numeralem tam formae quam materiae? Eadem enim fundamentalis essentia materiae est substantia omnium formarum talium substantialium vel accidentalium, cum secundum philosophos tuos manet idem instans continue quo ad subjectum[11]. Si ergo homo potest saepe eundem actum repetere, ut oportet ex fide scripturae concedere, quid obest quod redeat eadem forma, licet respectiva accidentalia varientur?

[1] multiplici] multiplici identitati, A.B.C. [2] identificatur faciliter] identitas facientis, ed. pr. [3] loquendi] loquendo, ed. pr. [4] homine] om. ed. pr. [5] incognite] incognito Deum, D. ed. pr. [6] base] i.e. fundamento substrato (*βάσις*). [7] innuere] innumere, ed. pr. [8] idem] hoc, A.B.C. [9] varietur] variata, A.B.C. [10] intellectum] integrum, ed. pr. [11] subjectum] secundum, ed. pr.

Ad *secundum argumentum* tuum respondeo per suppositionem tertiam, quod sicut Deus secundum notitiam distinctissimam omnia corpora ex atomis suis composuit, sic cum non potest[1] a notitia rerum excidere, scit perfectissime atomos illos recolligere. Ideo stulte miraris ex tua ignorantia immensa notitiam Dei tui. Ad *tertium argumentum* tuum respondeo, quod sicut tu assumis tibi incognitum de inesse[2], imo nescis si hoc sit possibile, sic responderi potest per tibi ambiguum, quod Deus ordinabit in talibus quod sibi placuerit, sicut ordinavit materiam ad panes et pisces, quos sic multiplicavit, ut in evangelio recitatur. Nec erubesco quod oportet tam me quam te Dei ordinationem in talibus ignorare, ut puta, quam rarum erit corpus beati, vel quid aut quantum de materia resurget quam portaverat hic in via. De uno tamen non dubito, quod multi corpulenti et grossi portant hic plurem[3] materiam, quam habebunt post resurrectionem in patria. Sed scio, quod in omnibus istis Deus ad regulam ordinabit. Sed quid vis amplius, cum argutiae tuae[4] non militant adversus possibilitatem vel rationabilitatem hujus sententiae?

## CAP. XLI.

### *De corporibus beatorum.*

*Alithia.* Dic, rogo frater, *de dotibus corporum beatorum*, quia[5] videtur multis mirabile quod corpora tante contraria non agent ad invicem et sese consument[6] in tempore infinito. Et iterum videtur mirabile quod corpora tam gravia, tam multum de terra habentia, non illos creatos spiritus fatigabunt in suis motibus et tardabunt. Similiter videtur multis mirabile, quomodo dimensiones corporum beatorum sese taliter penetrabunt, cum philosophi improbantes vacuum ac dimensionem propriam loci[7] sumpserunt ut per se notum principium, quod dimensiones non possunt se reciproce penetrare. De beatorum corporibus disputatur.

[1] potest] est, ed. pr. [2] de inesse] Deum esse, ed. pr. [3] plurem] pulverem, A. primae, B. secundae manus, C. [4] tuae] om. A.B.C. ed. pr. [5] quia] quod, B. primae manus, ed. pr. [6] sese consument] sic consumentur, A.B.C; sese consumentur, ed. pr. [7] loci] om. A.B.C.

Quibus qualitatibus beatorum corpora excellant, quaeritur.

*Phronesis.* Ponuntur communiter quattuor dotes corporis in beatis, scilicet dos subtilitatis[1], dos claritatis, dos incorruptibilitatis et dos agilitatis. Nec mussites, quomodo summus artifex potest de pauca materia quattuor elementorum quae fuit in homine, illas dotes quattuor ordinare, cum *subtilitas* in igne et aëre potest, ut Deo placuerit, adaptari; et per idem *claritas* connaturalis luminis potest esse in illis corporibus, sicut videmus in vitro et christallo cum corporibus splendentibus eis similibus. Et cum secundum philosophos ex proportione aequalitatis non fit actio, facile est Deo proportionare sic elementa ad invicem, suspensis suis qualitatibus activis, quod nunquam sit in patria actio inter illa. Non enim concipio quod forma una[2] substantialis agat in reliquam sine qualitatibus requisitis instrumentaliter ad agendum. Et cum facile sit Deum talem creatum spiritum non cum corporibus nimis gravibus onerare, potest faciliter cum proportionali potentia *agilitatem* corporis eis dare. Ad *primum argumentum* tuum patet ex istis[3] responsio. Si enim virtus adamantini lapidis potest visum et actionem corporum gravium suspendere, quare non potest ista[4] coelestis complexionalis qualitas pro perpetuo actiones elementorum suspendere in beatis corporibus, specialiter cum qualitates activae non sint in patria requisitae. Ad *secundum* argumentum tuum respondeo et dico, quod tua miratio procedit ex defectu veri principii. Nam corpora beata in patria parum habent de aqua vel terra, et magis de aëre vel igne. Ideo cum sunt corpora levia in natura, potentia motiva spiritus potest ipsa secundum quod voluerit agitare. Non enim debes imaginari[5], quod corpus beati sit grave et depressivum[6] hominis ut ferrum vel[7] plumbum, sed vento longe agilius et delectationem inferens et in nullo fatigationem. Ad *tertium* argumentum tuum respondeo concedendo, quod corpora sic subtiliata possunt se ex ordinatione Domini penetrare; et cum penetratio et laceratio, ut suppono ex declaratis alibi, sint distincta, patet ex hinc non sequi,

[1] '*dos subtilitatis*' in Cod. B. atque ed. pr. tertio loco; in Cod. A.C. primo loco posita est; hoc quidem recte, cum infra subtilitas primo commemoretur. [2] una] om. ed. pr. [3] istis] isto, ed. pr. [4] ista] illa, ed. pr. [5] imaginari] imaginare, ed. pr. [6] depressivum] depressivum frustum, ed. pr. [7] vel] om. ed. pr.

quod corpora beata se lacerabunt ad invicem vel corrumpent[1]; et cum non sint dimensiones immobiles sed proprietates innatae illis corporibus naturalibus, patet ex hinc non sequi, quod dimensiones penetrabunt se, vel quod erunt corpora coextensa. Corpora enim gloriosa secundum[2] indivisibilia[3] sese penetrantia, habent suas dimensiones et loca propria, sed commixta; sed diffusum tractatum istius relinquo philosophis. Ideo non permireris[4], quod Deus impedit in corporibus beatis visum vel actionem aliquam perpetuam naturalem, sed aptat in eis perpetuam et consentaneam harmoniam. Nec sententia *Anshelmi* ponentis septem dotes corporis in beatis repugnat huic sententiae sed concordat; septem autem[5] dotes corporis, quas *Anshelmus* ponit[6], taliter nominavit[7]: pulchritudo, velocitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, et diuturnitas; et omnia ista septem declarat iste doctor topice ex fide scripturae.

*Pseustis.* Miror quod in tanta materia fidei doctores sunt sibi ipsis contrarii vel aliter diminuti. Miror etiam quomodo beati erunt tam agiles ad movendum, cum non erit tempus amplius, ut dicitur Apocal. x. Et miror tertio, quomodo corpora beata possint moveri subito, cum hoc implicat idem corpus pro eodem instanti esse per diversa loca. Imo non est fingendum ubi duo corpora, quae inciperent moveri subito per eandem lineam[8] a coelo ad terram et a terra ad coelum, sibi mutuo obviabunt. Instans enim objective non erit immediate post inceptionem motus, quia tunc non prius foret corpus in loco propinquiori quam in alio plus distanti. Quaestiones a Pseuste motae

*Phronesis.* Video quod tibi deficiunt evidentiae contra praedicta, sed moves nova dubia, quae ex quibusdam verbis *Anshelmi* potes[9] elicere; sed unum scias, quod nec dictum *Anshelmi* nec alicujus alterius doctoris citra auctores scripturae defendimus vel tenemus[10], nisi de quanto consonat[11] rationi; et haec est via patula tuas argutias evitandi. Ad *primam* tuam excutiuntur.

[1] corrumpent] corrumpunt, ed. pr. [2] secundum] om. ed. pr. [3] indivisibilia] divisibilia, B. [4] permireris] imagineris, D. ed. pr.; Cod. B. verbo superscriptam habet glossam, 'valde mireris.' [5] autem] autem sunt, B. secundae manus. [6] ponit] ponens, A.B.C. ed. pr. [7] nominavit] nominavit, sunt, ed. pr. [8] lineam] literam, B. primae manus, ed. pr. [9] potes] poteris, ed. pr. [10] tenemus] tenemus in fide, ed. pr. [11] consonat] consonant, A.B.C. ed. pr.

argutiam patet quod non est mirabile, si isti doctores sint in multis sibi ipsis contrarii et in suis sermonibus diminuti, cum saepe magis quam sic peccaverunt. Verumtamen homo per aequivocationem potest tollere multas contrarietates ab aemulis eis impositas. Et quantum ad diminutionem certum est, quod multi obmittunt licite multas materias, cum non omnia omnibus et ubilibet sint dicenda. Quandoque ergo[1] ex probabili evidentia et quandoque ex ignorantia multa talia sunt dimissa[2]. Ad *secundam* tuam argutiam dicitur, quod scriptura debet intelligi ad sensum quem expetit; et sic potest intelligi illud[3] Apocalypsis[4], quod non erit tempus amplius taliter operandi, ut post diem judicii non erit tempus amplius promerendi, sed cum 'omnia tempus habent[5],' erit tempus de cetero congaudendi; verumtamen tunc non erit tempus annale, diurnum vel ex cursu solis, ut modo cernimus, acceptatum, et hoc satis est; et subjectum illius temporis potest rationabiliter dici mundus secundum quamcunque partem, quam Deus ad hoc aptaverit. Ad *tertiam* argutiam tuam respondeo, cum quomodocunque *Anshelmus* vel alii doctores dixerunt[6], quod post diem judicii nullum corpus movebitur nec potest localiter moveri subito, sed successive movebitur celeritate nobis imperceptibili, quod est satis. Ideo non sollicitor, ubi corpora sic subito moventia sibi mutuo obviabunt; sed satis est, cum continuum componitur ex nonquantis, quod pro uno instanti situs indivisibilis a situato indivisibili sit quaesitus, ita quod motus coeli secundum punctum in aequinoctiali sit velocissimus, et motus subitus in generatione vel alteratione sit nec velox nec tardus, sicut immensum non dicitur esse parvum, nec mole indivisibile dicitur esse magnum. Et ut placet logicis, cum magnum et parvum sunt convertibilia relativa, nullum immensum dicitur mole magnum nec aliquod indivisibile mole parvum, nec aliquid est ita magnum ut parvum, sicut logici altercantur. Et quantum ad dictum superius, circa quod potes contendere, scilicet quod dimensiones penetrant se sicut et corpora, dici potest quod hoc non sequitur, cum dimensiones, sicut et ceterae quantitates, non sunt de genere activorum.

[1] ergo] enim, A. [2] Quandoque—dimissa] om. B. primae manus, ed. pr. [3] illud] sicut, B. primae manus, C. ed. pr. [4] Apocal. x. 6. [5] cf. Ecclesiast. iii. 1. [6] dixerunt] dixerint, ed. pr.

## CAP. XLII.

*De animabus beatorum.*

De beatorum animabus quaestiones variae proponuntur.

*Alithia.* Dic rogo *de dotibus animae beatorum*, quia mihi videtur difficile, quod aliquae naturales potentiae et specialiter organicae, quae fuerant in viante, redeant[1] post resurrectionem finalem, cum illae sint eductae de potentia materiae. Et *iterum* non video, quare dotes illae forent septem vel quattuor plus quam mille. Et *tertio* non video, quomodo illae septem dotes animae, quas *Anshelmus* recitat, forent proprie dotes animae, cum non sunt sibi naturales sed accidentales, quales multas oportet ponere.

*Phronesis.* Multi contendunt inaniter circa quidditatem dotium, ut hi, quod sunt bona[2] solum naturalia, data homini intrinsecus informantia, alii quod sunt bona quaecunque accidentaliter inhaerentia; et alii dicunt communiter quod utrumque; et sic de numero istorum est apud multos contentio, ut quidam dicunt quod dotes sunt quattuor, proportionales ad dotes corporis, ut ingenii subtilitas[3], inveniendi sollertas, memoriter retinendi sufficientia, et perpetuo agendi[4] indeficientia. *Anshelmus* autem videtur ponere istas septem: sapientia, amicitia, concordia, honor, potestas, securitas et gaudium; et suadet qualitates membrorum.

*Pseustis.* Videtur mihi de istis septem valde mirabile; primo quia non subest tibi ratio[5] quod sapientia sit dos animae in beatis, quin per idem quaecunque virtus intellectualis vel donum spiritus. Similiter cum amicitia sit bonum totius compositi, non videtur ratio, quare illa sit dos animae potius quam dos corporis, sed e contra, et sic de aliis dotibus recitatis. Similiter tam de gaudio quam de ejus securitate est difficultas non modica, cum videtur quemlibet beatum tantum gaudere de bono alterius, quantum gauderet de bono illo, si ipsum haberet

[1] redeant] redeunt, ed. pr. [2] bona] om. ed. pr. [3] subtilitas] soliditas, B. [4] agendi] agendum, C. ed. pr. [5] ratio] responsio, A.B.C.

intrinsecus. Ex quo patet quod quilibet existens in coelo sit aeque beatus. Similiter videtur mirabile, quod beatus aliquis de beatitudine sit securus, cum necesse sit quod Deus contingentissime potest ipsum damnare, cum summe libere contradictorie ipsum salvat; quomodo ergo est in beatitudine talis securitas?

Respondetur ad quaestiones propositas.

*Phronesis.* Hic[1] videtur mihi quod duae personae contra me inordinate ingeminant. Sed primo videtur quod sororis meae objectus triplices sunt solvendi, et postmodum ad quattuor Pseustinas argutias per ordinem est dicendum. *Primo* ergo quia non circa quidditatem dotium est philosopho difficultas, ideo supponendo, quod quidquid Deus sponsus ecclesiae gratis dederit, dos illius sponsae congrue posset[2] dici: ad *primum* argumentum sororis respondeo concedendo, quod eaedem potentiae vel virtutes animae redeunt in homine resurgente; sed oportet considerare quod non eaedem virtutes in numero ultimate abstracte, et secundum triplex principium individuans, scilicet agens, subjectum[3], et tempus formaliter diffinite[4], materialiter distinctae; sed quo ad subjectum et agens potentiae sunt eaedem. Ad *secundum* argumentum sororis respondeo concedendo sibi, quod non claret mihi adhuc[5] ratio, quare forent[6] septem vel quattuor dotes, quin per idem forent sub quolibet numero assignando; sed septenarius est numerus universitatis, et quaternarius est primus numerus[7] cubicus, ideo numerus dotium pertinenter istis numeris est signatus, nec est dos aliqua quin sit ad aliquam istarum dotium reducenda. Ad *tertium* argumentum sororis respondeo concedendo, quod istae septem dotes sunt animae accidentales vel verius contingentes; sed[8] quid hoc contra rationem dotium, cum dos corporalis[9] data uxori sit communiter plus contingens et plus accidentalis eidem.

Unde ad *primam rationem Pseustis* respondeo concedendo, quod quaecunque virtus intellectualis beati spiritus est dos ejusdem, sicut omne donum Dei quod gratiose sibi dederit ut inhaerens.

[1] Hic] sic, ed. pr. [2] posset] possit, ed. pr. [3] agens, subjectum] subjectum, agens, A.; distincte agens, subjectum, C. [4] formaliter diffinite] forent materialiter distinctae, A. et C. primae manus, B. ed. pr. [5] mihi adhuc] om. B. secundae manus. [6] forent] om. A.B.C. [7] numerus] om. D. [8] sed] secundum, ed. pr. [9] corporalis] corporaliter, ed. pr.

Ad *secundam* rationem Pseustis respondeo concedendo, quod amicitia est tam dos animae quam dos corporis, cum amicitia principaliter debet tribui toti composito, sed principaliter ratione spiritus, cum creati spiritus sint amici, nec corpora nisi ratione spirituum sunt amica. Utrum autem illae amicitiae dicantur aequivoce, est apud logicos verbalis dissensio, sed transeo illam tanquam mihi[1] inutilem. Quantum ad *tertiam* difficultatem Pseustis, quae est major inter ceteras, respondeo concedendo, quod gaudium dicit multa bona animae, et non est formaliter nisi ipsum spiritum gaudere beatifice, quod multa alia bona praesupponit; et sic aliquod est gaudium subjectivum et aliud gaudium objectivum. Omnes autem beati habent eandem beatitudinem et gaudium objectivum, quia naturam divinam. Et sic orat ecclesia ad sapientiam Dei patris:

'Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurum praemium[2].'

Sed gaudium subjectivum est forma inhaerens animae, secundum quam dicitur formaliter gaudere[3], et illa non est aliquid quod potest per se existere, sed ipsummet gaudere beati; et sic gaudia beatorum distinguuntur, secundum quod subjecta illa sunt essentialiter distincta. Et per hoc respondeo ad primam confirmationem Pseustis concedendo suum assumptum. Sed juxta dicta homo dicitur aliquante gaudere dupliciter, scilicet subjective et objective. Concedatur ergo, quod quilibet beatus tantum gaudet objective[4] de gaudio alterius, quantum gauderet subjective, si ipsum gaudium in se haberet formaliter et intrinsecus, sed non tantum habet gaudium subjective de ipso gaudio, quia tunc indubie quilibet beatus foret aeque beatus ut alius, nec in domo patris Christi forent multae mansiones[5], hoc est gradus beatitudinis vel gaudii subjectivi. Et per hoc respondeo ad *quartam* rationem et ultimam Pseustis, concedendo sibi, quod

[1] mihi] om. ed. pr. [2] E Bernhardi Claraevallensis Jubilo rhythmico de nomine Jesu, cujus stropha ultima haec habet verba:

'Sis, Jesu, meum gaudium,
Qui es futurum praemium.'

Cf. Breviarium Romanum in festo S. Nominis Jesu; et Phil. *Wackernagel*, das deutsche Kirchenlied von der ältesten Zeit etc. Leipsig 1864. I. 117, sqq.
[3] gaudere] congaudere, D. ed. pr. [4] concedatur—objective] om. ed. pr.
[5] cf. Joh. xiv. 2.

quilibet beatus est aeque beatus vel bonus, gaudens de bono alterius, sicut si illam beatitudinem in se objective habuerit, non tamen est aeque beatus formaliter, sed objective. Et quantum ad *securitatem*, quae est major pars beatitudinis, non dubium quin sancti in nullo trepidant, quin in perpetuum habebunt beatitudinem quam nunc habent, sed derident verbosos sophistas, qui ponunt contingentiam[1] contradictionis in illa beatitudine quo ad Deum. Ipsi enim vident clare, quomodo ex determinatione Dei aeterna quidquid ipse voluerit, sit necessarium evenire; ideo procul ista libertas contradictionis a Deo vel suis beatis, cum sufficit libertas alterius partis ad denominandum ipsam summe liberam, licet libertas illa non sit impossibiliter in contradictorium sic dispersa[2]. Relinquo autem aliis[3] in materia ista errantibus viam cavillandi, ut eis placuerit, verba sua.

## CAP. XLIII.

### *De poenis damnatorum.*

Damnatos melius est pati quam omnino non esse.

*Alithia.* Dic rogo, frater, breviter *de poenis* proportionalibus, non de dotibus *damnatorum;* videtur enim mihi, quod sunt securi de suis damnationibus, sicut beati sunt securi de suis salvationibus. Videtur mihi[4] etiam quod, sicut beati habent dotes tam corporis quam animae, sic damnati habent poenalitates perpetuas confirmatas tam in corpore quam[5] anima.

*Phronesis.* Sentio, soror, quod in hoc sentis solide[6] atque catholice, et sic ponis[7] quod damnati habent octo vel quattuor[8] nodos suae damnationis, sicut beati habent totidem confirmationes[9] suae salvationis; et tamen non obstantibus omnibus istis poenalitatibus, melius et eligibilius est eis sic vivere quam non esse, quia ut declarat[10] *Augustinus*, non esse non potest habere

[1] contingentiam] contingentia, ed. pr. [2] dispersa] diffusa, ed. pr. [3] aliis] om. ed. pr. [4] mihi] enim, ed. pr. [5] quam] quam in, ed. pr. [6] solide] stolide, ed. pr. [7] ponis] potes concipere, C. primae manus, D. ed. pr. [8] quattuor] novem, ed. pr. [9] confirmationes] confirmationis, ed. pr. [10] declarat] declaret, ed. pr.

rationem boni aut eligibilis, cum tamen damnati habent gratiose a Domino multa bona. Ideo intelligendo modum loquendi comparativum non implicative sed negative, concedendum mihi videtur, quod eligibilius est damnatis sic esse, quam foret eis non esse simpliciter. Verumtamen sicut concipis, quod quidquid boni foret melius inesse beatis quam ipsis deesse, inest illis, sic debes concipere, quod quidquid mali poenae foret poenalius inesse damnatis quam eis deesse, illud perpetuo inest illis; et sic dicuntur habere perpetuo permanentiam poenalitatis, sicut habent poenam damni cum poena sensus satis acuta in eis perpetuo stabilita; nec habent consolationem ex sua mutua caritate, sed desolationem ex illa maledicta societate. Horrorem autem imaginatum[1] de poena sensus existentium in inferno hic dimitto, quia deficit mihi efficax illius poenae probatio, cum videtur mihi sufficere impositio et probatio poenae dictae. Nec dubito quin corpora damnatorum non erunt ex igne tam calido dissoluta, sed multa verba fidei scripturae oportet sane intelligere, ut quod Christus dicit Matth. xiii.: 'ibi erit fletus et stridor dentium,' quia damnati transibunt ab aquis nivium[2] ad calorem nimium, et quod damnati habent corpora continue lacerata et continue poenaliter reunita, cum multis dictis similibus ad terrendum viantes incedere per viam ducentem ad Tartara. Mihi autem videtur, cum sufficiat veritas verborum exhortationis hujusmodi, et sic acutius quam verbum falsum[3] taliter fictum, quod verbum verum[4] et sic acutum sit exhortative[5] dicendum, et verbum falsum phantasticum reticendum. Quomodo autem damnati tam corpore quam sensibus puniuntur, videtur mihi probabile, quod radix poenae eorum consistit in sua poena damni, et habent dolorem effusum ab anima ad singulos sensus suos, et ita licet non sentiant corruptionem aut dissolutionem sui corporis, sentiunt tamen[6] displicentiam in suis sensibus plus quam possibile est aliquem hic sentire; et illum effluxum doloris ab anima[7] credunt quidam Christum vocare 'fletum,' et dolorem de perpetuitate

**De poenis inferni copiose agere supersedet auctor.**

[1] imaginatum] magnatum, ed. pr. [2] nivium] nimium, ed. pr. [3] falsum] verum falsum, ed. pr. [4] verbum verum] verbum verum fictum, ed. pr. [5] exhortative] exhortatione, ed. pr. [6] tamen] non, ed. pr. [7] ab anima] animae, A.B.C.

poenae vocare 'stridorem dentium,' quod est poena non modica. Nam sicut gaudii[1] bonorum major pars est perpetuitatis securitas, sic poenae damnatorum major pars est damnationis perpetuae inevitabilitas. Utrum autem corpora damnatorum erunt ex condensatione oppressa et sibi nocentia, et sic multa in eodem parvo loco indebite cumulata, et in qua proportione habebunt plus de terra et aqua quam de aliis elementis, relinquo theologisantibus declarandum, sicut quod avarus damnatus erit eadem scoria metalli, quo abusus fuerat, cruciatus. Sed mihi videtur probabile, quo ad *locum inferni*, quod sit in medio mundi, distantissimus a coelo et carens lumine et assistente corpore consolatorio. Et ita videtur mihi quod damnati post diem judicii habent majorem desolationis rationem, quam habent diaboli, homines hic tentantes. Non tamen audeo dicere, quod habent ex tali tentatione consolationem, sed damnum pro tempore viae sibi inferunt undiquaque, et sic sensuum tenebratio secundum rationem, qua poenalitatem eis intulerit, ipsis inest.

## CAP. XLIV.

*De beatorum sensibus tam internis quam externis.*

*Alithia.* Video frater, quod non delectaris in verbis istis terribilibus fulminatis; sed rogo, cum materia ista tam mihi quam tibi tantum displiceat, fac finem in materia alia laude digna.

*Phronesis.* Placet de sententia quam hic dicis. Et videtur mihi dubitabile, quomodo sensus bonorum tam intrinseci quam extrinseci in patria erunt pasti. De *sensibus* autem *extrinsecis* videtur, quod ibi exercitabitur[2] solus visus aut tactus. Non enim erit ibi necesse sentire gustabile, cum nemo ibi pascetur cibario corporali, et cum fumalis evaporatio ibidem omnino deerit, sicut refractio medii ad corpus solidum quod est sonus, videtur quod tres sensus medii non secundum suos actus proprios ibi erunt. De *visu* autem quo ad faciem corporis Domini est dubium apud multos, cum non proprie vel[3] sine errore

De beatorum sensibus externis;

[1] gaudii] gaudia, B. primae manus, ed. pr. [2] exercitabitur] excitabitur, ed. pr. [3] vel] om. B. primae manus, ed. pr.

percipitur nisi in medio et distantia proportionali, quod non aeque[1] aptabitur beatis singulis. Et conformis est difficultas de *sensibus* quinque *intrinsecis*. De virtute autem generativa videtur quod omnino superfluit[2] ponere ibi illam, cum illa ponitur ad salvationem speciei, quae in individuo corruptibili non salvatur. Et de virtute nutritiva videtur omnino, quod superflueret ponere ibi illam, cum nemo ibi augmentabitur vel nutrietur. Ad quid ergo oportet ibi ponere virtutem attractivam retentivam digestivam aut expulsivam cum aliis virtutibus vegetabilibus et sensitivis, quas hic ponimus in quolibet animali? Ideo videtur mihi, quod sicut anima humana non ex hoc perdit aliquam potentiam absolutam, quod desinit informare augmentare attrahere sive digerere, sic est[3] in anima beata, quod non perdit aliquam absolutam potentiam, licet secundum virtutem regitivam non habet operationem aliquam talem, cum foret superfluum, sed eadem potentia animae absoluta, mediante virtute regitiva, potest[4] nunc, quando oportet, in operationem talem procedere, et nunc cessare. Si autem dicatur, quod oportet[5] ponere tales potentias respectivas, quas oportet omnino esse sopitas in beatitudine, non contendo; sed constat mihi, quod nihil est ibi superflue, sed omnes sensus animae atque potentiae sunt in aliquo actu suo magis laudabili, in fine sui operis consummati. Et sic visus beatificati vident faciem Christi, sicut intellectus in ejus Deitate finaliter quietatur. Et ut credo omnes sensus beati secundum puritatem sui ultimi operis sunt in illa persona media[6] quietati, unus sic et alter sic, secundum quod magis meruit. Nec est ex suppressione vel propinquitate ad Christum contentio in beatis, sed uno vidente Christum in speculo, alio directo intuitu faciali, et ipsis vicissitudinantibus est plena quietatio, cum Christus sit humanitus ad quamlibet portiunculam regni sui. Omnes ergo potentiae beatae[7] animae erunt perpetuo et in suo perfectissimo opere sine dormitione, sed colare[8] operationem talem perfectissimam, et quomodo plene erit cum beatis in patria, hic

de eorundem sensibus internis.

Omnes beatorum sensus et facultates nunquam non in opere sunt.

[1] aeque] aequae, ed. pr. [2] superfluit] superfluat, ed. pr. [3] est] om. ed. pr. [4] potest] patet, ed. pr. [5] oportet] om. A. [6] persona media] glossa interlinearis Codicis B. addit, 'scil. Christo.' [7] beatae] om. ed. pr. [8] colare] colere, B. primae manus, ed. pr.; colare i.e. purgare, verbis limpidissimis atque aptissimis describere.

balbutiendo[1] quasi letifere dormitamus, ibidem autem sine[2] dubitatione vel[3] studio, toto errore expulso, secundum naturalem ordinem cognoscemus. Hic enim procedimus ab imperfecta notitia ad perfectam, modica vel nulla delectatione in anima consequente; ibidem e contra affluet[4] nostra notitia a societate[5] perfectioris potentiae ad quamlibet potentiam imperfectam, et ubi actus imperfectae potentiae beatitudinis imperfectionem saperet, in actu superiori cessabit, et utrobique erit delectatio consummata. Christus enim est panis vitae, de quo evangelium, satians quemlibet sensum beatorum[6].

[1] balbutiendo] abutendo, ed. pr. [2] sine] cum, B. [3] vel] vel cum, ed. pr. [4] affluet] effluet, D.; affluit, ed. pr. [5] societate] satietate, D. ed. pr. [6] quemlibet sensum beatorum] sensum quemlibet beatorum. Amen, ed. pr. —Cod. B. addit: Correxi Anno Domini M.CCCC.XIV., finivi post ascensionem Domini sabbato die ante horam XVIII. Amen.—Cod. C.: Explicit Trialogus Mgri Johis Wiclef doctoris evangelici.

# SUPPLEMENTUM TRIALOGI.

# SUPPLEMENTUM TRIALOGI

SIVE

# DE DOTATIONE ECCLESIAE[1].

## CAPUT I.

*Ecclesiae dotationem a clero per nefas acceptam esse demonstratur.*

Quaestio ipsa proponitur.

UTRUM clerus debuit dotationem, quam modo occupat, a dominis temporalibus recepisse?

Et videtur, quod sic. Quia beatus *Silvester* et multi alii consequentes in recipiendo tales elemosinas *meruerunt.* Sed quomodocunque quis fecit merendo, *debuit* facere; ergo conclusio vera. Si enim quilibet talis de clero non debuit talem dotationem recipere, tunc in sic recipiendo fecit[2] sicut non debuit; et per consequens in recipiendo tam avide ac defensorie peccavit graviter atque haeretice; quodcunque enim peccatum homo tam[3] pertinaciter defenderit, exhinc cadit in haeresim, quia defendit indebitum contra Christum.

Illos, qui ecclesiae dotationem libentes acceperint, peccasse, argumentis allatis probatur.

In oppositum sic: eo ipso, quo homo fungitur nomine in ecclesia a Deo imposito, et vivit contrarie illi nomini, peccat graviter tanquam apostata[4]. Sed sic est de quocunque dotato fungente nomine clerici; ergo quilibet talis peccat tanquam apostata[5] sive haereticus. Clerus enim dicitur a *cleros*, quod est sors sive haereditas, eo quod non habet in mundo partem aliam sive sortem[6] quam Deum, dum vivit de elemosinis populi gratis datis, sicut vixerunt Christus et sui apostoli. Cum ergo

[1] Codex A. minio rubro inscriptum habet: Incipit tractatus de *dotatione* ecclesiae. Cod. a: Incipit supplementum Trialogi. [2] fecit] foret, C. [3] homo tam] tam homo, A. primae manus, a.b. [4] apostata] apostota, A., a.b. [5] apostata] apostota, A., a.b. [6] partem aliam] partem aut aliam sive sortem, A.

clerus dotatus vivit de redditibus propriis sicut domini temporales, videtur quod non sunt proprie clerici nisi forte nimis[1] aequivoce in comparatione ad clerum priorem; et sic forent hypocritae fungentes nomine non virtute[2]; in confirmatione per decem leges satis praegnantes recitatas 15 et 16° capitulis[3] quarti libri. Confirmatur[4] etiam ex testimonio *Ieronymi* causa duodecima recitato[5].

Sententia haec contra varias argutias defenditur.

Hic multiplicantur responsiones[6] hominum. Et *primo* dicitur, quod pro tempore Christi et lege veteri fuit perfectius ecclesiam vivere exproprietarie, ut fecerunt; sed modo, senescente mundo et frigescente caritate in dando elemosinas, est perfectius vivere de bonis propriis; et hinc ecclesia recepit meritorie dotationes a Caesare.

Contra istud arguo per hoc, quod ordinatio Christi pro lege veteri fuit perpetua; et cum ipse fuit omnisciens, videtur quod ordinatio sua fuit meritorior et durabilior quam ordinatio Silvestri sive Caesarea. Nec valet mendax excusatio in peccatis, cum fratres vivunt expropriatorie, et tamen numerus eorum[7] sufficeret pro toto clero ecclesiae[8], non obstante quod sint tantum in numero, in vescibilibus, in domibus sumptuosi. Ideo vel oportet ipsos contradicere isti fictitiae vel statum proprium condemnare.

Quidam arguunt, dotatione augeri ecclesiae decus;

*Secunda responsio* dicit, quod ex ordinatione divina ad decorem ecclesiae est, quod sit talibus cleri statibus perornata. Ex hinc enim 'astat' ecclesia[9] sponso Christo 'in vestitu deaurato circumdata varietate[10].'

Sed videtur, quod ista responsio sit sophistica sicut prior. Nam omnisciens, apud quem sunt cuncta praesentia, foret nimis negligens suae ecclesiae, nisi daret sibi regulam optimam ad viandum, et doceret in lege sua, quomodo et quando foret[11] taliter 'variandum;' quod tamen non fecit nisi, ut narrant cronicae, quod tempore dotationis ecclesiae audita est vox angelica in

[1] nimis] om. A. [2] virtute] veritate, C. [3] capitulis] capitulo, C.; cf. Trialog. IV. 15—19, p. 295, sqq. [4] confirmatur] consequenter, C. [5] Hieronymus ad Nepotianum cf. Decreti II Partem, causam 12; cap. v. [6] responsiones] rationes, C. [7] eorum] illorum, a.b.C. [8] ecclesiae] om. A. [9] ecclesia] militans ecclesia, a.b.C. [10] cf. Ps. xlv. 10. [11] foret] foret illi, C.

aëre[1] clamans ecclesiae, 'Hodie infusum est venenum in ecclesia sancta Dei!' Et tempore *Innocentii III*, sub quo duo ordines fratrum inceperant, apparuerunt duae lunae; et cum prudentius foret approbante Christo hujusmodi novitates, quod incepissent Christo conversante in terris, videtur quod ex aeterna sapientia tunc inciperent floruisse, tunc enim 'circumdarent' Christum corporaliter, accepissent auctoritatem ab eo, et fuisset[2] magis necessarium[3] illam multitudinem, si foret necessaria ad utilitatem ecclesiae, tunc temporis floruisse. Quod quia omnino defuit, creditur[4] probabiliter, quod occasione peccati et instinctu diaboli inceperunt, et quod Christus cum suis apostolis, Paulo et Johanne, vocat illos pseudoprophetas hypocritas et capita malae bestiae, cum aliis perversis nominibus.

*Tertia responsio* dicit, quod ecclesia peccavit[5] in recipiendo dotationem istam, sed *venialiter*, cum deteriorando procedit, ut patet ex ejus fructibus. Et sic *Silvester* ex ignorantia peccavit leviter, a quo peccato fuit ante mortem[6] omnimode expurgatus, et sic de sanctis ceteris, qui dotationem istam ecclesiae approbarunt.

alii perhibent, eos qui primi dotationem receperint, leviter certe peccasse:

Contra istam responsionem instant fideles, quod *Silvester* non poterit taliter excusari, cum fecit simpliciter contra mandatum Dei, ut patet ex decem legibus supradictis contractis[7]; et certum tamen videtur ipsum et multos sequentes papas istud periculum cognovisse, videtur quod debuerunt emendationem hujus delicti posteris reliquisse. Sed cum fecerunt omnino oppositum, dotationem istam, quam potuerant[8] reprobare[9], roborando, videtur quod generaliter moriebantur in ista stultitia infideli. Sed quis auderet dicere, quod Ambrosius, Augustinus, Gregorius cum eis similibus taliter obierunt?

*Quarta responsio* dicit, quod leges praedictae obligant pro Veteri Testamento, sed non tempore legis gratiae, licet Christus cum suis apostolis illam[10] sententiam observarunt. Sed non oportet, si tempore legis veteris patriarchae istam ceremoniam

nonnulli arguunt, legibus Veteris Testamenti tempore gratiae nos non amplius teneri.

[1] aëre] aëra, a.b.C. [2] fuisset] fuissent, C. [3] necessarium] conj.; codices omnes: necessariam. [4] creditur] conceditur, a.b.C. [5] peccavit] peccat, C. [6] ante mortem] om. A. [7] cf. p. 298, sq. [8] potuerant] petiverant, C. [9] reprobare] reprobando, b. primae manus. [10] illam] supereroganter illam, a.b.C.

observarunt, quod patriarchae legis novae[1] debent ipsam continue observare, ut patet de[2] circumcisione. Non ergo sequitur; si lex vetus talem observantiam servavit in summis sacerdotibus, quod ipsa nunc debet[3] in summis sacerdotibus observari.

Mandatum hcc aeterna vigere auctoritate demonstratur.

Sed quaelibet fictitia[4] harum quattuor responsionum caret fundatione, cum pari evidentia fundari posset[5] quodlibet mandatum Domini negativum, cum ille qui[6] in lege veteri dedit decalogum, dedit etiam in lege gratiae hoc mandatum. Ideo cum spectat ad mores et jam spissim in lege gratiae sit praeceptum, videtur quod debet esse mandatum aeternum, cum sit de statu innocentiae et ratione aeterna ac sufficienti similitudine confirmatum. Nec dubium quin antichristus posset[7] aeque faciliter glossare quodlibet mandatum decalogi, quod sic est vivendum quousque unus magnus Christi vicarius decreverit[8] oppositum. Nam in tribus legibus de lege veteri, scilicet Numer. xviii. Deuteronomii xviii. et[9] Ezechielis xliv., simpliciter praecipitur negative, quod neque sacerdotes Aaronitae nec Levitae habebunt partem haereditatis cum aliis tribubus, sed quod pure vivant de decimis et oblationibus. Cum ergo patres legis veteris erant in puerili aetate seculi manuducendi bonis temporalibus, videtur quod minus fuisset illicitum ipsos temporalia habuisse, quam tempore legis gratiae, cum ista lex vetus fuit[10] per Christum tam verbo quam opere confirmata; et clerus debet plus aspirare ad coelestia et senescente mundo plus declinare ab avaritia. Ideo[11] concedendum est ut per se notum fidelibus, quod officium, quod Christus instituit in suis apostolis, debet in eorum vicariis praecipue observari; sed illud fuit praedicatio verbi Dei et contemptus carnis mundi atque diaboli. Sed episcopi et sacerdotes curati succedunt in statum apostolorum, ergo debent praecipue istud[12] observare. Sed constat iterum ex fide et experientia infallibili, quod affectio[13] vel occupatio circa mundum distrahit ab officio praedicandi; ergo cum episcopi nostri non sunt acutioris ingenii quam erant apostoli,

[1] legis novae] novae legis, C. [2] de] om. C. [3] nunc debet] debet nunc, a.b.C. [4] fictitia] fictio, C. [5] posset] potest, C. [6] qui] om. a.b.C. [7] posset] potest, C. [8] decreverit] docuerit, a. [9] et] om. a.b.C. [10] fuit] neque fuit, C. [11] ideo] imo, a.b.C. [12] praecipue istud] istud praecipue, a b. [13] affectio] affectus, C.

non debent cum mundialibus plus apostolis occupari. Unde ad denotandum odium otii et occupationem ecclesiae legitur Gen. ii., quomodo Deus ordinavit hominem in statu innocentiae operari in paradiso, et fructus ejus a voracitate animalium et irrationabilium custodire. Cum ergo jam[1] instat necessitas servare utramque istarum figurarum, videtur quod apostolorum vicarii debent specialiter in Christi ecclesia utrumque istorum officium[2] observare. Si ergo homo in statu innocentiae debuit operari in rectificando arbores depressas per bestias ac volucres, quanto magis debet praelatus apostolicus nunc *rectificare* homines, qui secundum fidem evangelii quasi arbores, qui[3] per diabolos tanquam volucres et per mundiales homines tanquam bestias sunt oppressi. Hoc ergo debet esse opus viri evangelici instar officii pro tempore status innocentiae limitati. Et per idem debent *custodire* dictas arbores cum fructibus suarum virtutum ab impulsu diaboli et ferocitate bestiae, quae a rationabilitate hominis per vitia est conversa.

Occasio peccandi in abundantia rerum posita sacerdotibus inprimis cavenda est.

Item occasio peccandi in sacerdotibus praecipue est cavenda, sed habundantia temporalium et certitudo eorum cum otio adjacente est magna peccandi occasio, ergo illa debet praecipue in sacerdotibus praecaveri. Unde Ezech. xvi.[4] Deus per prophetam Judaeos alloquitur in haec verba: 'haec fuit iniquitas Sodomae, sororis tuae: superbia, saturitas panis, habundantia et otium.' Si ergo haec quattuor erant in secularibus Sodomitis peccata, quia iniquitates diligentius praecavendae[5], quanto magis in clericis gradus altioris, a quibus fructus plus pretiosi forent ad aedificationem ecclesiae expectandi. Si enim apostoli fuissent sic circa divitias occupati, nunquam crevisset sic fides ecclesiae in Christianismo, cum propter avaritiam sacerdotum regna desolabiliter sint[6] divisa. Quis, inquam, dubitat, quin istae quattuor iniquitates Sodomiticae in nostris sacerdotibus altioribus sint praegnantes, cum non solum sint superbi, sed blasphemi ex potestate quam a Christo Domino vendicant se habere? Et quantum ad habundantiam alimenti, patet quod nec in alimentis

[1] jam] illa, C. [2] officium] officiorum officium, C. [3] qui] quae, C. [4] Ezech. xvi.] omnes libri manuscripti habent, Ezech. x.; sed nullus alius prophetae locus nisi xvi. 49, ab auctore dici potuit. [5] praecavendae] praecavenda, A.a. [6] sint] sunt, A.

nec in ornamentis est alius populus in eorum possessione superflua plus habundans, cum domini temporales[1] pro guerris et defensione potestatis seculi licite habent ista. Sed nostri clerici neque evangelizant sicut apostoli neque pugnant sicut seculares domini neque laborant ut operarii. Ideo in contraria iniquitate[2], quae est otium, sunt maxime occupati. Quomodo ergo non foret necessarium ipsis, seculare dominium, quod est occasio tanti sceleris, praecavere? Et istos duos textus de lege veteri adjeci cum tribus praedictis legibus in vulgari, ut populus quinque panibus hordeaceis, sicut in primo[3] Christi convivio, foret pastus.

## CAP. II.

*Argumenta eorum, qui dotationem a clero juste acceptam esse contendunt, refutantur.*

Sententia eorum, qui dotationem juste acceptam esse perhibent, examinatur.

Consequens est videre, quomodo evidentiae factae in principio sunt solvendae. Et supponendum est *primo*, ut patet ex dictis alibi, quod isti quattuor actus sunt distincti, scilicet scire credere reputare vel supponere et dubitare. Quo supposito videtur mihi propinquum fidei sive fides, quod omnes clerici et specialiter praelati ecclesiae debent vivere exproprietarie sicut Christus, et per locum a majori sicut vixerunt sacerdotes Veteris Testamenti. *Secundo* videtur mihi probabile ex effectu, quod omnes patres legis gratiae, sive papae sive sancti doctores, qui admiserunt dotationem ecclesiae vel consenserunt illi dotationi, graviter peccaverunt, quia contra legem Dei tam[4] in lege nova quam veteri deliquerunt[5]. Etiam *tertio* videtur mihi probabiliter supponendum, quod multi sancti doctores, qui dotationi isti consenserunt, ante mortem suam, ex Dei gratia licet nobis abscondite, sunt purgati, quia veritates evangelicae, quae per doctores illos sunt doctae, et multa bona opera de genere, quae

[1] Domini temporales] temporales domini, a.b.C. [2] iniquitate] in iniquitate, C. [3] primo] sanctissimo, C.; cf. Matth. xiv. 15, sqq. [4] tam] eam, C. [5] deliquerunt] delinquerunt, C.

fecerunt, sicut et sua conversatio, dant suppositionem probabilem militanti ecclesiae, quod sunt sancti; nec repugnat huic ratio vel fides scripturae. In illis autem sanctis doctoribus, quos canonisat sancta ecclesia, sunt gradus multiplices; ut plus opinantur sanctitatem[1] *Ieronymi* quam *Augustini*, et plus sanctitatem[2] *Augustini* quam *Ambrosii*, et plus *Ambrosii* quam *Gregorii* in triumphante ecclesia rutilare. Sanctitates[3] autem aliorum doctorum, etiam noviter canonisatorum, potest supponere qui voluerit[4], plus vel minus. Sed cavendum est de haeresi, quod non *credatur* ut fides explicita, aliquem illorum esse jam[5] in triumphante ecclesia; *reputare* quidem possumus istos doctores, et specialiter quattuor, esse sanctos, sed ad fidem expressam ecclesiae non attingit. Ideo non debemus dubitare, vel credere hos damnatos, sed probabiliter supponere, quod in patria sunt[6] beati; sed istam suppositionem vel reputationem oportet capere citra fidem; apostolos autem debemus *credere* esse beatos cum Christo, quia[7] hoc ex fide scripturae evidentius explicatur; et martires, quos reputamus in vero martirio obiisse, debemus reputare esse beatos cum Christo, sed caveamus ut servetur talis reputatio citra fidem. Notandum tamen[8], quod aliqua creduntur explicite et aliqua implicite, sicut debent: explicite creduntur, quae in fide scripturae patule explicantur, implicite ergo creduntur quaecunque veritates[9] sive quas explicite reputamus sive quas confuse credimus. Et sic intelligo[10] dictum[11] 1 Corinth. xiii. 'caritas omnia credit.'

Exponitur Silvestrum papam et ceteros, qui ecclesiae dotationem receperint, non leviter, sed graviter peccavisse.

Per hoc patet solutio ad evidentiam primo factam, negando assumptum[12], cum *Silvester* et alii recipiendo dotationem ecclesiae saltem venialiter peccaverunt; debuerunt enim, sicut fecerunt apostoli[13], dotationem hujusmodi renuisse; et si placeret exonerare dominos, potuissent *usus* temporalium evangelicis pauperibus dispersisse, et *dominia* illa secularia ipsis dominis reservasse. In qua obmissione supponitur quod graviter pec-

[1] sanctitatem] sancti, C. [2] sanctitatem] sancti, C. [3] sanctitates] sic A. secundae manus; scientes, a.b.C. [4] qui voluerit] sic A.; om. a.b.C. [5] jam] om. a.b.C. [6] sunt] sint, C. [7] quia] cum, C. [8] tamen] tamen est, C. [9] veritates] virtutes, a.b. [10] intelligo] intelligendo, C. [11] dictum] dictum apostoli, a.b.C. [12] primo factam, negando assumptum] primo negando fictum assumptum, C.; factam, negando assumptum, A. [13] cf. Act. viii. 18, sqq.

caverunt, sicut supponitur, quod tam ipsi quam posteri ex negligentia notificationis ecclesiae saltem in mortis articulo graviter peccaverunt; et gravedo illius peccati continue invalescit, cum praelati Caesarei secularibus dominiis plus continue abutuntur, et non obstante fortificatione[1] evidentiae hujus fidei declarandae continue armant se pertinacius, quomodo defendant[2] dominium occupatum per clericos; et[3] ista haeresis secundum istam rationem continue invalescit. Supponi enim potest, quod *Hilarius Augustinus Ambrosius* et ceteri sancti de possessionibus habitis vixerant satis parce, et quod aliqui fuerunt in remisso proposito dotationem hujusmodi dimittendi, sicut beatus *Possidonius* recitat de beato *Augustino*, quod videns clericos suos circa possessiones cum civibus suis contendere voluit redditus illos dimittere et vivere de elemosinis et decimis, sicut vixerunt patres Veteris Testamenti. Sed finaliter cives Hipponenses receptionem dotationis hujusmodi renuerunt. Et sic supponi potest de *Ambrosio* et aliis sanctis episcopis. Sed certum est, quod existentes nimis remissi in isto proposito peccaverunt; ideo quamdiu isti sancti fuerunt in purgatorio postmodum, ignoramus. Et sic scripta apocrypha allegata[4] in ista materia detestamur[5]. Et sic quod fuit peccatum leve tempore *Augustini* est versum in haeresim pertinacem. Nec miretur fidelis, quod si essem[6] positus per impossibile in necessitate[7] adoptionis[8], vel concedere, quod isti sint[9] damnati tanquam haeretici, vel quod meritorium sit et licitum[10] clericos sic dotari, quod praeligerem primam partem, et secundam partem aufugerem tanquam oppositum fidei Christianae. In neutram tamen istarum partium incido, sed evitans Scyllam et Caribdim[11] transeo per medium, dictum meum non diffiniens. Nec scio excusare praelatos modernos ab haeresi, sed cavebo diffinitive asserere, quod ex Dei praescientia sint damnandi; hoc enim excellit meam notitiam de quocunque quem video[12] quantum-

Sed istam ob causam illos a Deo damnatos esse auctor minime contendit.

[1] fortificatione] fortifactione, a. b. [2] defendant] defendent, A.b. defenderent, C. [3] et] item, C. [4] allegata] om. a.b.C. [5] detestamur] detestamus, cod. a.b.; detestatus, C. [6] essem] esset, C. [7] necessitate] necessitatem, a.b. primae manus. [8] adoptionis] sic omnes Codd.; sed notio subest *optionis*. [9] sint] sunt, C. [10] licitum] licitum sit, C. [11] Scyllam et Caribdim] sillam, a.b.; cillam, C.; caribdym, A. [12] video] videro, C.

cunque notorie peccare contra decalogum mandatorum. Unde notando distinctionem illorum quattuor terminorum concedi debet primo de quocunque praesenti praelato vel homine, quod jam non credo explicite ipsum[1] esse membrum ecclesiae, sive fuerit papa sive episcopus sive quicunque alius jam cum mortalibus conversatus. Patet ex hoc, quod non est fides explicite, cum quilibet talis sit in statu in quo possit[2] esse dignus damnari, cum in peccato finalis impoenitentiae posset mori. Similiter si jam debemus credere explicite, quod iste sit membrum ecclesiae et praedestinatus ad gloriam, cum hoc non potest cadere sub sensu, oportet illud ex revelatione[3] aut demonstratione accipere vel ex fide. Sed cum quodcunque[4] istorum nobis deficit, patet conclusio; cum enim notum sit[5], prima duo deficere, si tertium foret[6] verum, pari evidentia fides foret de quolibet, ipsum esse salvandum, et sic foret[7] fides falsissima, cum nemo dicit *simpliciter* de inesse, quod ille salvabitur, quia salvabitur *si Deus voluerit*, vel quod est in statu in quo salvari *poterit*, cum tunc quaelibet creatura et quilibet homo necessario salvaretur. Et sic nedum papa per canonisationes faceret novos articulos fidei ecclesiae expressandos; sed quilibet homo et quaelibet creatura cum faciat aliquam veritatem; sicut cum credere debemus ecclesiam sanctam catholicam tanquam fidem, et iterum[8] credere debemus, quod quodlibet[9] membrum illius ecclesiae sit praedestinatum ad gloriam. Si credere debemus, quod ille papa vel episcopus sit membrum sanctae matris ecclesiae, credere debemus quod repugnat, ipsum in peccatum finalis impoenitentiae cadere; sed quid inconvenientius? Sicut est impertinens dicere, quod ille secundum praesentem justitiam est caput sanctae matris ecclesiae vel membrum reputativum ecclesiae Christi, non obstante quod sit diabolus, quia non est talis communicatio Christi ad Belial[10]. Ideo patet ex fide Christi scripturae et multiplici testimonio sanctorum, quod nullum est membrum sanctae matris ecclesiae nisi persona praedestinata.

[1] credo explicite ipsum] concedo ipsum explicite, C. [2] possit] posset, a.b.C. [3] revelatione] levelatione, b. [4] quodcunque] quicunque, C. [5] notum sit] sit notum, C. [6] foret] forerit, a. [7] foret] foret foret, b. [8] et iterum] et enim, C. [9] quodlibet] quotlibet, C. [10] cf. 1 Corinth. vi. 15.

Et de illa ecclesia loquitur fides nostra et sic non de ecclesia malignantium[1] vel de ecclesia false nuncupata.

Praelati a lege Christi operibus declinantes non putandi sunt sanctae ecclesiae socii ac membra.

*Tertio* videtur mihi quod quoscunque praelatos Caesareos vel in fide scripturae notorie delinquentes debemus non supponere esse membra sanctae matris ecclesiae. Probo sic: debemus de ipsis aliqualiter[2] judicare, et loquor de tota ecclesia militante propter ipsos secundum aliquam sui partem; et tunc patet assertum[3], cum Christus mandat[4] Matth. vii., 'Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis[5] ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; a fructibus eorum cognoscetis eos.' Et de isto[6] judicio mandat Christus Johannis xiv.[7], 'si mihi non creditis, operibus meis credite.' Si igitur militans ecclesia tenetur judicare de praelatis tam bonis quam malis et de suis operibus conformibus vel difformibus legi Christi, videtur quod de praelatis praedictis debet non supponere, quod sint membra sanctae[8] matris ecclesiae; non enim supponeret[9] quod sint tales, nisi ab evidentia capta ex opere quo sequerentur[10] Dominum Jesum Christum. Sed non est evidentia capienda ex suo opere, quod dicti praelati sint membra sanctae matris ecclesiae; ergo non subest de illis evidentia, unde subditus debet supponere de ipsis, quod sint membra sanctae matris ecclesiae. Non enim demonstratio vel revelatio est nobis expectanda in ista materia, sed sufficit nobis evidentia topica; et tamen cum omnino privantur tales praelati evidentia probabili, quod sint membra sanctae matris ecclesiae, relinquitur quod apud debentem de altero judicare, quod probabiliter judicare debeat, quod non sint membra sanctae matris ecclesiae. Multis quidem ex evidentia satis topica videtur quod vitam illam quam inceperunt, usque ad finem vitae suae continuabunt, et nunquam de dicto errore efficaciter resipiscent, cum per mille annos vel circiter sic evenit. Si ergo speculator[11] debet de periculo providere, videtur quod membra ecclesiae debent perpetuitatem malitiae in talibus praepositis reputare. Si enim

[1] cf. Ps. lxiv. 3 Vulg. [2] de ipsis aliqualiter] aliqualiter de ipsis, C.; aliqua, A. [3] assertum] assumptum, A.a.b. [4] mandat] mandavit, C. [5] vestimentis] vestitu, C. [6] isto] iusto, A.C. b. primae manus. [7] xiv.] iv. A.a.b.; x. C.; cf. Ev. Joh. xiv. 11. [8] sanctae] om. C. [9] supponeret] supponet, C. [10] quo sequerentur] quomodo sequentur, C. [11] cf. Ezech. xxxiii. 2, sqq.

scribebant et arguebant multi *meritorie* de ipsis praepositis, ergo debuerunt sic fecisse. Sequitur enim: 'isti praelati sic vixerunt atque finierunt[1],' ergo sunt damnati et nunquam fuerunt membra sanctae matris ecclesiae; et antecedens est probabile ad capiendum ab experientia et fide, ergo consequens est probabile. Imo ex istis videtur quod debemus supponere tales non esse membra sanctae matris ecclesiae, quia nihil[2] debemus supponere nisi ad quod[3] militat probabilis evidentia, et omne tale debemus *supponere*. Sed omnes tales ex probabili evidentia et forti continuatione perversi operis debemus supponere sic finire; ergo conclusio.

Et ex istis probabiliter infertur *tertio*, quod subditi talibus praelatis non debent reddere illis, secundum rationem qua sunt hujusmodi praelati, decimas redditus vel honores. Patet de illis qui dicunt[4], quod non sint membra sanctae matris ecclesiae; illi[5] non debent aliquid dare illis contra conscientiam secundum rationem quam aestimant esse falsam; sed ut supponunt, aestimant omnem rationem membri sanctae matris ecclesiae ipsos false et praesumptive accipere, ergo non debent secundum illam rationem aliquid eis dare. Multi enim necessitantur concedere, quod tales sint praelati ecclesiae vel negare. Evidentia, quae poneret, quod sint membra sanctae matris ecclesiae, foret praesumpta exactio. Sed evidentiae moventes ad oppositum sunt perversa opera, quae moverent fortius, cum bona opera Jesu Christi debent movere Judaeos[6] evidentius ad credendum, quam fuit auctoritas sic ignota.

## CAP. III.

*Leges de decimis exigendis latas legi Christi contrarias esse.*

Sed adhuc pro declaratione istius sententiae dubia et rationes aliquae sunt movendae. Nam leges praedictae nec[7] sunt mandata decalogi nec aliqua particula symboli christiani; quomodo

**Leges de exigendis decimis latae non obligant Christianos.**

[1] finierunt] servierunt, C. [2] nihil] vel, C. [3] quod] quid, b.C. [4] dicunt] debent, a.b.C. [5] illi] illi enim, a.b.C. [6] Judaeos] cf. Ev. Joh. xiv. 11; modernos, C. [7] nec] ut, C.

ergo moverent fidelem[1] sub poena haeresis ipsas credere commendare[2]? Et confirmatur ex hoc, quod nec Christus nec ejus apostoli ipsas servaverant[3], illae igitur tanquam ceremonialia vel legalia sunt tractandae. Hic dicitur, quod dictae leges sunt fides ecclesiae, quia sacra scriptura perpetuo observanda, et sic implicantur in omnibus mandatis decalogi, cum praevaricatores earum offendunt contra totum decalogum; non tamen oportuit ipsas leges in decalogo explicare, quia sunt leges *particulares* pertinentes sacerdotibus et Levitis. Sed decem leges decalogi obligant *generaliter* atque semper. Verumtamen in legibus tribus supradictis fuerant aliqua moralia et aliqua[4] ceremonialia, moralia autem pontifex noster Christus cum suis apostolis stricte et regulariter[5] observabat, ut patet supra de septem legibus pro ista sententia allegatis. Christus autem obmisit acceptionem decimae et oblationum[6], quae in lege veteri fuerant sacerdotibus limitatae, quia in ipso figurae illae mysticae sunt completae.

Nos autem tempore legis gratiae obmittimus quod Christus tam regulariter servavit, cum moralitati pertineat, et decimas et oblationes satis avide amplexamur[7], cum tamen Christus dixit in suo apostolo ad Timotheum vi., quod 'habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.' Et ista cupiditas profunda[8] et ordinationi Christi contraria induxit majorem avaritiam in capiendo[9] mundana dominia; et illa avaritia, si Deus voluerit, est ad ultimum profundata. Et ita dicitur quod assumptum[10] est falsum, cum moralia istarum legum in quolibet mandato decalogi sunt praecepta, et in ista parte symboli: 'credo ecclesiam sanctam catholicam' quaelibet[11] scripturae sacrae particula continetur. Quomodo ergo non foret infidelis, qui negaret gesta Christi in evangelio explicata, licet non sint in symbolo expressata? Non enim a tempore nativitatis Christi usque ad ejus passionem aliquid[12] gestorum Christi exprimitur, et tamen omnia illa sunt ut fides ecclesiae acceptanda. Et patet solutio.

[1] moverent fidelem] moventur fideles, C. [2] credere commendare] i.e. commendare, sub poena haeresis, ut credat ipsas. [3] servaverant] servarunt, C. [4] et aliqua] atque, a.b.C. [5] regulariter] realiter, a. [6] oblationum] conj. Omnes codices habent: oblationem. [7] amplexamur] amplexantur, C. [8] profunda] profundata, A., a.b. ex sequentibus verbis huc translatum. [9] capiendo] recipiendo, C. [10] assumptum] ad sensum, C. [11] quaelibet] qualibet, a. [12] aliquid] aliud, C.

Parochis minime licet decimas accipere.

Sed ulterius dubitatur, quomodo licet rectoribus[1] accipere decimas de subjectis, cum ex minori quam parte decima contingeret[2] multos sacerdotes hujusmodi sustentari, et Christus dicit in suo apostolo, quod 'de alimentis et tegumentis debemus tanquam Christi pauperes contentari[3].' Hic videtur mihi salvo meliori judicio, quod licet rectori et cuilibet praelato[4] ecclesiae accipere decimam vel quotamcunque aliam partem ecclesiae, in casu quo egeat pro impletione sui officii; et quid supra illud[5] acceptat, nedum est a malo[6] sed ipsum malum, et tunc non taxarentur rectores per suos praelatos ut modo, nec facerent regulariter convivia, nec conderent sic seculariter testamenta; et major pars legum ecclesiae de decimis et oblationibus foret sopita, et populus gratis sine exactione solveret sacerdoti suo debite ministranti. Unde non video excusationem exactionum excommunicationum et occupationum hujusmodi, quibus curati circa suos redditus sic contendunt. Omnino autem licitum[7] videtur mihi stare in data parochia et aedificare populum conformiter legi Christi et accipere ab eo sic alimenta et tegumenta cum moderamine gratis data; et istud videtur mihi exemplatum est[8] a Christo et suis apostolis et consonum rationi. Nec murmuret curatus, quod hoc sit malum, quia non video quare sic faceret nisi propter corporalem elemosinam partiendam[9], vel in casu quo deveniret ad inopiam, foret de propriis relevatus. Sed ad *primum* patet ex *actibus apostolorum*[10], quod est nimis rude et laicale servitium sic temporalia pauperibus impartiri[11]. Et major defectus istius officii contingit ut plurimum in sacerdotibus quam in personis secularibus; ideo sacerdotes debent tanquam apostoli circa contemplationem et evangelium dimisso tali officio occupari. Non tamen video quin licet episcopo inferioris status et literaturae debilis circa talia cum moderamine occupari, cum apostolus docet talem episcopum suae domui providere[12]. Ex his patet, quam proditorie cardinales et clerici

[1] rectoribus] i.e. parochis. [2] parte decima contingeret] partem decimam continet, C. [3] cf. 1 Timoth. vi. 8. [4] rectori et cuilibet praelato] rectori cuilibet et cuilibet praelato, C. [5] quid supra illud] quod supra id, C. [6] cf. Matth. v. 37. [7] licitum videtur mihi] videtur mihi licitum, C. [8] exemplatum est] extractum esse, C. [9] partiendam] percipiendam, a.b.C. [10] cf. Act. vi. 2. [11] impartiri] impertire, C. [12] cf. 1 Timoth. iii. 4.

stantes cum regibus aut extravagantes a ministeriis sacerdotalibus accipiunt a populo praelatiae titulo ista bona; non enim possunt subterfugere quin sint proditores Dei et regni[1] et longe pejores quam raptores publici; et per consequens seculares domini ex obmissione corrigendi ac consensu hujus peccati sunt graviter puniendi. Non tamen video quin licet rectori exercere studium gratia informandi suum populum, et per vices debitas refundere thesaurum sapientiae quem collegit; sic enim apes de frondibus et aquis congregant materias ex quibus mellificant sibi pastum.

Sed dimissis istis verbis[2] exhortatoriis, quae est nobis impossibile implere, et ut multis videtur, destructivum ecclesiae, transeundum est ad alias rationes.

Decimarum causa cum parochianis contendere sacerdotibus nefas est.

Videtur enim *primo*, quod nemo contenderet cum suis parochianis pro decimis aut oblationibus obtinendis; nemo enim debet contendere nisi pro illo quod noscit esse sibi debitum, sed curatus talis nescit decimas vel oblationes esse sibi debitas, igitur pro illis non debet contendere. Si enim non ministrat debite suis subditis, non est color pro talibus proventibus contendendi; et si ministrat debite, cum tale ministerium debeat gratis dari et non vendi pro pretio temporali, propter haeresim Symoniae, videtur quod pro illis non debet contendere, imo sic contendendo excidit a ratione tales redditus obtinendi. Similiter talis contentio pro istis proventibus non debet fieri nisi propter caritatem quam curatus debet habere ad suos subditos; sed non videtur opus caritatis sic vexare subditos, excommunicare et a communicatione plebis expellere propter modicum temporale. Igitur talis exactio vocata legitima[3] non est a presbytero exercenda, cum non sit exemplata[4] a Christo et suis apostolis, et ipsi fuerunt plenum speculum vitae et operi sacerdotum. Similiter tales curati contendentes pro temporalibus nesciunt, si sunt membra sanctae matris ecclesiae vel membra diaboli. Si secunda detur, carent jure taliter contendendi, igitur ex sibi dubio in sic placitando[5] contraveniunt[6] legi Dei, non enim habent pro se leges humanas, ut seculares contendunt, sed pure anti-

[1] regni] regis, C. [2] verbis] veritatibus, C. [3] legitima] licita, C. [4] exemplata] exercita, C. [5] placitare, i.e. litigare, cf. *Du Cange*, glossarium, s.v. [6] contraveniunt] conveniunt, C.

christinas leges perplexas et infundabiles ratione[1]. Ex istis colligitur talis ratio: quandocunque sunt duae viae objectae homini, et una est sibi ambigua, si sit legitima[2] vel contraria voluntati Dei, et alia est certa esse meritoria, ista ambigua debet dimitti et alia debet capi; sed sic est de omni curato disposito ad contendendum; igitur viam securam debet capere non taliter contendendo. Sic enim Paulus nunc laboravit manibus et nunc ab alieno populo cepit elemosinas, quando avaris Corinthiis ministravit. Et ex[3] talibus evidentiis dejecit diabolus fratres in haeresim: videntes ex uno latere, quod nullus curatus debet sic pro temporalibus placitare, dimiserunt secundum pactum mundanum temporalia a plebe exigere, et versi sunt in mendicationem infundabilem, per quam hypocritice[4] docentur a diabolo populum spoliare; cujus causa est quia nesciunt medium laborandi manibus vel exhortandi populum verbis et factis rationabilibus vel in mensura congrua quoad suum numerum se tenendi. Et si objicitur ut supra, quod deficiente tali placito pro proventibus curatorum, multi forent necessitati deficere prae inedia[5] vel miserabiliter mendicare; hic dicitur ut saepe alias[6], quod, licet mendicare sit a malo, tamen in casu est licitum, posito quod habundantibus desit misericordia, et ipsis mendicantibus potentia desit laborandi vel sufficientia se juvandi. Unde in talem mendicationem inciderent[7] sacerdotes antequam pro temporalibus placitarent. Unde videtur quod moti ex ista evidentia placitare[8] plus desperant de Dei suffragio quam inopes laici; et peccare pro tali desperatione de Dei adjutorio est omnino conditio infidelis.

Similiter manifeste repugnat legi divinae, quod quis vexet alium injuste[9] placito exigendo quidquam ab illo secundum rationem, quam non scit probare esse veram; sed juxta dicta hoc contingit de quocunque curato cum suis subditis pro proventibus placitante; ergo illud est omnino illicitum. Minor patet ex dictis, cum curatus praetendit in tali placito rationi,

[1] ratione] in ratione, C. [2] legitima] licita, C. [3] et ex] et, om. C., b. primae manus. [4] hypocritice] hypocrite, i.e. hypocritae, C. [5] prae inedia] per inediam, C. [6] alias] om. C. [7] inciderent] i.e. deberent incidere; inciderunt, a.b.C. [8] i.e. qui tali ratione moti placitant. [9] injuste] in juste, C.

quod sit membrum nobile sanctae matris ecclesiae, quod omnino nescit sicut nescit utrum spiritualis profectus, quem intulit subjectis suis, valet dimidium tanti quantum mendicat, cum valores istorum non possunt proportione rationabili ad invicem comparari. In hoc ergo quod Symoniacus sic placitat, evidenter indicat, quod sit indignus recipere quod requirit. Apostoli enim et multi alii fideles sequentes sine tali exactione longe[1] plus subditis profuerunt. Nec valet ista communis fictitia, quod haec[2] exigunt a subjectis, ut ipsi evadant periculum et faciant justitiae complementum; quia apostoli nescierunt istam justitiam, sed nec Christus ipsam docuit sed omnino contrarium. Ideo multis videtur quod isti volunt vendere suum meritum quod haberent, et eo ipsi sunt indigni merito. Nam si non sunt membra sanctae matris ecclesiae aut non tantum[3] profuerunt subjectis quantum valet merces quam exigunt, tunc secundum rationem falsam contendunt. Ideo si aliqua contentio sit illicita, haec est illa, apostolus cum dicit I Corinth. vi.: 'omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos; quare non magis injuriam[4] accipitis, quare non magis fraudem[5] patimini?' Tales autem curati fraudant simplices, et cadentes a facili merito in periculum animae se[6] involvunt. Et sic decimantes coacte talibus exactionibus[7] communiter sunt perplexi, quia a sibi probabilibus solvunt, quibus non debent, partem bonorum ecclesiae atque Christi. Et talis solutio videtur non excusabilis in die judicii, cum Christus remunerabit activos[8] ex hoc quod ipsum in membris suis taliter nutrierunt, ut patet Matth. xxv., et non ex hoc quod membra diaboli contra Christum taliter refecerunt.

Tales sunt multae rationes fidelium, propter quas apparet antichristum cum suis legibus fabricatis de decimis et aliis ecclesiae malignantium legibus contra legem Christi et sui apostoli praevalere. Et sic fidelis detestaretur istam argutiam ut sophisma diaboli: ista ecclesia vendicat et obtinet ista bona secundum leges quas statuit; ergo juste et bene; cum evi-

[1] longe] legem, C.; legem longe, a.b. [2] haec] hoc, C. [3] tantum] bene, C. [4] non magis injuriam] magis injuriam non, C. [5] non magis fraudem] magis fraudem non, C. [6] animae se] anime sue (animae suae); animo se, C. [7] exactionibus] exactoribus, A. [8] remunerabit activos] remunerabitur actiones, C.

dentius sequeretur[1] oppositum. Sed oportet capere ad inferendum, quod de lege Dei et ecclesiae triumphantis vel militantis ecclesiae fundatae in illa lege judicatur, quod persona conjuncta debet se taliter habere.

## CAP. IV.

*Papam esse fontem nequitiae omnis in ecclesia vigentis.*

Ex istis rationibus potest colligi vel[2] Avinionicus[3], quem aliqui vocant papam aut summum et immediatum Christi vicarium in terris, sit fons et origo totius nequitiae in militante ecclesia, ac si foret praecipuus antichristus. Nam omnes leges praedictae iniquae sicut et executiones earum ab illo nido trahunt originem. Unde ipse in persona sua et suorum cardinalium blasphemat manifeste in Christum, cum per vitam Christo magis contrariam vendicat illum statum: Christus enim vixit vitam *pauperrimam* vitam humillimam et vitam obedientissimam Deo[4] patri; iste autem vivit omnino contrarie, cum in facie ecclesiae tanquam princeps mundi maxime est dotatus. Et quantum ad *humilitatem* vitae, hic antichristus vendicat se esse Deum[5] in terris, et infinitum super alios status ecclesiae dominari. Et quantum ad *obedientiam legum Dei*, hic antichristus postponit et contemnit partim expresse et partim tacite istam legem, et *suam* legem legi Christi contrariam anteponit, et sic non obstante quod ista Christi[6] conditio sit versa in dominationem mundanam, in contumacem et blasphemam superbiam et in rebellionem abhominabilem antichristi, tamen cum omnibus istis fingit mendaciter, quod sit summus vicarius Jesu Christi, et ad[7] tantum praevalet cum suis scholaribus tam secularibus dominis quam etiam vocatis clericis quod vix unus est bonus[8] qui audet pro parte Domini[9] reclamare, cum antichristus fere subjuga-

Papa cum vitam Christo contrariam agat, Christi vicarium se esse perhibens blasphemat in Christum.

[1] sequeretur] sequitur, a.b.C. [2] vel] pro *vel*, quod Codices habent, conjiciendum esse videtur: *quod.* [3] Avinionicus] Avinonicus, a. [4] Deo] Dei, C. [5] Deum] Deum hic, A.b.C. [6] ista Christi] istarum, C. [7] ad] in, A. [8] unus est bonus] bonus om. C.; unus om. a.b. [9] pro parte Domini] propter Deum, C.

Auctor schisma papale anno 1378 ortum commemorat.

verat sibi totam ecclesiam occiduam. Sed benedictus Dominus Jesus Christus, qui est caput ecclesiae, in parte contrivit et divisit in partes contrarias caput hujusmodi maledictum! Unus enim dicit se esse caput ecclesiae, excommunicat et multipliciter persequitur reliquum et e contra. Et tum[1] deficiente fide spe et caritate ad tantum hebetatur nostra ecclesia, quod nescit ambas has partes capitis antichristi aufugere, sed credit esse de substantia fidei alteri adhaerere. Nam fides evangelii Matthaei xviii. narrat, quomodo apostoli quaesierunt, quis sit major in regno coelorum; et quia ista quaestio quaesivit tacite, quis sit major in ecclesia militante et consequenter futurus major in ecclesia triumphante, cum utrumque vocatur regnum coelorum, Christus praesciens antichristum futurum respondit[2] tam verbo quam opere; statuit enim parvulum in medio eorum et subjunxit, 'nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.' Ex qua fide, cum fide evangelii Matthaei xx. et Lucae xxii., patet luce clarius, quod diffinitio Christi est, ut quicunque[3] qui est humilior, ecclesiae servitivior et in amore Christi quoad suam ecclesiam amantior[4], ille inquam in ecclesia militante est[5] major et proximus Christi vicarius reputandus. Ista autem duo monstra ecclesiae militantis astruo[6] quoad illos nullam trium conditionum, quae diffinitae sunt a Christo, participant; quia si essent humillimi, reputarent se positos in loco novissimo, cum Lucae xiv. praecipit Christus generaliter, vocatos in nuptias in sua reputatione in novissimo loco recumbere. Sed iste antichristus repugnat contemptibiliter isti legi, cum unus dicit se beatissimum caput ecclesiae militantis et alterum praecipuum membrum diaboli; et reliqua meretrix contendens contra Salomonem[7] nostrum Christum affirmat contrarium. Et pro partibus suis majorem partem ecclesiae nostrae occiduae commovent et perturbant in tantum, quod unus ex-

[1] tum] cum, a.b.C. [2] respondit] respondet, C. [3] quicunque] quilibet, C. [4] amantior] amantivior, a. [5] est] sic libri MSS. [6] Vocabulum post 'militantis' in libris manu scriptis positum atque difficillimum lectu hanc habet speciem: *asceno* (a.) sive *asceuo* (A.) sive *asteuo* (C.b.) Conjiciendum censuimus: *astruo*, quod verbum apud *Bedam* aliosque pro verbo: *affirmare* usitatur. Verba 'astruo quoad illos' in parenthesi posita significant auctorem, quod ad utrumque papam attinet, affirmare quae sequuntur. Verum si deleveris verba 'astruo quoad illos,' nihil deesse videbitur, omnia quadrabunt. [7] Salomonem] salvatorem, C.; cf. 1 Reg. iii., ssq.

ponit congregatum antichristi thesaurum pro reliquo destruendo armata manu, et reliquus per vocatum 'spiritualem thesaurum' absolvit a poena et a culpa quemcunque qui contra partem adversarii sui[1] vult viriliter rebellare. Et sic ecclesia nostra occidua quid infidelitate quid in personarum occisione et quid in prodiga expensione est mirabiliter perturbata! Numquid credimus utrique[2] istorum monstrorum deest humilitas, cum possit[3] humiliter confiteri veritatem evangelicam et sic salvare tantos populos repugnantes. Veritas quidem est confitenda ab utroque istorum, quod nescit, si sit membrum ecclesiae; sed[4] alii debent probabiliter supponere, quod neuter sit ejus membrum, propter evidentiam vitae vel operis tam contrariae Christo et suis apostolis. Unde videtur multis, quod dominatio et dotatio conjunctae istis episcopis sunt[5] causa, quare pro ista excellentia sic contendunt. Quod si sit verum, quis dubitat quin uterque[6] istorum sit maximus antichristus, cum magis amat superbiam et cupiditatem antichristi quam Christum in suis ovibus? Cum tamen Christus Johannis ultimo dixit Petro: 'Petre, amas me? pasce oves meas?' Quod quia Petrus perfecit excellentius, fuit constitutus caput ecclesiae. Uterque autem istorum amat vana[7] temporalia plus quam Christum, et pro pascendis ovibus propinat toxicam antichristi.

Et ista creditur 'abhominatio desolationis stans in loco,' quam Christus Matthaei xxiv. commemorat: 'cum videritis, inquit, abhominationem desolationis stantem in loco sancto, quae dicta est a Daniele propheta; qui legit intelligat.' Sed Christus more suo subjungit *remedium:* 'Qui, inquit, in Judaea sunt, fugiant ad montes;' quod dictum videtur sic sane intelligi posse: qui sunt in confessione legis scripturae et fidei Christianae, fugiant ad apostolos, vitam et sua opera imitantes, et fugiant ista duo capita cum suis membris tanquam diabolos incarnatos. *Secundo* 'qui in tecto sunt,' hoc est qui teguntur defensione brachii secularis, et habent ab altero istorum capitum[8] munimenta vel beneficia evangelica, non innitantur alteri

[1] sui] om. A. [2] utrique] utroque, C. [3] possit] posset, C.
[4] sed] sed quid, A. primae manus, a.b.; sed quod, C. [5] sunt] sint, C.
[6] uterque] utrique, a. [7] vana] bona, C. [8] capitum] capitum vel, a.b.C.

istorum capitum, sed quiescant in lege caritatis et gratiae et sic habent titulum[1] supra[2] istos. Sed multi avari beneficiati descendunt de tecto et sic excitant ecclesiam nostram occiduam ad hanc pugnam. Et *tertio* subjungit Veritas, quod 'qui in agro, non revertantur tollere tunicam suam,' quod videtur sic posse sane intelligi, quod seculares active viventes, stantes in fide Domini nostri Jesu Christi, non revertantur ad alterum istorum monstrorum ad[3] accipiendum fidem novam vel aliquam virtutis tunicam, sed in virtutibus 'antiqui dierum[4]' et agro scripturae remaneant stabiliti. Et tunc ista duo monstra cum membris diaboli sibi adhaerentibus sese[5] destruerent, ecclesia fidelium stante salva. Quod autem istorum capitum sit nequius, est nobis impertinens diffinire; sed creditur probabiliter, quod *Robertus* habens corporales thesauros absconditos et majorem partem pseudofratrum sibi infideliter adhaerentem. Sed ut Christus praedicit[6] fidelibus, 'vae praegnantibus et nutrientibus[7] in illis diebus,' quia gignentes filios ecclesiae per verbum Christi sunt acutissime persecuti, et nutrientes fidem et virtutes ecclesiae sunt per membra[8] istorum capitum anxie detestati. Sed debemus 'orare, quod ista persecutio non fiat in hieme vel sabbato,' cum illis fit[9] in hieme, quorum[10] caritas refrigescit, et illis fit[11] in sabbato, qui ceremoniis et traditionibus hominum nimis credunt; nulli enim nisi tales peribunt in isto periculo antichristi. Et licet illa[12] persecutio sit callidior quam 'sagitta volans in tenebris[13],' tamen juvante[14] Dei gratia et stante populo in fide Domini, faciliter potest tolli. Debemus enim credere juxta declarata superius, quod nullus talis papa necessarius est per ordinationem Christi, sed per cautelam diaboli[15] introductus. Et sic supposito, quod non est aliquis[16] talis in ecclesia militante per legem scripturae, quam habent fideles, et per adjutorium episcopi animarum[17], qui est supra in ecclesia triumphante, stabilius staret nostra ecclesia, quam stat modo. Sic enim stante ecclesia sine dominatione vel dotatione hujusmodi, fuit

[1] titulum] titulos, C. [2] supra] super, C. [3] ad] et ad, C. [4] cf. Dan. vii. 9, 13. [5] sese] se, C. [6] praedicit] praedixit, C. [7] nutrientibus] nutricibus, a.b. [8] membra] membrarum, a. [9] fit] sit, A.a. [10] quorum] ergo, a.b.C. [11] fit] sit, A.a. [12] illa] ista, A. [13] cf. Ps. xci. 5. [14] juvante] nutante, a. [15] diaboli] antichristi, C. [16] aliquis] alius, C. [17] cf. 1 Petri ii. 25.

fides Domini augmentata; et statim post dotationem Caesaream cecidit secta Saracenica, et post divisa est ecclesia Graeca cum aliis ecclesiis particularibus, quibus est longe tolerabilius quam est nobis.

Et principes et clerici et laici impugnare debent tyrannidem papae impiam.

Ideo *principes* et potestates[1] debent potenter juvare, quod cum non sit talis papa necessarius, et *clerici* per scrutinium fidei scripturae, ac *laici* humiliter promerendo. Unde *principes* seculi debent regna sua a spoliatione hujus diaboli potenter defendere, et clericos titulo hujus antichristi promotos prudenter expellere, et nullo modo expensis laboribus vel favore fovere talem diabolum vel juvare. *Clerici* autem debent in lege Domini studere et[2] ex fide evangelii clare deducere, quod talis papa subdole sit introductus. Quis enim dubitat, quin sit fallacia 'meridiani daemonii:' si Petrus fuit secundum tres conditiones praedictas electus a Domino, ergo oportet quod habeat in ecclesia successorem[3] conditionis et vitae oppositae, a diabolo[4] et non a Deo[5] sic electum? Et quantum ad conversationem, patet quod talis antichristus electus[6] degit in castris propriis contra Christum, colligit de regnis pecunias decidendo causas et faciendo judicia contra Christum, et multiplicat sibi leges, per quas deprimat legem Christi. Quid enim aliud sonat illa lex 'de majoritate et obedientia' capitulo 'Solite[7],' nisi majoritatem talis apostatae quoad mundum? Aut quid aliud sonat lex hujusmodi antichristi in constituendo sibi indignos praepositos, quae incorporatur in *Sexto, de rescriptis,* capitulo 'Si duobus[8]?' Vel quid sonat quam[9] obedientiam faciendam huic diabolo lex illa in *quinto decretalium* 'de poenitentia et remissione,' capitulo 'Omnis utriusque sexus[10]?' et sic de multis aliis legibus luciferinis eis similibus. Notum est tamen, quod diabolus per talem ejus vicarium aliquando commiscet leges justas et floridas, et per eum facit multa bona *de genere,* quia aliter nemo daret vicario suo fidem; sed infidelis operatio atque *intentio* infideliter inficit totum statum.

[1] potestates] potentates, a.b.C. [2] studere et] studenter, C. [3] successorem] successores, C. [4] diabolo] diabolis, A. [5] Deo] Domino, A. [6] electus] tales, C. [7] Verba referuntur ad Decretalium Gregorii IX., lib. I. tit. xxxiii. cap. 6, cujus initium est: 'Solitae benignitatis affectu.' [8] Si duobus] Decr. Greg. IX., lib. II. tit. xxvii. c. 7. [9] quam] contra, a. [10] Decretal., lib. V. tit. xxxviii. c. 12.

*Operarii* autem et tota ecclesia addiscerent[1] legem obedientiae *repugnando*, quia cum praetendit se esse Christi vicarium et defendere legem suam, debent prosequi istud dictum et non communicare cum tali diabolo nisi repugnando. *Clerici* autem debent acutius publicare istam materiam, et narrare dominis ac mundi principibus, quomodo patientia sua temeraria ac consensu suo, quo 'non juvant' matrem suam 'nec reprehendunt' tales diabolos, sed potius eos nutriunt et defendunt, ipsi sunt causa damnabilis, quare tantum malum evenit matri suae, et quare regna sua sunt sic depauperata et per diabolos conturbata.

## CAP. V.

*De religiosis possessionatis.*

Monachi fortunati non solum haeretici sed etiam diaboli indurati censendi sunt.

Consequenter ad dicta est aliquid[2] *de religiosis* nostris *possessionatis* et clericis supponendum. Ipsi enim ex dotatione, quam contra legem Christi suscipiunt[3] et defendunt, sunt 'meridianum daemonium[4],' ut supponitur ex alibi declaratis. Nec solum sunt haeretici novelli, sed ad damnum[5] ecclesiae diaboli indurati; quod patet ex suo opere et sua sollicitudine quam habent ad suam haeresim defendendum, cum supra vires humanas vellent niti fideles deprimere tam laboribus quam expensis, qui innuerent[6] ipsos ad regulam Christi reducere, et errores, quibus instant, expellere. Sed quae conditio[7] magis opposita caritati? 'Caritas enim patiens est' sufferendo personales injurias, ut patet I Corinth. xiii.; et patet de Christo, ut Petrus recitat I Petri secundo: 'cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur.' Tales autem inveterati diaboli non solum non patiuntur injurias, sed non patiuntur quod aliquis[8] tangat sanet vel adjuvet suum morbum. Et ista est conditio summa diaboli; nam conditio foret caritatis, quae

[1] addiscerent] adisceret, A.a. [2] aliquid] aliud, C. [3] suscipiunt] sustinent, C. [4] cf. Ps. xci. 6, Vulg. [5] damnum] damnationem, C. [6] innuerent] innuerunt, C. [7] conditio] contradictio, C. [8] aliquis] alius, C.

'omnia suffert,' quod tales gaudenter sinerent[1] statum suum tractare, et in illis etiam, quibus a veritate deviat, reprobari. Tria autem sunt in quibus fidelis non solum[2] reputat sed *credit* plene ex fide, possessionatos tales deficere, ut religiosi possessionati plus stant[3] pro defensione suae possessionis vel ordinis adinventi, quam stant[4] pro defensione evangelii. Sed quis dubitat, quin talis dilectio diabolica sit perversa? Debemus enim ex fide credere, quod sicut Christus est infinitum perfectior quam aliquis patronus talis ordinis privati, sic regula sua sive religio[5] est infinitum perfectior quam talis religio humanitus adinventa.

Primum enim possessiones suas potius quam evangelium defendunt;

*Secundo* claudicant in statuendo sibi universales[6] regulas fundatas in signis sensibilibus, ad quas regulas Christus non audebat aliquod genus hominum obligare. Et hinc licet fides scripturae praecipiat, quod ecclesia staret in limitibus legis Dei, ut patet Deuteronomii quarto et 11mo et Proverbiorum tertio, Gal. primo et Apocalypsis ultimo, tamen istae sectae novellae non trepidant legem novam sibi adjicere, quae non est fundabilis ex scriptura. Et hinc quia gradiuntur duabus viis, et plus afficiuntur suae regulae adinventae quam legi Dei aeternae, ideo militant tam instabiliter hic in via; plus enim credunt Deum offendere solvendo regulas sui privati ordinis, quam solvendo 'jota vel apicem legis Dei[7].' Et ista infidelitas facit homines persecutionem[8] patientes in sabbato[9] erranter incedere et putare se praestare obsequium[10] Deo, legem Dei dimittendo et praevaricantiam observando, et longe[11] evidentius quam Paulus ex isto errore modico in legem Domini blasphemando. Et haec fundamentalis[12] ratio, quia facta illis[13] evidentia, quod non debent[14] talibus traditionibus[15] frivolis in conversatione sua attendere sed ex integro legi Christi, non acquiescunt rationi, quod[16] melius esset illis[17], legi perfectae libertatis Christi[18] attendere et

deinde regulas scriptura s. haud fundatas statuunt et majoris faciunt quam Dei legem;

[1] sinerent] finirent, C. [2] non solum] non solum non, C. [3] stant] starent, C. [4] stant] statum, C. [5] regula sive religio] religio sive regula, C. [6] universales] om. C. [7] cf. Matth. v. 18. [8] persecutionem] persecutiones, A. [9] Cf. Matth. xxiv. 20. [10] praestare obsequium] obsequium praestare, C. [11] longe] legem, C. [12] fundamentalis] fundabilis, C. [13] illis] eis, A. [14] debent] dant, C. [15] traditionibus] conditionibus, C. [16] quod] sed, A. [17] illis] eis, a. primae manus. [18] cf. Jac. i. 25.

religiones tales vanas[1] dimittere. Quomodocunque, inquiunt, talis loquitur in ista materia, cum tam honesta et tam utilis sit nostra observantia, debemus ipsam omnino[2] conservare[3], et, sicut[4] patres instituerunt[5], pro defensione legis Domini usque ad mortem praecipue ipsam defendere. Recolerent, quod sicut Augustinus, Benedictus, Dominicus et[6] Franciscus se habent ad Christum, sic regula sive religio se habet ad regulam vel ordinem Christianum, cum tales adinventae regulae multis nocent; tamen luciferine praesumunt regulas universales tradere quibuscunque, quos ordines illi voluerint decipiendo inducere, cum tamen debent scire, quod universalis Dominus super illos variat complexiones aetates et tempora, secundum quam variationem expediret nunc sic et nunc aliter militare; regula autem Christi non sic obligat quoscunque ad indifferenter pro loco aetate complexione[7] et tempore militandum. Ideo sicut regula sapit praesumptionem blasphemiam et arrogantiam supra Deum, sic religiosi talium ordinum per hypocrisim[8] defensionis suae religionis novellae praesumunt se supra[9] apostolos exaltare.

porro varia facinora committunt.

*Tertio* deficit ista novella religio possessionatorum implicando se inconvenientiis, quae ad deviationem praesumptam a lege Domini constituuntur[10]. Ex illa quidem novitate assumunt sibi possessiones temporalium ultra quam ex lege Dei sit licitum, introducunt[11] etiam pueros fraudulenter in suum ordinem ultra quam caritas proximi se extendit, et sic furando tam homines quam temporalia praevaricantur multipliciter contra secundam tabulam: non enim honorant ut sic[12] sanctam matrem ecclesiam, sed occidunt[13] multos spiritualiter, moechantur[14] spiritualiter cum adulterinis regulis, furantur[15] temporalia ecclesiae cum fraude hypocrisis, et testantur[16] contra ecclesiam simulatione falsissima per signa sua fallaciter palliata, et sic inordinate cupiunt atque desiderant[17] bona proximi et familiam suam vivam. Nec

[1] vanas] bonas, C. [2] omnino] omnimode, A. [3] conservare] deconservare, C. [4] sicut] sic, C. [5] instituerunt] instituerunt, a.b.C. [6] et] om. a.b.C. [7] aetate, complexione] om. C. [8] hypocrisim] impositionem, C. [9] supra] super, a.b.C. [10] constituuntur] construuntur, a.b. [11] introducunt] conj. Introducit, A.a.b.; introduxit, C. [12] ut sic] om. C. [13] occidunt] occidit, A.a.b. [14] moechantur] moechatur, a.b.; moechantur spiritualiter, om. A. [15] furantur] furatur, a.b. [16] testantur] testatur, A.a.b. [17] cupiunt atque desiderant] cupit atque desiderat, sic *omnes* libri MSS.

sunt ferenda leviter ista mala, cum nimis multum perturbant ecclesiam. Sicut enim dislocatio discrasiatio vel mortificatio unius membri humani corporis nocet toti residuo, et toti corpori infert morbum, sic est de partibus corporis ecclesiae, quae debent militanti ecclesiae cedere ad juvamen. Et haec est ratio quare multitudo ordinum, quos Christus instituit, debet servari in suo ordine et mensura.

**Argumenta eorum, qui monachos defendunt, refelluntur.**

Sed contra istud[1] antichristus objicit multis modis. *Primo* per hoc, quod ista novella religio servat cuncta, quae facit religio Christiana, et super haec multa laudabilia superaddit, ergo est de tanto perfectior. Sed si ista argutia non peccaret[2] in materia, nec[3] in forma probaret[4], quod sua adulterina religio nedum excederet statum apostolicum sed etiam Dominum Jesum Christum. Ideo certum est, quod peccat in materia, cum assumit quod servat omnia, quae servat communis religio Christiana. Non enim servat mensuram vel ordinem, quem Christus instituit in suo ordine observari; Christus enim voluit *gradum uniformitatis* servari in ecclesia militante, quam notabiliter disrumpit ista novella religio. Christus etiam voluit ecclesiam suam *paucis* et levibus *traditionibus* onerari; regulae autem istae novellae onustant servos Christi ultra quam foret fundabile ratione. Et sic tertio tollit *libertatem*, quae multum[5] facilitat ad voluntatem Domini faciendam. Multi enim ex suis privatis ordinibus obligant virtute suae[6] fictae obedientiae quaedam facere et alia obmittere, quae Christus et ratio praecipiunt debere fieri[7] vel obmitti, ut quis claustralis saepe[8] impeditur a suo ordine exire ad seculum et delinquentes constantius increpare ac alios fideliter militantes caritativius adjuvare. Christus etiam voluit alias duas partes ecclesiae non cum *clericorum multitudine onerari;* sed religiones istae novellae laborant omnino ad partes istas improportionabiliter onerandum. Nam in duodecim tribubus Israel, quando onus fuit multo gravius quam modo est, suffecerunt habiles tribus Levi; sed modo tam in numero quam in possessionibus partem duodecimam ecclesiae antecellunt. Et

[1] istud] illud, C. [2] peccaret] peccarent, C. [3] nec] nisi, C. [4] probaret] probarent, C. [5] multum] multa, C. [6] suae] sua, C. [7] debere fieri] fieri debere, C. [8] saepe] non saepe, omnes libri manu scripti.

sic ubi Christus voluit *moralia* ponderari, isti statuunt desponsationem[1] cum suis ritibus, moralibus communiter praetermissis; et sic de innumerabilibus rebus, quas[2] isti novelli ordines ad onus ecclesiae introducunt. Ideo contra Trinitatem peccant in numero pondere et mensura. Et patet, quod false assumitur, quod observant[3] omnia, quae servat antiqua religio Christiana. Unde videtur multis, quod sicut diabolice deturpant ecclesiam cum traditionibus sibi fictis, sic ecclesiam[4] multipliciter illibertant.

*Secundo* objicitur per hoc[5], quod a tempore quo isti ordines inceperunt, regulariter vivunt religiosius quam alii de communi ordine Christiano; quod infallibiliter convincit, quod isti ordines multum prosunt ecclesiae, et quod vivunt strictius atque perfectius quam homines sub communi ordine Christiano.

Sed hic[6] dicitur, quod ista ratio peccat in materia sicut prior, cum religiosi isti in magna parte sunt pessimi, et illi qui videntur esse aliquid[7], sunt sophistice palliati. Ideo dicit *Augustinus* in epistola ad cives Hipponenses[8], quod a tempore quo Deo servire inceperat, de difficili expertus est meliores claustralibus; sed Deum[9] testatur, quod nunquam vidit simpliciter praviores. Et sicut fuit tempore illo, sic fuit ab illo tempore usque modo. Nam simulata sanctitas, quae est duplex iniquitas, facit eos pejores, licet ecclesia per eorum hypocrisim sit decepta. Et patet, quod licet quandoque vivant strictius quam reliqui seculares, tamen ex hoc saepe vivunt imperfectius, quod oportet ipsos concedere, cum saepe currunt Romanam curiam sumptuose pro dispensatione suo ordini[10] obtinenda, quod omnino non facerent, nisi[11] imperfectionem in observantia rituum suorum supponerent; et specialiter episcopi et graviores personae, quae ad exonerationem traditionis[12] sui ordinis plus laborant. Ideo quando assumitur, quod religiosi isti vivunt secularibus plus perfecte, vel sophisticatur[13] in particularitate vel falsum assumitur. Notet, inquam, fidelis[14], quomodo in secularibus a tempore Christi mansit fideliter religio Christiana, et quomodo

[1] desponsationem] dispensationem, C. [2] rebus, quas] ritibus quos, C. [3] observant] observat, C. [4] ecclesiam] etiam, C. [5] per hoc] om. C. [6] hic] hoc, C. [7] aliquid] cf. Gal. ii. 6; aliud, C. [8] cf. Augustini Opp. ed. Venet. 1729. tom. II. 186, Ep. LXXVIII. [9] Deum] dictum, C. [10] ordini] ordine, a.b.C. [11] nisi] om. a. [12] traditionis] om. C. [13] sophisticatur] sophistice, C. [14] fidelis] infidelis, a.b.C.

in istis sectis, a tempore quo inceperant, sophisticatur[1] sua privata religio; et evidenter potest elicere, quod in secularibus stet religio Christiana perfectius, cum in istis privatis ordinibus sit obligatio major et fructus parcior. Nec sonat in eorum perfectionem, quod incastrantur vel incarcerantur in claustris suis materialibus, vel quod habent pejores qui debent ipsos regere et docere, quia nec Christus nec ejus apostoli ante ascensionem vel post sic vixerant. Nec consonat rationi; nulli enim nisi forte incontinentes debent sic incarcerari, nec aliqui nisi forte stulti et dementes debent regulariter sic talibus prioribus obligari, quia in multis casibus foret tolerabilius obligari diabolo[2].

Et per hoc patet solutio ad *objectum tertium*, qui fit communiter in materia ista. Dicitur enim, quod a tempore, quo ordines isti inceperant, plures sunt *canonisati* de illis quam aliis, plus communiter *praedicant* atque orant, et sic de reliquo labore et ceteris operibus pietatis. Nam *canonisatio* non facit majorem evidentiam, si quis argueret hominem esse luxuriosum si sit comptus, cum canonisatio sic emta et falsis testibus testificata non sit fundabilis in scriptura. Nec *praedicant* efficaciter veritatem evangelicam plus quam alii seculares, nec in orationibus suis longis[3] stat profectus ecclesiae plus quam in ethnicis.

## CAP. VI.

### *De ordinibus mendicantium.*

Consequens ad dicta est[4] tractare *de exproprietarie viventibus* sicut de fratribus, qui ex hoc quod[5] sunt majores hypocritae et recentius adinventi, magis illudunt ecclesiae. Rationes autem quae factae[6] sunt contra istos possessionatos ordines[7], possunt evidentius fieri contra illos. Sed primo expedit *describere* hujusmodi pseudofratres. Ponit autem *Lincolniensis* in quodam

Ordines mendicantium magis illudunt ecclesiae quam monachi fortunati.

[1] sophisticatur] sophistica, C. [2] obligari diabolo] diabolo obligari, C. [3] cf. Matth. vi. 7. [4] ad dicta est] est ad dicta, A. [5] quod] om. C. [6] quae factae] quod sectae, C. [7] ordines] om. C.

Mendicantes describuntur secundum Lincolniensem.

sermone, quod talis claustralis '*est cadaver mortuum, de sepulchro egressum, pannis funeralibus involutum, a diabolo inter homines agitatum*[1].' Et declarat per ordinem istas partes. Est enim '*cadaver mortuum*,' quia, cum caret spiritu vitae, licet sit corpulentus, est tamen mortuus quoad Deum. Ideo cum cadaver sit corpus prius vivificatum et postmodum carens vita, patet, quod talis sit cadaver. Et cum per gratiam inhabitans vivificat animam, sicut ipsa anima naturaliter vivificat corpus, patet, quod ratione animae mortuae vere dicitur corpus mortuum; cum enim anima sit principalis pars hominis, imo tota sua personalitas, patet, quod ratione spiritus sic mortui quoad Deum dicitur talis homo vere cadaver mortuum. Unde Christus sic *Matthaei* octavo dicit: 'permitte mortuos sepelire mortuos suos,' et mortuos vocans indubie naturaliter viventes, qui carent gratia prolifica quoad ecclesiam militantem. Illi enim[2] debent occupari circa labores hujusmodi corporales, cum Deus ad tales operationes eos limitat, ut sibi serviant velint nolint. Et illo modo loquitur apostolus prima ad[3] Timoth. v.: 'vidua,' inquit, 'quae in deliciis vivens est, mortua est[4].' Ex ista subtili logica scripturae et infringibili quoad logicos patet genus quoad ipsam particulam trium partium differentiae, qua dicitur, quod est '*de sepulchro egressum*.' Notandum est, quod secundum subtiliores ordinum privatorum talis claustralis tanquam mundo[5] mortuus in sepulchro quattuor parietum sepelitur, per quos quattuor parietes designant, quod secundum quattuor dictas differentias[6] mundus ab ipso secluditur. Per hoc autem[7] quod claustrum versus coelum tanquam sub divo[8] patulum aperitur, designatur, quod solum coelum et coelestia petant oculis mentis suae. In medio autem claustri tanquam in medio paradisi lignum erigitur, per quod ascensus quotidianus, per quem coelum rapiant designatur. Aves autem quae claustra[9] incolunt, signant volatum secundum vitam contemplativam versus coelestia. Et viror fundi claustri[10] signat virtutum virentiam. Quod si ista signa correspondentia virtutum[11]

[1] cf. Trial. IV. 26. [2] enim] ergo, C. [3] prima ad] om. C. [4] est] om. A. [5] mundo] modo, a.b.C. [6] dictas differentias] dictos, a.; differentias, A.C.; dictas, b. primae manus. [7] autem] enim, C. [8] sub divo] subdius, a.b.C. [9] claustra] claustrum, C. [10] fundi claustri] claustri fundi, C. [11] correspondentia virtutum] virtutum correspondentia, C.

caruerint, tunc sunt falsa. Et secundum alios quilibet Christianus[1] tenetur incolere claustrum animae spirituale, sic quod quattuor virtutes cardinales, scilicet justitia fortitudo prudentia et temperantia sint[2] quattuor parietes animam hominis in claustro virtutum limitibus includentes et peccatum triplex securius secludentes; et istud claustrum tenetur quilibet Christianus incolere. Unde quilibet homo eo ipso, quo aliquam istarum virtutum diruperit, sepulchrum istud egreditur et est pseudoreligiosus. Claustralis tamen propter causam multiplicem et frater specialiter, est cadaver mortuum sic egressum, et est pseudoreligiosus. Et patet prima particula differentiae, quae includit nedum singulos pseudofratres, imo analogice falsos quoscunque Christianos.—Quoad *secundam* partem differentiae, in qua dicitur, quod est *pannis funeralibus involutum*, videtur quod per istam differentiam distinguuntur seculares a pseudoreligiosis ordinum privatorum. Ipsi enim habent tanquam de substantia sui ordinis habitus corporales vel albos vel nigros vel habitus de russeto. Albus autem color figurat[3] in illis, quod sua conversatio est in coelis, nigredo autem dolorem continuum[4] pro peccatis, et quod suos appetitus mortificaverant[5] bestiales; russetum vero significat laborem[6] suum in illis duabus virtutibus absconditum, ne sint hypocritae. Figura autem talis habitus est *deformitas* ad designandum quod contemnunt elegantiam sui corporis; et *Zona* signat, quod carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis per asperitatem praesentem, qua junguntur tam corpore quam anima cum Baptista.—Et quoad ultimam partem differentiae, qua dicitur illud cadaver *a diabolo* esse[7] *inter homines agitatum*, manifestum est, inquit *Lincolniensis*, quod malignus spiritus hos agitat, ut contaminent populum, in quo corporaliter conversantur. Et per istam ultimam particulam possunt pseudofratres discerni ab aliis qui propter mendicationem propter mendacia[8], vel aliam falsam seductionem populi tanquam de substantia[9] sui ordinis sunt egressi.

[1] quilibet Christianus] Christianus quilibet, C. [2] sint] sunt, C. [3] figurat] significat, C. [4] dolorem continuum] colorem continuum, C. [5] mortificaverant] mortificarunt, C. [6] laborem] dolorem, C. [7] a diabolo esse] esse a diabolo, C. [8] propter mendacia] om. C. primae manus. [9] de substantia] substantia, A. primae manus, a.b.; substantiam, C.

Fratres mendicantes multiplicibus mendaciis implicantur.

Mendicationem autem fratrum alias diffusius improbavi. Et quantum ad *mendacia*, quae includunt omnia peccata, manifestum est, quod fratres mendaciis specialiter sunt involuti, cum peccant *mendaciis signi*, mendaciis loquelae, et mendaciis fundamenti, ac si in facto dicerent, 'nos sumus speciales filii patris mendacii;' cum enim non compensant correspondentiam[1] in signis suis, nec in claustro nec in habitu, quis gerit falsius incorporatum mendacium, ac si foret de substantia sui ordinis? Et cum *mendaciis linguae* suae et adulationibus dicuntur fratres vivere in hoc mundo[2] non solum in verbis extraordinariis sed in sermonibus et dictis judiciariis[3]. Et quo ad *mendacia fundamenti*, patet, quod fratres de suis personis et ordinibus notorie mentiuntur, cum habent a papa dispensationem voluntati suae aut avaritiae consonantem, sic quod verius possunt dici fratres papales vel antichristi, quam fratres Dominici vel Francisci. Et alii duo ordines fratrum scilicet Augustinenses et Carmelitae in mendaciis manifestis sunt fundati: *Augustinenses* enim videntes, quod in istis ordinibus antiquitas ponderatur[4], fingunt quod a sancto Augustino, magno[5] doctore, personaliter sunt fundati, et sic per[6] quadringentos annos et amplius sancte vixerunt[7] in eremo, mundo incogniti, et de tanto sunt antiquiores quam fratres praedicatores et sic illis[8] excellentiores, sive si patroni bonitas[9] sive antiquitas debeat ponderari. *Carmelitae* vero videntes Augustinenses isto fuco mendacii ecclesiam Christi seducere, mentiuntur in istis ambobus ordinem suum Augustinenses excellere; cum, inquiunt, ante incarnationem Domini sunt fundati et beatam virginem patronam[10] habeant[11] singularem, patet eorum excellentia supra cunctos. Nam, ut fingunt, Helias fundavit eos in monte Carmeli tanquam filios prophetarum, et hinc Carmelitae vel Helisitae dicuntur vulgariter; et cum ipse Helias figuravit[12] singulariter matrem Christi, fratres etiam beatae virginis debent dici.

Et sic notando circumstantias multipliciter mendacii horum

[1] correspondentiam] correspondentia, A. [2] mundo] modo, C. [3] judiciariis] mendaciariis, C. [4] ponderatur] fundatur, C. [5] magno] om. A.; magistro, C. [6] per] om. a. [7] vixerunt] vixerant, C. [8] illis] illi, C. [9] bonitas] om. C. [10] patronam] om. C. [11] habeant] habebant, C. [12] figuravit] figurat, C.

fratrum videtur ipsos cunctos fundatos in patre mendacii et ad seducendum ecclesiam a diabolo introduci, cum certum sit, si carent fundatione suorum ordinum in scriptura, tunc sunt daemonium meridianum juvans diabolum ad hunc finem. Sed patet scrutanti scripturas, quod carent fundatione probabili ex scriptura, ideo singuli sunt tales quales ab ipso episcopo[1] sunt descripti. Si enim sunt sine fundamento, tunc sunt quasi diaboli navigantes in vacuo infinito. Sed fundamentum aliud nemo potest ponere praeter Dominum Jesum Christum[2]. Ideo cum in lege sua sit omnis veritas, ut *Augustinus* saepe asserit, et in lege Domini non patet fratrum fundatio, manifestum est, quod navigant sine stabili fundamento. In cujus evidentiam[3] petunt confirmationem instantius a Romano pontifice. Sed audenter assero, quod, si non habent confirmationem aliam praeter illam, tunc tanquam filii diaboli in mendacio sunt fundati; et si habent fundationem aliam, superflue laborant pro fundatione illa in praelato Caesareo adquirenda, imo tamen frustrati ab illo titulo fundationis papalis forent a tota ecclesia reprobati. Manifestum est, quod tanquam *Cainitae* deberent tanquam vagi et profugi exulare[4]. Baptista enim interrogatus a sacerdotibus et Levitis a Pharisaeis missis, de qualitate sua et fundatione sui officii, respondet humiliter; et tripliciter negative, sed postmodum affirmative fundavit[5] suum officium in lege Domini Jesaiae xl.[6]: 'ego vox clamantis in deserto,' ut patet Johannis primo; quia si fundatione omnimode caruisset, coetus Pharisaicus eum rationabiliter reprobasset. Unde Eremitae nisi haberent suam fundationem a Domino et a Baptista, forent rationabiliter proscribendi. Unde ratio movens et ducens multos in ista materia stat in isto: Christus omnisciens et omnivolus, tantum diligens sponsam suam, noluit ipsam ordinare cum aliquibus ordinibus, nisi quorum species ipse docere voluerit in scriptura; sed in scriptura non docet aliquam speciem ordinis de capitulo antichristi; igitur non est de suo beneplacito, quod sint tales. Capitulum autem antichristi istis speciebus duodecim continetur: papa et[7] cardinales, patriarchae et archiepiscopi,

Ordines mendicantium fundamento in Scriptura sacra posito carent.

[1] scil. Lincolniensi. [2] cf. 1 Corinth. iii. 11. [3] evidentiam] evidentia, a.b. [4] cf. Gen. iv. 12. [5] fundavit] fundat, a.b.C. [6] xl.] om. a.b. [7] et] om. a.b.C.

episcopi et archidiaconi, officiales et decani, monachi et canonici, fratres et de istis quattuor ordinibus conquestores. Et breviter quicunque ritus vel ordo fundatus non fuerit in scriptura, de introductione praeter approbationem Domini est suspectus. Possunt autem quidam viri[1] religiosi habere ista nomina et carere veneno, quod est modo sub isto nomine[2] introductum, ut olim omnes sacerdotes vocati fuerunt episcopi et sic de aliis nominibus, quae non sapiunt consuetudinem diaboli in ecclesiam introductam. Sed pro impugnatoriis rationis[3] hujus aureae est notandum, quod Christus aliqua confirmavit[4] explicite et verbo multiplici, sicut officia sacerdotum, aliqua autem confirmavit[4] non tam explicite, sicut officia secularium dominorum, aliqua vero confirmavit[4] innuitive vel opere sicut officia laborantium; et in illis tribus officiis omnia officia familiae patrisfamilias continentur. Praesumptio autem sive dimissio talis officii, ac si foret per se species ad aedificationem ecclesiae requisita, confundit multas partes ecclesiae. Ut multi sunt, qui si in affectione desisterent a tali officio, tunc cum paribus forent ecclesiae verae partes[5], ubi modo propter affectionem adulterinam non sunt partes[6] ecclesiae, sed procuratores diaboli, ut patet specialiter de his, qui affectione indebita sunt cum signis sensibilibus desponsati. Sed grave onus imponitur fidelibus, admittentibus ut fidem philosophicum theorema[7]. Videntur enim innuere, quod Christus in tali mensura tradidit legem suam, quod non potest in quantitate aut[8] qualitate deficere, sic quod si[9] unum jota foret fidei scripturae additum vel ablatum, foret notabiliter pejorata; et per idem si aliquis sensus scripturae foret ablatus et alius positus in loco ejus; sic quod fides hujus legis non potest corrigi, sed quod in ultimo gradu bonitatis possibili erat data, quia defectus in quocunque hujusmodi blaspheme[10] in Christi ignorantiam vel negligentiam redundaret. Et in isto multa alia difficilia implicantur. Sed quo ad istud multa[11] inconvenientia

[1] quidam viri] viri quidam, A. [2] sub isto nomine] subito nomine, a.b. [3] rationis] rationibus, C. [4] confirmavit] confirmat, C. [5] partes] pars, a.b.C. [6] partes] pars, a.b.C. [7] theorema] theoreuma, A.b. primae manus; thoreuma, a.b. secundae manus. [8] aut] ac, C. [9] si] om. a. [10] blaspheme] conj.; blasphemie, omnes Codices. [11] multa] multa tanquam, *omnes* libri manu scripti.

reducuntur tanquam impossibilia et destructiva ecclesiae, quae tamen sunt necessaria et ecclesiae correctiva. Sed totam materiam istam relinquo junioribus retractandam.

## CAP. VII.

*Fratres mendicantes, quippe quibus desint signa caritatis, non esse Dei filios.*

Fratres mendicantes caritate destituti sunt, cum et omnia caritatis signa in illis desiderentur et vitia omnino opposita in iisdem deprehendantur.

Restat autem per *sedecim signa caritatis*, quae notat apostolus prima[1] Corinth. xiii., transcurrendum[2], ut videamus si sectis fratrum, in quantum hujusmodi, competant signa; quia, cum caritas distinguat filios Dei a filiis diaboli, claret ex fide, quod si fratribus competant signa opposita, quod sunt manifesti diaboli.

*Prima* autem *conditio* caritatis est, quod caritas *patiens* est. Patientia enim secundum fidem evangelii facit filios Dei animas suas beatifice possidere. Si enim filius Dei venit in mundum[3] ad patiendum mortem durissimam etiam pro inimicis, et non obstante tanta caritate ad patiendum omne genus obprobrii atque poenae, quanto magis nos miseri debemus condignas poenas pro nostris sceleribus perpetratis pati! Et nulla conditio caritatis plus facit fidelem pacificum quam ista. Ideo Christus merito appellatur propter conditionem istam 'rex pacificus.' Quod si fratres inter omnes mortales sint magis impatientes et specialiter vocatae injuriae tam verbo quam opere, quis dubitat quin sint speciales filii Satanae?

*Secunda* conditio caritatis est, quod est *benigna*, quia bonum ignem[4] caritatis venit mittere in terram[5] in populo instar Christi, cum omnia facit ad aedificationem ecclesiae et nihil ad destructionem suppositi vel virtutis. Unde Christus in triplici adventu suo humanitus docet istam conditionem sibi et filiis suis[6] competere; venit enim ad incarnationem et venit ad passionem,

[1] prima] om. C. [2] transcurrendum] transscendendum, C. [3] in mundum] om. A. [4] vox 'benignus' derivatur hic a 'bonus ignis,' id quod falso fieri constat. [5] cf. Luc. xii. 49. [6] filiis suis] suis filiis, A.

tertio[1] ad finalem remunerationem, non propter suum commodum a populo quem visitaverat reportandum, sed potius propter poenam et injuriam patiendum, ut dicit prima conditio caritatis, et propter remunerationem largam suis fidelibus parciendam[2], ut dicit secunda conditio. Quod si fratres in istis adversantur Christo in moribus, quis dubitat, quin sint Satan? Legimus enim, quod Satan affuit inter filios Dei, sed tanquam accusator fratrum ut malefaciat, non ut proficiat, ut patet *Jobi* primo. Si autem fratres celeriter congregantur ad fratres suos contra evangelium accusandum; si, ubi corpus divitis jacet mortuum, congregantur ut aquilae ad vivos et mortuos depraedandum; imo si in actu praedicationis non assistunt nisi propter honorem mundanum vel lucrum[3] speratum, et sic de prandiis atque congregationibus hominum: quis dubitat quin sunt[4] meridianum daemonium? Possent enim ad minimum narrare fidelibus in sua assistentia in istis congregationibus, quid sit hostia consecrata; circa hoc enim ambigunt filii multi[5] ecclesiae et fratres in isto super haeresi probabiliter impetiti[6]. Unde si mutescunt in talibus congregationibus super istud, tam ipsi fratres quam ipsos foventes ad haeresim sunt suspecti. Si enim fratres assunt regulariter talibus congregationibus propter quaestum temporalium suo conventui congregandum et non propter spiritualem aedificationem ecclesiae, quis dubitat quin sunt[7] 'filii sanguisugae,' cum dicunt tam verbo quam opere instar visitantis diaboli: 'affer, affer[8]!'

*Tertia* conditio caritatis est, quod non *aemulatur*. Quod si fratres sunt invidia[9] in abstracto, non solum invidentes aliis ordinibus et secularibus quos depravant, sed etiam sibi ipsis, quis dubitat, quin ex invidia diaboli sunt[10] in ecclesiam introducti? Divisio enim et narratio in suis signis sensibilibus supra id quod Christus asseruit, innuit quod sunt tales. Unitas enim armonica[11] corporis ecclesiae super ejus amorem, sicut

[1] tertio] tertio venit, a.b.C. [2] parciendam (i.e. partiendam)] percipiendam, C. [3] lucrum] honorem, C. [4] sunt] sint, C. [5] filii multi] multi filii, C. [6] impetiti] i.e. erroris atque haeresis accusati. [7] sunt] sint, C. [8] cf. Prov. xxx. 15. [9] invidia] in invidia, a. [10] sunt] sint, C. [11] armonica (i.e. harmonica)] Aaronica, C.; cf. Ps. cxxxiii. 1, 2.

eterogenitas[1] super ejus discordiam attestatur. Et ideo caritas apostolica docet, quomodo filii ecclesiae debent omnibus omnia esse facti. Quod si fratres dicunt, quod in omnibus non sunt tales, manifeste ostendunt, quod sunt filii Luciferi[2] ecclesiam venenantes; circa hoc enim est studium invidorum, quomodo possent ordinem suum extollere in antiquitate et ceteris conditionibus probitatis, et alias sectas deprimere.

*Quarta* conditio caritatis est, quod *non agit perperam.* Quod si[3] fratres habundant praedicta invidia, quis dubitat quin prorumpunt[4] in opera nociva ecclesiae, aedificando et congregando sibi ipsis temporalia, quae spoliant de egenis aliter quam dictat regula caritatis. Et de fructibus actionis[5] perperam talium invidorum difficile est in paucis verbis exprimere, quia quidquid egerunt[6], est dolose ad nocumentum ecclesiae perpetratum. Nam tanquam faeces quattuor humorum in corpore sanctae matris ecclesiae videntur in spongiositatibus ejus generando apostema et morbos alios residere. Christus enim ordinavit corpus suae ecclesiae in tanta armonica[7] caritate, quod si una ejus particula corpori illi defuerit, totum hoc corpus patitur dyscrasiam; et sic videtur quod istae sectae in nutriendo se ipsos agunt perperam.

*Quinta* conditio est, quod caritas consentiens humilitati *non inflatur.* Quod si fratres non obstante quod sint mendici et propterea multipliciter spoliantes, habeant[8] cor magis inflatum superbia tam opere quam sermone, quorum superbia magis foetet coram Deo, qui superbos despicit et repugnantiam in adjecto, non enim solum 'dicunt et non faciunt[9],' sed veritati primae[10] notorie contradicunt.

*Sexta* conditio caritatis est, quod *non est ambitiosa.* Quod si fratres honores mundanos cupiunt, quod sint ductores dominorum ac dominarum confessores, communitatum et familiarum rectores, ex sua prudentia causarum procuratores, et sic de aliis[11] excellentiis, quae in fratrum statibus potuerunt palliari,

[1] eterogenitas (i.e. heterogeneitas)] ethromogeneitas, A.a.b.; etromogeneitas, C. [2] Luciferi] lucifer, a.b. [3] quod si] et si, a.b.C. [4] prorumpunt] prorumpant, C. [5] actionis] accidentibus, C. [6] egerunt] egerint. C. [7] armonica] Aaronica, C. [8] habeant] habeat, a. [9] cf. Matth. xxiii. 3. [10] primae] om. C. [11] sic de aliis] ceteris, C.

quis est[1] a caritate apostolica amplius alienus? Et videtur quod fratres ex statu suo necessitantur sic concupiscere honores[2].

*Septima* conditio est, quod *non quaerit quae sua sunt,* hoc est non capit bona propria ad damnum universalis ecclesiae. Sed si fratres postposita utilitate universalis ecclesiae quaerunt bona personae sui ordinis monstruose[3], quis plus quaerit quae sua sunt, contra regulas caritatis? Et istud videtur diabolum statuere istis ordinibus, cum aliter se ipsos destruunt.

*Octava* conditio caritatis est[4], quod *non irritatur.* Sed si fratres contra veritates evangelicas dictas de suis delictis ad utilitatem ecclesiae magis ad iracundiam provocantur, et specialiter si putant se praestare Deo[5] obsequium in isto scelere, quis magis obviat caritati?

*Nona* conditio caritatis est, quod *non cogitat malum.* Sed si fratres ex suo ordine necessitantur fraudes et malitias ecclesiae machinari, quis quaeso[6] ordo Luciferinus perversior?

*Decima* conditio caritatis est, quod *non gaudet super iniquitate.* Sed si fratres laetentur, cum male fecerint et fideles ecclesiae contra religionem Christi oppresserint, quis est magis contrarius caritati?

*Undecima* conditio caritatis est, quod *congaudet veritati.* Sed si fratres dolent, quod sua versutia est percepta, et percipientes ac detegentes nituntur opprimere[7], quomodo non in isto obviant caritati?

*Duodecima* conditio caritatis est, quod caritas *omnia suffert.* Sed si fratres impetuose et impatienter remurmurant contra gravia illa ad suum commodum, quomodo non diabolice obviant caritati?

*Tredecima* conditio caritatis est, quod *omnia credit.* Sed[8] si fratres ex defectu fundationis sui ordinis diffidunt, quod status suus quoad Deum proficiat[9], nisi cautelas diabolicas toto nisu adjecerint, quis status in fundo arundineo[10] est magis caritati contrarius? Tunc enim omni vento circumducuntur ut baculus

[1] est] enim est, C. [2] sic concupiscere honores] concupiscere sic honorem, C.; concupiscere sic honores, A.b. [3] monstruose] modo studiose, C. [4] caritatis est] est caritatis, a.b.C. [5] se praestare Deo] se Deo praestare, C. [6] quaeso] om. A. secundae manus, C. [7] opprimere] deprimere, A. [8] Sed] Quod, a.b.C. [9] proficiat] proficiet, a.b.C. [10] cf. Matth. xi. 7.

arundineus, et necessario concavi sunt magis vacui a stabilitate ordinis Christiani.

*Quartadecima* conditio caritatis est, quod *omnia sperat* cedere ad salutem. Sed si fratres de veritatis catholicae detectione suum dispendium suspicantur, et plus quam reductionem ad ordinem Christi in sua ecclesia renituntur, quomodo sperant de suo stabili fundamento?

*Quintadecima* conditio caritatis est, quod *omnia* delectabiliter *sustinet*, sperando ex fide finale Dei adjutorium advenire. Sed si fratres tanquam furiosi circumvolant pro defensione sui ordinis per commenta mendacii, quomodo manifestius indicarent infirmitatem status diabolici, in quo tanquam instabiles ejus filii perseverant?

*Ultima* conditio caritatis est, quod *nunquam excidit*, cum manet tam in via quam in patria. Sed si status fratrum hodie originatur[1] per commenta mendacii et cras in clibanum mittitur[2] nunquam ulterius duraturus[3], quis status qui usque ad nubes tantum extollitur[4], est magis oppositus caritati? Et breviter cuncti conventus privati vel status aut ritus, qui non sunt in Christi legibus stabiliti, inutiles sunt et vani. Et ita inspectis[5] caritatis ordinibus nullus status mundo tam celebris magis opponitur caritati quam status fratrum secundum formam vel ordinem, quo currit hodie introductus. Et sic breviter non solum imaginarie potest dici, quod corpus sanctae matris ecclesiae in tempore Christi et post currebat liberum in ferendo duas tunicas vel calciamenta[6] aut aliud[7] quod inferret ad patriam nocumentum; sed ex post per commenta diaboli suscepit gravedinem inutilem, specialiter istorum ordinum tam corporaliter quam spiritualiter ecclesiam onustantem.

[1] originatur] ordinatur, C. [2] cf. Matth. vi. 30. [3] duraturus] dominaturus, C. [4] cf. Matth. xi. 23. [5] inspectis] in spectatis, C. [6] Matth. x. 10. [7] aut aliud] vel aliquid, A.

## CAP. VIII.

*Argutiae ad defendendos mendicantium ordines prolatae redarguuntur.*

Argumenta ad demonstrandam mendicantium utilitatem excogitata diluuntur.

Pro complemento finali restat tollere objectus, qui fiunt a discipulis antichristi. Arguitur enim communiter, quod fratres multum prosunt ecclesiae et non nocent, cum habent domos atque ecclesias, quibus regna multipliciter decorantur, praedicationibus suis, missis et orationibus specialiter adjuvantur; et communitas eorum vivit parcius[1] de elemosinis divitum, per quas regnum coelorum[2] acquiritur; quis ergo contemneret tales sectas?

Sed hic dicitur, ut saepe alias, quod illae sectae infundabiliter introductae multum nocent ecclesiae. Nocent, inquam, adulterando verbum Dei, nocent in seminando haereses contrarias fidei, et sic nocent in seducendo fideles ecclesiae, sustinendo versutias antichristi, cujus argumentum probabile est fructus notatio seminati in ecclesia, a tempore quo[3] fuerant introducti.

Primum, quo perhibetur mendicantium ecclesias atque reliqua aedificia regnis, quae ipsi incolant, decori esse.

Et quantum ad argutiam triformem, patet quantum ad *primam* partem, quod fratres habent *domos* sumptuosas et onerosas regnis quae incolunt, et omnino contrarias vitae apostolicae et imitationi Domini nostri Jesu Christi; Christus enim et sui apostoli horrebant proprietatem domorum talium ut venenum. Quomodo igitur[4] inolevit clero privilegium fratrum, ut ad regnorum dispendium aedificent sibi proprietarie tales turres? Non videtur enim causa patentior, quam quod, sicut diabolus in Cayn contra statum innocentiae aedificavit civitatem ut spolia praedata contra caritativam[5] communicationem populi tueretur, sic isti fratres in domibus defensionum suarum praedas populi quas rapiunt, conservarent. Unde quattuor ordines fratrum in Cayn[6] nomine figurantur. Utile igitur[7] foret regnis, quod expensae[8], quas

[1] parcius] potius, C. [2] coelorum] ceterum, C. [3] a tempore quo] atque quomodo, C. [4] igitur] ergo, C. [5] caritativam] caritatem, C. [6] Cayn] Caym, b.C.; cf. Trial. IV. 33. [7] igitur] ergo, C. [8] expensae] expensis, a.b.

fratres de regnis spoliant, ad aedificationem domorum humilium pauperibus sint dispersae. Et sic monstruositate aedificiorum fratrum regna multipliciter deturpantur.

Quantum ad *secundam* partem argutiae, patet quod vitae sanctitas fundata in lege Domini efficaciter *orat* pro populo, ubi infundata novitas nocet illi. Et sic modica et libera *praedicatio* sacerdotum fidelium magis prodesset ecclesiae quam quotcunque praedicationes talium fratrum, in quibus verbum Dei est adulteratum, sicut in praesentia illud modo possumus intueri. Isti autem fratres, quantum sufficiunt, impediunt verbum istud[1]. Et quantum ad *missas*, patet, quod eorum haeresis de eucharistia a fratribus singulariter introducta irritat nimirum Dominum et impedit ad juvandum.

Deinde mendicantium preces praedicationes missas hominibus adjumento esse.

Et sic in tribus specialiter isti pseudofratres *juvant* dominum suum[2] *antichristum*, *primo* in hoc quod spoliis suis latentibus depauperant regna et dominos seculares; *secundo* in hoc, quod confessionibus suis, adulationibus atque mendaciis illudunt populo, et necessitatem defensionis antichristi in populo praeconisant[3]; et *tertio* in hoc, quod suis mendaciis fingunt miracula, et potestatem patris sui blasphemam in absolutionibus a poena et a culpa[4] et censuris terrificis in adversarios sublimandis. Quia enim desunt illis[5] opera sensibilia, etiam bona de genere, fingunt quod in sua consecratione faciunt[6] insensibiliter miracula a mundi exordio inaudita, et Christus necessitatur cum illis concurrere, sicut regulariter cum illis pepigit ad talia infructuosa miracula faciendum. Et revera non plus prosunt ecclesiae talia miracula quam hujusmodi pseudofratres. Et sic regnum coelorum per istos[7] pseudofratres non multitudini Christianorum acquiritur, sed ex consensu multiplici fraudi eorum Christianis illuditur. Unde in ultimo suo concilio terrae motus, in quo illudebant episcopi Christum Dominum nostrum vel membris suis triumphantis ecclesiae[8], tanquam haereticum condemnando regem nostrum et ejus proceres, et per consequens communi-

Postremo regnum coelorum eorundem ope acquiri; id quod auctor omnino refutat,

explicans, mendicantium fraude multiplici Christianos illudi.

[1] impediunt verbum istud] istud verbum impediunt, a.b.C. [2] dominum suum] suum dominum, a.b.C. [3] praeconisant] praeterversant, C. [4] a culpa] a, om. a.b.C. [5] illis] om. A. [6] faciunt] faciant, C. [7] per istos] per istos per, C. [8] verbum 'illudere' primo cum Acc. deinde cum Dat. constructum.

tatem in castigatione pseudoclericorum haereticando, recoluerunt ex timore patris sui de Romano pontifice, condemnando ut haeresim, quod vivendum est post istum *Urbanum sextum* more Graecorum, non sic Romano pontifici comparendo, quia ut inquiunt quod maxime destrueret ecclesiam sanctam Dei. Constat quidem ex chronicis, quod Graecia a tempore suae conversionis per Paulum apostolum servavit[1] nobis longe[2] perfectius fidem Christi, unde martires et sancti doctores de Graecia multum superant milites nostros occiduos. Ideo utinam nos occidentales maniaci moveremur Graecos quoad Romanum pontificem imitari! Vellem autem obedientiam nostram non esse Caesaream vel Luciferinam sed rationabilem quo ad papam, sic videlicet quod[3] obediatur sibi tanquam Jesu Christo[4] et ejus vicario sancto Petro, et non ultra propter timorem blasphemiae. Unde propter timorem lapsus in sophisticam hujus[5] obedientiae videtur mihi, quod constanter ecclesia Christi debet[6] stare in limitibus legis suae, sic videlicet, quod quidquid papa vel[7] cardinales sui sciverint[8] ex scriptura sacra clare deducere, illud duntaxat sit[9] credendum vel ad sua monita faciendum, et quidquid ultra praesumpserint, sit tanquam haereticum condemnandum[10]. Et tunc videtur primo, quod cessaret exactio antichristi in depauperando regna per venditiones Symoniacas bonorum ecclesiae, quae antichristus vocat patrimonia crucifixi. Unde, rogo, in fide scripturae, in qua est omnis veritas, licentia talis commercii? cum Christus judicium tale ecclesiasticum ac judicium seculi refutavit[11], cum, ubi pars voluit submittere se Christi arbitrio, 'quis, inquit, constituit me judicem ac divisorem inter vos?' Lucae[12] .... Et si non in isto textu evangelii papa[13] se fundaverit[14], quod debet regnorum beneficia taliter impartiri, non dubito, quin extensionem sui dominii nusquam

[1] servavit] servat, C. [2] longe] legem, C. [3] quod] ut, a.b.C. [4] Jesu Christo] Domino Jesu Christo, a.b.C. [5] hujus] hujusmodi, C. [6] ecclesia Christi debet] debet ecclesia Christi, a.b.C. [7] vel] sive, A. [8] sciverint] sciverunt, C. [9] sit] omnes libri habent: *sic*; *Thomas Waldensis*, cf. notam sequentem, exhibet: *est*. Nos quidem conjecimus: sit. [10] condemnandum] contemnendum, *Thomas Waldensis*, Doctrinale antiquitatum fidei eccl. cath. vol. I. 1571, lib. II. c. xxiv., ubi locus hic affertur. [11] refutavit] refutat, C. [12] Lacuna explenda erat per numerum XII. (v. 13 sqq.) [13] si non—papa] omnes libri habent: si *non*—papa *non* se fundaverit. [14] fundaverit] fundavit, C.

